Długosz, Jan

Historia Polonica

Handskrift D 1471:1-3

Tillkomstår Slutet av 1500-talet
Digitaliserad år 2016

National Library of Sweden

xD. 1471:3.

T III

Ant. Coll. t. I. p. 61.
1742. – Folio N.° 11.

Ioannis Longini seu Dlugossi Annales seu Historia Polonica. Lib. XI.

III.

I. A. 61.

INCIPIT LIBER VNDECIMVS

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS DECIMVS

Festo Natalis Christi Wladislaus Poloniae Rex apud Lubomlya exacto, in Luboszna, Thur, Szaczsko, Ratno sedens, studium venandi resumit, captas feras pro futuro bello reservans. Ex Chelmensi terra in Parczow procedit, deinde in Lublin, Kazimirz, Sieciechow, et feria quinta ante Carnisprivium in Kozienicze descendit, Reginam quoque Annam ex Cracovia illuc advenientem offendens, ex Kozienicze pro Carnisprivio in Jedlnam divertit. Illic ad eum venit Hermannus Comes Ciliae frater patruelis Annae Reginae, Wladislaum Regem et sororem suam Annam Reginam visitaturus. In cuius praesentia pro honore suo et Regis, Wladislaus Rex curia indicta procurari fecit varia hastiludia, solatia, et choreas. Tenuit autem Wladislaus Poloniae Rex praefatum Hermannum Ciliae Comitem in curia sua omnibus rebus abunde provisum, et ex Jedlna in Ilzam, Opatow, et Sandomiriam deducens, datis in Sandomiria regalibus et magni ponderis muneribus, remisit consolatum. Huius insuper Comitis interpositione et pastura, cum fratre suo Duce Magno Lithuaniae Alexandro ad tenendum personalem conventionem in Kesmark cum Sigismundo Ungariae Rege fuit persuasus et inductus.

Vicesima tertia die mensis Maij Przemislaus Senior Dux Theschinensis, qui quoniam propter podagricam infirmitatem annis triginta illum vexantem baiulabatur assidue in sella, cognomen Noszak sortitus fuerat, post multas defatigationes, quas pertulit, ut Cruciferos ad pacem cum Wladislao Poloniae Rege reduceret, ex Prussia reversus, apud Theschin moritur, et in Monasterio fratrum

Praedicatorum

Praedicatorum in Theschin sepelitur. Vir prudens, indu
strius, et sensatus, qui ex Catherina filia Ducis Legni
censis Boleslai, duobus filiis Boleslao et Przemislao su
sceptis, principatus suos fuerat partitus. Nam Bole
slao natu maiori contulerat Theschin, Glogouiamma
iorem, Goram, Schyrzowor et medietatem Bithom. Natu
vero minori Przemislao, a Chzan Bohemo occiso, Osswanczin,
Strzalin, Thoszech, Zathor, Hantky, et Zywiecz

Termino quo Venceslaus Romanorum
et Bohemiae Rex differentiam inter Vladislaum Polo
niae Regem et Magistrum et Ordinem Cruciferorum,
erat sua sententia arbitrali dirempturus, assistenti Al
bertus Jastrzembiecz Episcopus Posnaniensis, Sbigneus
de Brzezie Regni Poloniae Marsalcus, Vincentius de Granow
Castellanus Nakliensis, et maioris Poloniae Capitaneus,
Andreas de Brochoczicze et Donin de Skrzin Regius
notarius, vice et nomine Vladislai Regis et Regni Polo
niae, Item Butrim miles Lithuanus, et Nicolaus Czebul
ka notarius Ducalis, nomine Alexandri Ducis Magni
Lithuaniae, Item Stiborius Rogala de Sanchoczino Mar
salcus Janussii, item Plichta Marsalcus Semoviti Ducum
Masoviae vice et nomine, cum magnifico apparatu Pra
gam destinantur. Quo cum pervenissent, et tam ipsi
Nuntii Regales et Ducales, quam Cruciferorum suas
propositiones, articulos, et instructiones, coram eodem Ven
ceslao Romanorum et Bohemiae Regi, tanquam coram ar
bitro communi et Judice electo produxissent, sperantes ipsum
tum pro sua, tum pro causae gravitate, causam mature dige
sturum. Ipse vero somno tedio affectus et raro sobrius, su
isque oblectamentis intentus, ad causam suae fidei creditam
iusto decidendam iudicio, nihil pensi habens, examina
ri illius merita fastidiebat. Nec tamen Rex ipse Romano
rum suffecit de convenienti lenitate in praesentia tot Nunciorum no
tatus, ne insuper Nuncii Regii, Ducalis, et Cruciferorum abscessissent
sine fine. Cruciferorum Nuntiis tam prece quam pretio

ipsum

ipsum et Consiliarios suos sollicitantibus, Jodocus Mar
chio Moraviae, Regi Poloniae Vladislao et suae parti gra
viter, quod adversarium suum alterum Marchionem
Moraviae ~~Procopium~~, frequenter armis et exercitibus
adiuverat, infestus, cum aliquibus Bohemis et Alma
nis, decisioni causae huiusmodi se ingessit, et certos articu
los crudos quidem et apparentem iniquitatem redolentes
ad ferendum arbitralem sententiam composuit, praefatumque
Wenceslaum Romanorum et Bohemiae Regem ad pronuncia
tionem sententiae, iuxta articulorum huiusmodi conti
nentiam, induxit. ~~De quo~~ De quo Ambasiatores Vla
dislai Poloniae Regis et Litthuaniae ac Mazoviae Ducum
avisati, compromissum limitatum et semiplenum, pleno
apud se reservato produxerant, ne pronunciatio senten
tiae iniqua Regem et Principes afficere et stringere in ali
quo potuisset. Post multos itaque dies assignatur terminus
parti utrique ad audiendum ferri sententiam arbitralem
quo adveniente convenit pars utraque in Regiam, sen
tentiam huiusmodi auditura. Silentio itaque indicto, Wen
ceslao Rege stante, et cuiusdam ligni sessura intendente,
Notarius mensae editiorem ascendens, sententiam in Al
manico pronunciare incepit. Quo pronunciationem incho
ante, Ambasiatores Vladislai Poloniae Regis et Litthua
niae ac Mazoviae Ducum, nulla petita licentia, quamvis
eorum aliqui Theutonicum tam intelligere quam sonare
plene novissent, ex aula coeperunt discedere. A quibus Wen
ceslaus Romanorum et Bohemiae Rex, cur recederent in
terrogans, responsum accepit, quoniam inquiunt fit Ser. pra
dicatio in Theutonico, nos qui Poloni sumus, et vulgare
Almanicum ignoramus, transimus hinc in alia loca, praedi
cationem Polonici idiomatis reperturi. Quo replicante,
ferrent paulisper moram aequo animo similem pronuncia
tionem in Bohemico audituri, et nos inquiunt nec Bohemicum
novimus. Tum vero Wenceslaus Rex, ambae, inquit, linguae
consonae sunt, et una alteram sonando intelligit. Non sunt,
inquiunt, Rex illustrissime ambae unius intelligentiae et soni

nam

nam ubi Bohemica Syedlak agricolam et rusticanum in
colam exprimit, ibi Polonica Sellarum Magistrum intelligit. Hoc
responso faceto et risu pleno Venceslao Regi dato discedunt
ex aula, neque sententiae, qualiscunque ferendae linguaegio,
pronunciationi volunt iam interesse, certi de eius iniustitia
et iniquitate. Venceslaus tamen Romanorum et Bohe
miae Rex tenorem illius sub suo sigillo Ambasiatoribus
Regijs et Ducalibus transmisit, quae inter alia duos viden
dos continebat articulos. Diffiniebat siquidem ipse Venceslaus
Romanorum Rex vel potius Iodocus Marchio Moraviae
quod terra Dobrzinensis per Cruciferos occupata, debebat
tradi cum omnibus castris et pertinentijs in manus suas,
qui eius possessione habita infra annum debebat deliberare
et deliberatus decernere ad quem eiusdem terrae dominium
pertineat. Item quod Regnum Poloniae amplius et de caetero
nunquam ex Litthuania aut Orientis partibus debebat
sibi assumere Regem, sed ex Principibus Occidentis unum.
In quo vero apparet ad liquidum temeritas et iniquitas
sententiae, quoniam super re in quaestionem non deducta,
neque aliquatenus necessaria pronunciationem suam extendit.
Non erant Ambasiatores Vladislai Poloniae Regis et
Litthuaniae ac Masoviae Ducum aliqua alia per Venceslaum
Romanorum et Bohemiae Regem humanitate tractati, praeter
id quod illos uno vice una honore mensa excepit, et choream
finito prandio, in quo consors sua Regina in corona cum vir
ginibus et matronis splendide se gerens, saltavit fieri pro
curavit. Stantibus autem Regijs et Ducalibus Ambasia
toribus in Praga, Boczek de Podzdziebrad Baro Bohemi
cos praedecrementum et culpam diffidat, qui huiusmodi dif
fidatione accepta Venceslaum Regem petunt, quatenus
ipsis in Regno suo de salvo conductu provideat. Verum Ven
ceslaus Rex respondit, diffidationem huiusmodi sibi igno
tam esse neque conductu eos indigere. Ambasiatores vero
Vladislai Poloniae Regis, et Litthuaniae ac Masoviae Du
cum de levitate Venceslai Romanorum et Bohemiae Regis

et in

et in factis et in verbis sufficienter edocti, de divino
suffragio et proprio milite atque armis, sexingentarum enim
personarum numerum impleverant, confisi, ex Praga cir
cumscripto omni pavore, et discrimine, si invaderentur, pa
rati, discedunt, et per Hradziecz, Clodzko, Swydniczam
et Wratislaviam sani et incolumes in Regnum Poloniae
redeunt, nulla offensa a disturbatore accepta, quamvis
die qualibet praefatus Borzek sequeretur illorum vesti
gia, quaerens opportunitatem ex loco insiliendi eos aut ali
quem de eorum numero invadendi, adeo ut frequenter
excubiae partis utriusque se aspicerent. Et dierum una
custodia Ambasiatorum regalium et Ducalium su
periorum adveniens, in hostilem custodiam irruit, et intan
tum in illam grassata est, ut cogeretur in Laba flumen
insilire, et fluvium tranans evadere. Erat autem prae
fatus Borzek de Poszebrad Viclephistica secta iam tunc
veneno infectus, rapto et praedonio vacare solitus, pro
prio Regi Wenceslao contumax, et ad novandum res atque
ad seditiones proclivis, qui impietatis suae haeredem fi
lium Georgium dereliquit, et qui processu temporis dolis
et astutiis Ladislao Ungariae et Bohemiae Regi filio
Alberti veneno ut ferunt absumpto, vel ut aliis placet
testiculorum compressione necato, in Bohemiae Regnum suc
cessit, et primoribus Regni corruptis auro, Diadema
Bohemicum rapuit, cuius illi ut male et scelesti quaesiti
non diuturna mansit et possessio et successio

Ex Sendomiria feria tertia post Domini
cam Reminiscere Wladislaus Poloniae Rex proficiscit, in Przyszow,
Przyszow, ubi certum venationi intentus multas feras
sylvestres Onagrinas et Zubrinas, quae in Polonico Losi
vocantur, cepit, et quinquaginta vasa de eis implens ea
in Ploczko pro futura expeditione cum aliis servanda per
undas transmisit. Ex Przyszow, per Lezensko, Kropky,
et Jaroslaw procedens pro Dominica Laetare Przemisliam,
pro Dominica vero Judica Leopolim pervenit. Exinde discedens
Podolia

Podoliae terram, quam tunc Petrus Vulodkowicz de Charlino-
wicze Subpincerna Cracoviensis de domo Szulima suo et Re-
gni sui Poloniae nomine tenebat, cursim peragrans, ex Camie-
niecz pro Dominica Ramispalmarum in Halicz advenit,
abinde vero pro festo Paschae Leopolim rediit. Qui illic
agente certificatus est de conventione, quam secum Si-
gismundus Ungariae Rex in Keszmark tenere disponebat,
bat, et fratri suo Alexandro Duci Magno Litthuaniae
de progressu praefatae conventionis in Keszmark, quate-
nus et ipse illi personaliter interesset, per velocem nuncium
avisato, ex Leopoli discedens per Grodek et Medikam
in Lanczuth divertit, ubi feria tertia post conductus
Paschae Alexander Dux Litthuaniae ad illum pervenit.
Habens itaque Vuladislaus Poloniae Rex fratrem suum Du-
cem magnum Vuitoldum in comitatu per Rzeszow,
Ropczicze, Pilzno, Biecz, et Gribow transitum faciens
pro Dominica Misericordia Domini, in novam Sandecz ubi
iam frequens numerus Praelatorum et Baronum Poloniae
iussu regio convenerat, pervenit, et tam Rex quam Dux
vrino Lapidea Gerzdorff fuerunt recepti hospitio. Ne-
cessitati autem praesenti ad consilium revocata, ex multipli-
ci respectu Regem simul et Ducem in Keszmark ire non
placuit, quapropter Vuladislaus Poloniae Rex solus inte-
rim in Nova Sandecz se continens, Alexandrum Ducem
Magnum Litthuaniae, adiuncta illi Praelatorum, Baronum,
et militum Poloniae caterva, ad conveniendum cum Sigi-
smundo Ungariae Rege in Keszmark transmittit. Causa
autem principalis propter quam praedictus fiebat conventus
non alia extabat, nisi ut Sigismundus Ungariae Rex fu-
esset stabilitus et firmatus, quatenus cum Regno Poloniae
Treugas pacis per annos sedecim confoederatas, quorum
iam quatuor anni restabant, ut liberius expeditio in Cru-
ciferos, nullo a tergo hoste relicto agi posset, observaret.
Dum itaque Alexander Dux Magnus Litthuaniae cum Si-
gismundo Ungariae Rege in Keszmark convenisset, et
cum de observatione huiusmodi sollicitasset Treugarum, Si-

gismundus

gismundus Vngariae Rex pro responso finali dixit, sibi
servare Treugas huiusmodi licitum non esse, si Cruciferi
bello impetantur, obtulit tamen se offerare interpositionem pro
dirimendo bello exorto, destinando ad Magistrum et Or
dinem spirituales et notabiles nuncios laboraturum
Spectabat enim iam tunc Sigismundus Vngariae Rex
ad comprehendendum fastigium Romani imperij, et qui
buscunque poterat artibus, favores sibi Principum Alema
niae venabatur. Sed et cum Magistro Cruciferorum
Vlrico de Iunningen et Ordine secretas practicas di
coquebat, pollicens eis grandia gentium solatia se con
tra Poloniae Regem laturum, si duntaxat et Magi
ster atque Ordo auri certam quantitatem sibi solverent,
Pollicitationem huiusmodi aurum sitientibus verborum
figmentis a Cruciferis emunctorum

Inter hosce autem tractatus, qui super
observatione Treugarum inter Sigismundum Vngariae
Regem, et Vitoudum Ducem Magnum Litthuaniae
agebantur, Sigismundus Vngariae Rex latiferum
virus, quo Vitoudum Ducem magnum Litthuaniae
a fidelitate et obedientia Vladislai Poloniae Regis
scinderet, commentari coepit. Tractu enim Alexan
dro Duci Litthuaniae in locum secretum omnibus ar
bitris exclusis, callida et vafra persuasione illum ve
hementer sollicitabat, quatenus fratre suo Vladislao
Poloniae Rege deserto, secum foedus et ligam iniret, offe
rens se auctoritate Romanorum Regis, iam siquidem
ab imperij Electoribus levitatem Venceslai Germani
sui Bohemiae Regis moleste ferentibus, morte etiam
Ruberti Clema Ducis Bavariae et Comitis Palatini
Rheni sequuta, in Romanorum Regem electus erat, Vi
toudum in Litthuaniae Regem creaturum, et ab obe
dientia, fidelitate, iureque iurando Vladislai Poloniae Re
gis absoluturum. Omnem quoque amicitiam et assistentiam
fidelem et suam contra Vladislaum Poloniae Regem
et

et quoslibet alios in quolibet necessitatis articulo iuvan-
vando interposito sibi praestiterunt. Alexander autem Dux
Magnus Lithuaniae etsi dolum in verbis Sigismundi Regis
advertisset, pro temporis tamen et loci conditione benigne re-
spondit, Serius itaque in Sospitum, conscensis festinanter
equis ex Kesmark, se Sigismundo Regi qui sibi non mo-
dici valoris obtulerat munera, insalutato eripuit. Cuius
repentino et insperato Sigismundus Rex Ungariae discessu
comperto, illum insequitur, et in uno milliari circa villam
Biala vix consequutum valuerat, neque ad aliquos tractatus
cum eo descendit, intelligens suam persuasionem repudiatum
iri. Quod quidem virus etsi tunc oppressum extinctumque
fuerat, processu tamen temporis Sigismundus Rex illud susci-
tavit, et in Regni Poloniae atque Ducatus Magni Lithuaniae per-
niciem grassari, illud et ebullire substinuit. Passum autem fu-
it oppidum Kesmark sub diebus quibus praefatus ageba-
tur conventus casuale sed late patens incendium, quo Ba-
rones et milites Poloniae in equis rebus et fortunis suis nota-
bile exasperant dispendium. Discedens itaque Vitoldus Dux
magnus ex Kesmark ad Poloniae Regem Vladislaum
in novam Sandecz reversus singulos tractatus cum Sigismun-
do Ungariae Rege habitos aperuit, et universos dolos quibus
eum ad defectionem et novi Diadematis assumptionem per-
licere conatus est, detexit. Habitaque iterum secretissima super
progressu belli contra Cruciferos gerendi deliberatione, Dux
Vitoldus obtenta a Rege Vladislao licentia, Lithua-
niam concito cursu in l'odicodis properat, et in Lublin ter-
cia die ex quo de Sandecz discesserat, quarta vero in Brze-
scie, ubi reditum suum consors sua Anna Ducissa opperieba-
tur, pervenit, omnes terras ditioni suae subiectas commo-
vet et consurgere iubet in internam expeditionem.

Precibus et multiplicibus instantiis Vladisla-
us Poloniae Rex sub diebus quibus in nova Sandecz agebat
Fratris Joannis de Bohemia praedicatoris sui viri religiosi et
exemplaris de Praemonstratensi ordine, qui pro illo tempore

rara

rarae sanctitatis vir habebatur, et qui verbo suae doctri-
nae, et vitae exactitudine multas virtutis in Poloniae Re-
gno plantaverat, persuasus, fundat monasterium sive
hospitale Sancti Spiritus in nova Sandecz de ordine or-
dine Praemonstratensi, et illi pro dote villam suam Dam-
browka, item viginti marcas census annui in Zuppis
Wielicensibus consignat, abbatemque in illo infulatum in-
stituit, hospitalis monasterio contigui et annexi et misera-
bilium personarum in illo degentium curam et regimen
habiturum

Perpendens Vladislaus Poloniae Rex,
quod nulla sibi de habenda pace cum Cruciferis spes re-
staret, omnibus baronibus, militibus et subditis Regni
sui Poloniae et dominiorum eidem subiectorum arma ca-
pessere, et contra Cruciferos in Prussiam procedere, missis li-
teris et [illegible] praecipit. Volens vero fines Regni sui
ab Ungaria relinquere securos, Joannem de Szczekoczyny
Castellanum Lublinensem de domo Odrowansow mili-
tem, in oppido et castro Sandecensi capitaneum relinquit,
et omnes milites de districtibus Sandecensi et Czchowen-
si, item milites de terra Biecensi, quam tunc Thomae
Episcopo Agriensi et fratri suo Ladislao de Ludborz
a facie Sigismundi Ungariae Regis fugientibus dede-
rat in tenutam, a Prussiana expeditione absolvens, in sola-
tium defensionis et conservationis futurae, si bello a Sigi-
smundo Rege Ungariae fines Regni Poloniae invaderentur,
parere singulos praedicti Joannis de Szczekoczyny imperio
iubens, adiunxit

Sabbato ante Dominicam Cantate, Vladi-
slaus Poloniae Rex ordinata partium Sandecensium
provisione, ex Sandecz egressus, per Czchow et Bochniam
transitum faciens feria tertia post Dominicam Cantate
Cracoviam advenit, ubi quindecim diebus immoratus, re-
siduos milites et curienses suos, quatenus in expeditionem
Prutenicam se disponerent, in consulares licentiat, et remittit.
Vocat insuper et stipendio conducit nonnullos Bohemos et Moravos
belli

belli peritos, qui exercitum regere, ordines ducere, loca apta
pro locando exercitu eligere nosse credebantur. Inter quos
fuere praestantiores Szoliot, Szolawa, Sbislawch, Gostha, Sta
nislawch et plures alij. Quamuis siquidem Vuladislaus
Poloniae Rex ex proprio milite fortem et numerosum habiturum
se non dubitaret exercitum, ad conducendum tamen peregri
num militem consilio suorum Poloniae Consiliariorum salu
berrimo ex causa multiplici et rationabili respectu fuit per
tractus, suadentium fortia et frequentia exterorum solatia
ad bellum gerendum ex eo potissimum respectu accersi, ut
si victoria Regi cederet, certum foret victos et stipendia
et quaecunq impetraverant, victoribus pendi oportere; sin mi
nus stipendium desideratum, capti et victi, non forent requisi
ti. Accedebat insuper ne milites forenses a Rege condu
cti, et conducendi donatiuo praeoccupati in partem hostilem
robur eorum aucturi transirent. Longa quidem fuit de hac
re inter Consiliarios Poloniae contestatio, Joanne de Tharnow
Palatino Cracouiensi, cuius sententiam caeteri tanquam viri
rarae dexteritatis sequebantur, ut proprij potius milites ad
bellum non obligati tanquam fideliores patriae operosius ad
nauandam victoriam operas suas mercedi adnexuri bra
seruentur, suadenti; Sbigneo de Breszye Regni Poloniae tunc
Marsalci sententia, forenses et peregrinos milites praeferendos,
utq magis Reipublicae conducere Regni si vicissent, non su
is hostibus aut Regni sed manubijs hostium satisfacturum,
si victi essent, nec eos qui repeterent, nec a quibus repeti de
beret, superstites relictum iri.

Nec praetereundum est, quod Vuladi
slaus Poloniae Rex antequam ex noua Sandecz discesso
nem fecisset, misit duos nuncios Andream Zaruchesium de
Olisznicza militem lingua Vngaricae peritum, et Stanisla
um Czolich notarium, ad Sigismundum Romanorum et
Vngariae Regem sollicitans illum et requirens, quatenus
foedus sufferentiarum secum, percussum et firmatum obser
naret. Qui tot et tam frequentibus Nuntijs Vuladislai Po
loniae Regis fatigatus respondit quod pro pace inter
Vuladislaum Poloniae Regem et Cruciferos reformanda
iri

ire personaliter Prussiam deliberasset, dummodo Vuladi
slaus Rex Poloniae transitum illi per Regnum suum per
mittat, et eum de salvo conductu provideat. Offerens pace in
ter Regem et Cruciferos reformata, non solum residuos
Treugarum annos se sincere custoditurum, sed etiam foedus
pacis perpetuae cum Rege et Regno Poloniae initurum. Re
deuntibus autem Regijs nuncijs cum huiusmodi responso,
Vuladislaus Poloniae Rex cupiens per quemcunque modum
cum Cruciferis vitare bellicum discrimen, Stanislaum
Czolek notarium ad Sigismundum Vngariae Regem cum
literis plenum salvum conductum continentibus remittet
spondens et offerens de reali salvo conductu per Regnu(m)
suum Poloniae sibi efficaciter providere. Sigismundus au
tem Romanorum et Vngariae Rex proposito suo et obla
tioni Vuladislao Poloniae Regi facta, variata, Prussiam
personaliter ire, impeditum se asserens distulit. Duos ta
men Baronibus Regni sui videlicet Nicolaum de Gara
Regni Vngariae Palatinum, et Stiborium de Stiborzicze
Palatinum Transilvanum Polonum generis de domo Ostoya,
Georgium de Herzsdorff Slesitam illis adiungens, Sci
ens quidem ad intermittendum bellum, re autem vera ad
emungendum quadraginta florenorum millia, quae se Ma
gister et Ordo Cruciferorum Sigismundo Regi si Vuladi
slaum Poloniae Regem diffidaret, astrinxerat, transmisit
Et si, quidem Sigismundi Romanorum et Vngariae
Regis nuncij Vuladislao Poloniae Regi ad tunc Cracoviae
immoranti, veniunt Cracoviam, habentes secum ducentos
equos in comitatu. Quos Vuladislaus Rex humanissime
tractatos et remuneratos in Prussiam per Regnum suum
ire permisit, datis eis tribus conductoribus, qui illis non
solum de salvo conductu sed et de omnibus necessarijs per
universum Regnum Poloniae largissime iuxta Regalium man
datum providebant. Eo autem respectu Vuladislaus Polo
niae Rex legatos Sigismundi Romanorum et Vngariae Regis
in Prussiam ire iussit, aut videlicet compositiuros pacem, aut su
sponsuros bellum, aut illos testes sua modestia futuros, penes
Cruciferos culpam omnium belli esse, ipsum iusta et plusquam ne
cessaria sumpturum et relaturum arma

Comparatis

Comparatis et dispositis Wladislaus Poloniae
Rex singulis, quae ad belli futuri Pruthenici progressum vide-
bat oportuna, relicto in castro Cracoviensi Nicolao Curowski
Archiepiscopo Gnesnensi, qui expeditione Pruthenica durante,
vices Regias agens universorum negotiorum emergentium
curam et expeditionem sibi habebat delegatam, feria quinta
ante festum Pentecostes ex Cracovia egreditur, et per Slo-
glam, Proszowicze et Vnyschiciam venit in novam civitatem
Korczin, residuis quoque omnibus militibus et civitatensibus
quatenus in bellum Pruthenicum se pararent licentiatis,
cum Anna Regina et exiguo adolescentum et eorum mi-
litum, quos pro custodia Regni relinquebat, numero, festa
Pentecostes, Sanctae Trinitatis, et Corporis Christi apud No-
vam civitatem exegit. Ubi ad eum socrus sua et genitrix
Annae Poloniae Reginae, Ducissa de Dech Anna filia Casimi-
ri secundi Poloniae Regis, iam enim alterum virum Ducem
de Dech priori Wilhelmo Comite Ciliae mortuo acceperat,
venit, Quae aliquot diebus apud generum commorata et
donis munerata regalibus ad propria rediit.

Festo Corporis Christi et eius Octavis
apud Novam civitatem peractis, Wladislaus Poloniae Rex
Sabbato ante diem Sancti Viti novam civitatem egreditur,
ad bellum contra Cruciferos profecturus, et per Stobni-
czam et Schydlow venit in Sluz, stetitque illic duobus
diebus, sub quibus pedestri itinere Monasterium San-
ctae Crucis Calvi montis ascendebat, diluculo, et tota di-
e genuflectionibus orationi et elemosinis vacabat, Commen-
dans se et causam suam divinae et Sanctae Crucis defen-
sioni. Nec recedebat ex orationibus et Monasterio ad refe-
ctionem nisi in crepusculo, totius diei abstinentia et ora-
tione defatigatus.

Morabantur autem pro ea tempestate
plures Poloniae milites et signanter Zawissius niger, Jo-
annes Sarnowy germani Farurei de Garbow de domo
Szulima, Thomas Kalski de domo Rosa, Albertus Mal-
ski de domo Nalencz, Dobeslaus Puchala de Vuangrow
de domo Vngenyawa, Janussius Brzoglowy de domo Grzi-
mala, Scarbek de Gory de domo Habdank, et nonnulli
alij in stipendiis Romanorum et Ungariae Regis curia

et

et obsequijs. Qui intelligentes Principem et Dominum su
um naturalem Vladislaum Poloniae Regem expeditionem
contra Cruciferos instaurasse, et inter suam Serenitatem, ac
Sigismundum Regem, cui obsequebantur, odia et simultates,
procellam tandem in guerrae perituras, exortas esse, recu
sata a Sigismundo Rege, qui eos donis et promissis varijs
conabatur et a proposito reducere, et apud se detinere, li
centia, relictis omnibus possessionibus, quas eis Sigismun
dus Rex in Ungaria donaverat, benepensis insuper fa
voribus suis et liberalissimis promissis discedunt ab eo,
et ad Vladislaum Poloniae Regem perveniunt, contra
hostes suos Cruciferos, et quoslibet alios militaturi. Quos
benigne et placide excipiens, fidei eorum praestantiam di
gnis praemijs compensabat, unde et tunc castrum Re
gium Bydgoscza Janussio Brzozoglowy militi audaci et
fortunato dedit in tenutam, de quo ipse multiplices ex Cru
ciferis referebat triumphos, et pluribus eos offensionibus
infestabat, sed et aliorum eiusdem societatis militum,
insignis, et in praelio cum Cruciferis commisso, et in pluribus
alijs actibus virtus Heroica saepenumero enituit

Miserat insuper Vladislaus Poloniae
Rex quadringentos equites militum et Curiensium suorum
in castrum Juniwladislawiensi pro praesidio Treugis in
ter Regnum et Magistrum atque Ordinem expirantibus
Regni metas ab hostili insultu protecturos, quibus Ca
pitaneus Juniwladislawiensis Borowiecz, et equis eorum
de omnibus necessarijs providebat. Alios etiam milites
et Curienses similiter defensionem hostibus oppositurus
in Brzescze collocaverat, qui simul uniti Treugis expiran
tibus in die Sancti Joannis Baptistae in borra quae Sliffo
wsha appellatur prope Thorun se posuerunt in latibulis,
Et Sole oriente tabernas ad ripas fluminis Visla
sitas, item villas Nyeschow, Murzinow, et alias plu
res pulcherrimas et bene locatas, in Magistri et Ordinis
Cruciferorum possessione tunc consistentes, sedenti Magi
stro Prussiae Ulrico cum Nicolao de Gara Palatino Ungariae
et Stiborio de Stiborzicze nuntijs Sigismundi Romanorum
et Ungariae Regis, et pluribus commendatoribus ad tabulam
in coena

inclara, igni absoluto incendunt, et ipsos quidem non molestum praebuere videntibus spectaculum. Quam incen sionem Magister Prussiae alterius plusquam molestè tulit, non damno illam deputans, sed pudori, et pluribus invectiuis in Poloniae Regem et suos milites qui id facinus committebant usus, ad Barones Ungariae fertur dixisse, Qualis est tra ctatus iste, et quam vafer, quem vestra interpositione no biscum agitatis de pace, cum sub meo conspectu fumos incendia caedes et spolia mei dominij patrari video. Recepit autem a Baronibus Ungariae communiùs respon sum, Non officit praesens incendium exiguum et breve pa cis dispositioni et tractatui, habet enim guerra conditio nem iusque suum, attendis quidem ad damnum modicum tibi ex Regno Poloniae datum, et non attendis damna cae des et incendia quae Regno Poloniae vastando et occupando terram Regni eiusdem Dobrinensem intulisti. Ut igitur facilior et efficatior possit per nos interponi tractatus, con sultum apparet nobis, ut aliquot dierum inter vos firme tur Treuga. Annuit ultro huic consultationi Prussiae Magister, et sufferentias pacis decem dierum tenere re promisit et literis firmauit. Quae Vuladislao Poloniae Regi et Regno suo quam maximis fuere necessariae et fru ctuosae, sub illarum etenim interuallo milites singuli et Ca pitanei Regij praeparabant se ad bellum, deposito omni hostili respectu, et regionis comitantiae inuasionem hosti lem non sustinebant, Ancer Vuladislaus Poloniae Rex cum omnibus potentijs adueniens, et terras hostilis inuadens, suis omnibus amplioram praestitit securitatem.

Monasterio Calui montis Sanctae Crucis feria quinta in die Sanctorum Geruasij et Protha sij Vuladislaus Poloniae Rex egressus venit in Bodzantin et illic duos dies mansit, propter aduentum Nunciorum Ducum Stolpensium, Stetinensium, et Magnopolensium, Offerentium Regi contra Cruciferos ampla quidem et fortia in verbis, in virtute autem et effectu simultanea et vulnerea subsidia. Quibus Vuladislaus Rex expe ditis, Sabato ex Bodzanczin iuit in Bliszini, die Dominico venit in Zarnow, feria secunda in Szulcow, feria vero

tertia

tercia in die Sancti Joannis Baptistae audita Missa in
Monasterio Sulejoviensi, et facto illic prandio venit in
Vuolborsz oppidum, in quod iam iuxta iussum Regis non
nulli Praelati et Consiliarij Poloniae, vero exercitus fere
omne robur praeter gentes et militis maiores Poloniae, quae
Regi nonnisi circa Vislam obviaverunt, item Sobol Bo
hemalis Baro cum alijs exteris militibus donativo con
ductis, item Subventiones et quadrigae bombardarum
et commeatuum, caeteraque belli apparamenta convenerat.
Illic Vuladislao Regi tribus diebus cum Consiliarijs in
deliberationibus assidue stante, veniunt ad suam Se
renitatem nuncij Baronum Ungariae Nicolai de Gara
et Stiborij de Stiborzicze significantes se Treugas decem
dierum a die Sancti Joannis Baptistae inter Regem et
Cruciferos confecisse, petentes Regem ut illas meminerit
observari et non permitteret Sigillis terras interim ve
xari aut offendi. Eas inducias Vuladislaus Rex ac
ceptat, erant enim sibi et suae parti plurimum utiles, quo
niam infra dies Treugarum poterant exercitus Regni
sui Poloniae et Ducatus Magni Lithuaniae convenire et
terras Cruciferorum contingere.

Feria quinta post festum Sancti Jo
annis Baptistae egreditur Vuladislaus Poloniae Rex
cum copijs et agminibus exercituum suorum, facto pran
dio, de Vuolborsz, et prima stativa agens in Lubochnya,
feria sexta in Vyszolinnicze, Sabbato ad ferrifodinam
Archiepiscopalem et piscinam magnam vocatam Szczymicze,
ubi fulmen plures equos et unum hominem occidit, al
terum semivivum relinquit, scutellam vero plenam co
ctis piscibus, in tentorio Dobeslai de Oleschnicza militis
ad tabulam pluribus manducantibus positam confusum
fecit, neminem tamen discumbentium nocuit. Die domi
nico in festo Sanctorum Petri et Pauli in Kozlow vil
lam Episcopi Posnaniensis supra flumen Bszura posi
tam, pervenit, nuncium Alexandri Magni Ducis Lit
thuaniae accepit significantem, Ducem Alexandrum ad
flumen Narew cum suis et Tartarorum copijs perve
nisse

nisset, petentemque Regem ut aliquot Banderia gentium Po
lonicalium in occursum sui et conducendum transmittat. Time
bat enim progredi inter hostium ultra Narew, cui Vladi
slaus Rex illico duodecim banderia de militibus Polon
icis transmisit

Feria secunda in Crastino Sanctorum
Petri et Pauli, motis Vladislaus Rex ex villa Kozlów ca
stris, venit ad Vistulam supra Monasterium Czyrwinsko
ad locum, ad quem pons ex navibus apud Cozmierz or
dinatus, applicatus erat, et die quidem illa transijt Rex
pontem et flumen et universus exercitus regius ordine grato
cum quadrigis et mole bombardarum et commeatuum,
caeteraque mole, sequebatur. Jam siquidem illuc potentiae et ro
bur exercitus universi Poloniae Regni, sed et Si duo Mazo
viae Duces Janussius et Semovitus, cum suis exercitibus, mer
cenarij quoque milites convenerant

Transito et superato flumine Vistula, por
tis navalis beneficio, Vladislaus Poloniae Rex, statiua
sua ad alteras ripas eiusdem fluminis Vistula posuit. In
quo die eodem, Dux Magnus Litthuaniae Alexander cum
gentibus suis et Tartarorum Imperatore trecentos tantum
modo Tartaros habente in suo comitatu advenit. In cuius
occursum Vladislaus Poloniae Rex cum caterva principum
et militum suorum ad quartale unius milliaris exivit, et
benigne illum excipiens ad castrorum loca deduxit. Te
nuit autem Vladislaus Rex et Dux Alexander in loco
illo tribus diebus statiua, quousque universus exercitus omni
um terrarum Regno Poloniae subiectarum advenit et pontem
atque flumen transijt. Observat autem Vladislaus Rex ad
pontis ingressum optimum ordinem, et milites armatos, qui
pressuram et confusionem ingredientium prohiberent, loca
verat, Latera insuper grossis lignis quae Kobylnyce vocantur
ut nemo latera occupare posset, munierat, cogebanturque
omnes ad introitum pontis aequali et distributo ordine cum
curribus, personis, et equis advenire. Postquam universus
Regius exercitus, ponti sustentanti flumen Vistla transijt,
iussu Regio pons ipse illico solutus, et in Ploczko ad summe ex
ercitus reditum conservandus, reductus est.

Infra

Infra dies autem illos tres, quibus Vula
dislaus Rex et Alexander Dux circa flumen Vissla immo
rabantur, festum Visitationis Sanctae Mariae in feriam quar
tam cadens, uterque cum fratribus suis, et militia, in Mo
nasterio Czyrwieńsko egit. In quibus autem Plocensis Epi
scopus velut loci Dioecesanus, Missa solenni officio celebrata
sermonem etiam in vulgari Polonico, apud universum exer
citum ad aedes sacras in frequentissimo numero congre
gatum habuit, multaque de bello iusto et iniusto, cum esset
vir rarae literaturae, habens donum sermonis, disserens,
multiplici et evidenti ratione bellum Regium contra Cru
ciferos assumptum, iustissimum fore deduxit, et omnium au
dientium militum pectora, miro persuasionis modo in
defensionem Regni et patriae, ad dimicandumque viriliter
contra hostes animavit.

Sub diebus etiam illis venit Dobeslaus
Skoraszowski nuncius Baronum de Ungaria, Nicolai
de Gara, et Stiborii de Stiborzicze ad Vuladislaum
Regem, petens suorum dominorum nomine, quatenus di
gnaretur illis diem et locum consignare, in quo et ad quem
possent ad suam Serenitatem accedere, exploraturi et re
laturi mentem regiam, super tractatu futurae pacis, postquam
iam mentem Magistri Prussiae et suorum agnovissent. Vula
dislaus autem Rex deliberatus nuncio respondit, Domi
nis tuis ad nos venire volentibus Sabatum et Dominicam
proxime venturos dies assignamus, locum autem certum
assignare non possumus, eo quod exercitus nusquam in cer
tis locis subsistit, nec praeter transitum suum aliquibus
distinctis determinare locis. Dum autem Dobeslaus prae
dictus in Thorun ad Barones Ungariae redisset, et respon
sum Regium renunciasset, Prussiae Magister Ulricus cum
magna cepit et ab eodem Dobeslao diligentia, an ex castris
Poloniae Regis venisset, et in quo loco illum dimisisset, requi
rere. Quo respondente mansi inquit in castris Regiis biduo,
et cum in stationis flumine Visla superato ad Monasterium
Czyrwinsko reliqui. Quaerente deinde Magistro an Dux
Litthuaniae Vithaudus secum venisset, Dobeslaus re
spondit, ita, inquit, Dux, quia ego in castra Regia veni Dux Ma
gnus

gnus Alexander in potenti splendido et numeroso exercitu advenit, et potentias suas cum Regijs coniunxit. Tum Magister, in Vithaudi exercitu maior posset reperiri numerus cochlearorum, quam armorum, Dobeslaus, Credas velim mi Magister exercitum Vithaudi Ducis non solum magnum et potentem, sed et optimis armis vestitum esse. Magister, Melius illum nos quam tu novimus et quantus aut qualis sit, quibusque viris, armis, et equis polleat, frequenti usu experti sumus, sed narra quaeso nobis de ponte quem asseritur Poloniae Rex in aere fabricasse, Dobeslaus, Vidi, inquit, pontem ex navibus subtili opere elaboratum non in aere quidem cum ille solis volatilibus asserit, sed in flumine Vistla positum, quo universus exercitus Regius per Vistlam me inspectante sicco vestigio transierat, grandes quoque bombardas gravissimas, nec notatus est sensisse. Magister vero Prussiae Ulricus, cachinno edito relationem Dobeslai ludibrio deputans, ad Barones Ungariae convertens sermonem, Levia, inquit, sunt haec et omnem speciem continentia mendacij, quod homo iste ausus est referre. Venerunt enim fidissimi exploratores nostri significantes quod Rex Poloniae circa Vistlam flumen versatur, et obequitat, et conatur quidem illum sed non valet superare, iamque plures sui vada tentantes undis mersi sunt. Vithaudus vero iam circa flumen Narew immoratur, et transgredi illum non audet. Quo audito Dobeslaus Skoratzowski sermonis Magistri refellens aiebat, Postquam ambigua fuerit meam relationem astruis, qui nomina, de quibus a me quisisti, sincere tibi explicavi, quemcunque fideliorem inter tuos habes, mitte mecum, et infra triduum singula quae retuli vera esse monstrabo, Tum vero Magister, Non est, inquit, necesse nam eventus et experientia declarabunt veritatem, tu enim loqueris ut Polonus et potentiam ac res tui Regis ultra iustũ effers.

Feria quinta in crastino Visitationis Sanctae Mariae movit Vladislaus Poloniae Rex suos, et Ducis Magni Lithuaniae Alexandri exercitus, a loco Vislae et Monasterij Czyrwensko, Et versus terras hostiles pergens apud villam Zorbow stativa ~~tenuit~~ tenuit. Cui in itinere

constituto

constituto nunciatur clades ingens, quam Janussius Brzozoglowy Capitaneus Bydgostiensis in Cruciferos et eorum gentibus patraverat. Is siquidem exspirantibus decem dierum Treugis ad offendendum hostis semper intentus, collecta non perexigua gentium manu ad castrum et civitatem hostilem Swiecze noctu contendit, et positis in loco apto insidijs, spolia ipsi et incendia ante Swiecze incastigato suorum numero agit. Quo viso Cruciferi qui Swiecze observabant, confestim equis ascensis, Janussium Brzoglowij fugientem persequebantur, existimantes eum in tam parva gentium caterva advenisse. Qui ab eorum conspectu studiose fugiens, hostes usque ad insidiarum locum perduxit. Militibus autem, qui in insidijs latebant, consurgentibus, hostes et a tergo et a fronte circumventi, cum evadendi nulla spes aut occasio subesset, in certamen ex desperatione accenduntur, proeliumque atrocius quam pro numero edunt. Ad extremum tamen universi aut capti aut occisi, quinque ex ordine fratres praeter desideratos in numero captivorum habebantur. Hoc primordium simulque omen belli de summa rerum pronuncians, quemadmodum Polonos prosperitatem bellicam, ita Cruciferos cladem habituros portendit infestam. Ingenium itaque Brzozoglowy et animi audaciam quam in conficiendis rebus solebat ostendere, Magister et Cruciferi veriti, ad cavendum et repellendum diligentius eius insidias Henricum Plawinski Commendatorem Swyeczensem cum omnibus districtus Swieczensis militibus apud Swiecze relinquunt, adiunctis etiam illi nonnullis mercenarijs militibus, invasionis praedacionisque Brzoszoglowij prohibiturum potius, quam aperta vi quicquam ausurum

Feria sexta quarta die Julij, de Zochow Vladislaus Poloniae Rex egressus, apud prata cuiusdam ignotae villae, diem illam exegit. Ubi nocte insequenti visi sunt ignes per gentes Regis iam in terris hostilibus

hostilibus accensi, maximo splendore in locis varijs collu
cere, licet enim iter quatuor dierum exercitui ad terras
hostium adhuc restaret, multi tamen de regio exercitu disci
plina militari neglecta, iniussu Regis et Principum sua sponte
se in terras hostium clandestinis itineribus conferebant, et
eas spolijs caede et igne vastantes, opima spolia et praedas
in castra noctu, cum interdiu castigationem vetiti non
auderent, referebant
Sabbato quinta die Julij Vladislaus
Rex ad villam Hessow castra ponit. Illic quoq a Ba
ronibus Vngariae Nicolao de Gara et Stiborzio de Sti
borzicze aditus est, qui illum et Ducem Magnum Lit
thuaniae Alexandrum pacem accipere, pacisque di
cere conditiones exhortabantur. Venerat et cum eis Ge
orgius Herzdorff, potentiam et ordinem exercituum Re
gis et Ducis Alexandri exploraturus. Die vero do
minico sequenti, quae erat sexta Julij Vladislaus Polo
niae Rex, exhortationi Baronum Vngariae, deliberatione
cum Duce Alexandro et Consiliarijs habita, respondet
Nunquam se a quietis consilijs alienum et exortem fu
isse, nunc quoq ne Catholicorum fundi sanguinem contin
gat, nullam aequam pacem abnuere, Pacem autem tunc
aequam fore, si et Ducatui Magno Litthuaniae terra sua
vetusta et naturalis Samogitia integra remaneat, terra
vero Dobrzinensis a Magistro Prussiae et Cruciferis occu
pata iniuste, Regno Poloniae et sibi reddatur, De damnis
vero illatis arbitrio et decisioni Sigismundi Romanorum
et Vngariae Regis se offerebat staturum. Contenti et exhi
larati Vngariae Barones, sperantes Magistrum et Ordinem
Cruciferorum in conditiones propositas velut aequissimas
ultro consensuros, etiam prandio Regio refecti sunt. Quo
exacto, movit Rex castra et de illa in villagium unum,
supra fluvium Vnkra consudens pervenit. Alexander
autem Dux Magnus Litthuaniae die illo Litthuanorum
ordinat exercitum, et dividens illum vetusto patriae more
per cuneos et turmas, in quolibet cuneo milites in equis
humilioribus aut parum bene armis vestitos in medio con
stituit, quos alij in equitatu potiori et insigniter armati inclu
debant

debant. Cunei autem huiusmodi pressi et glomerati ordinum varietatem absorbebant, unus tamen cuneus ab altero per lati patentis et distincti spacium tendebatur. Hos tandem cuneos Alexander Dux Magnus Litthuaniae quadraginta signis, quae Banderia vocitamus attribuit, et singulas quasque cohortes et turmas sequi signa et parere suis ducibus iussit. Ascenderat autem Vuladislaus Poloniae Rex cum Ungeriae Baronibus editiorem collem, ex quo universus suus exercitus Polonicus et Litthuanicus poterat propter subiectam et late patentem camporum planiciem videri, subter quem etiam exercitus Litthuanicus distinctis iam ordinibus ibat, quem praefatus Georgius Herzdorff Slesita attentissime quantus foret estimabat. Eodem insuper die iussu Regis simultaneus hostium nunciatur adventus, et universus Regius commonetur in arma exercitus. Eo autem respectu Rex hostes venire, quamvis de eorum adventu nulla haberetur suspicio, nunciari et quasi hostes pugnaturos adesse turbari praecepit, ut exercitus suus Polonicus et Litthuanicus ad securitatem, somnum, et desidiam se non resolveret, sed pro omni hora suspitionem de venturis hostibus habens, non secus quam si in conspectu hostis foret, paratus ad resistendum et dimicandum staret.

Feria secunda septima Iulij motis Vuladislaus Poloniae Rex castris, venit in villam Bardzino, supra fluvium Vulcra sitam et biduo illic stativa tenuit. Quamvis autem districtus illi, quem praefatus fluvius Vulcra ambit et circumfluit, sit et fuerit de sorte Mazouiensis Ducatus, tunc tamen illum Magister Prussiae et Cruciferi in quinque millibus marcarum latorum grossorum a Semovito Duce Masoviae obligatum detinebant. Propter quod Litthuani et Tartari iuxta ac terras hostium, districtum illum ferociter et barbare vastabant, et non solum puberes sed et impuberes, et in cunis vagientes parvulos occidebant, alios autem cum matribus in sua teritoria ad captivitatem perinde

ar

ac hostis et exteros pertrahebant, cum omnes districtus illius hominis et generis et linguarij Poloni forent. Veniebant autem nuper interfectorum parvulorum sparsis crinibus matres et magno ululatu ante Regium tabernaculum trucidationem pignorum suorum deplorabant. Quare Praelati et Barones Poloniae perciti, singuli Regem oratum observatumque veniunt, causam tam trucidatorum quam captivorum hominum quam conditioni militari conveniebat agunt, crudelitatem barbaricam rescindi, et captivos suis reddi precantur, quod ni fiat, omnes se militiam et castra tam nefaria ultionem divinam tandem excepturam, pronunciant deserturos. His Vladislaus Poloniae Rex cum Alexandro Duce Magno Litthuaniae non secus quam par erat obtemperans, omnes captivos solvi, et ad tabernaculum Alberti Jastrzembiecz Posnaniensis Episcopi scrupulose recolligi, suisque et libertati reddi iussit, capitale insuper si quis illam crudelitatem renovaret censuit. Extitit autem Pater optimus Albertus Jastrzembiecz Posnaniensis Episcopus ex suo territorio, et mulieres atque parvulos in illo benigne et recolligi et asservari spatio noctis insequentis permisit. Ab illo quoque loco sequi Regem desistens, in Poloniae quoque Regnum obtenta a Rege licentia, rediit, quem usque in ea castra ex Regno Poloniae comitabatur.

Feria quarta nona Julij ex villa Bandzino Vladislaus Poloniae Rex cum Alexandro Duci magno Litthuaniae egressus, in terras hostilis feliciter ductu asperoque itinere, borra itinere duorum milliarium propitiatione divina superata, et in planiciem cuiusdam campi longius in omnes partes porrectam perveniunt. In qua primum signa militaria duo et octuaginta numero, tum propria Regia et Alexandri Magni Litthuaniae Ducis, quam Ducum Masoviae Semovithi et Janussij, quam Baronum Poloniae excita et extensa sunt, cum rara atque singulari omnium devotione et maerore. Rex siquidem Poloniae Vladislaus vexillo

magno

magno in quo aquila alba alis extensis, rostro aper
to, Diadema in capite gestans subtili arte contexta
erat, quae est totius Regni Poloniae insigne, vocan
tibus omnibus acceptis, ea observatione in illius extensio
ne utebatur

Tu, qui omnium cordium secreta, priusquam
concipiantur nosti, clementissime Deus, ex
alto prospicis quod praesens bellum, in quo
sto coactus, in tuo et Christi filij tui nomine con
fisus auxilio, suscepi. Varijs siquidem labori
bus, impensis, et ingenijs pacem cum omnibus
Catholicis, et praesertim Cruciferis, quamvis
pro eorum demerito et terrarum Regni mei
occupatione facta et illata, in eos fuerim
iratior, custodire gestiebam. Spretis tamen
aequis et iustis conditionibus meis, non me
illam reor, nisi armis et ferro apud superba
et fastuosa pectora consequuturum. In tuo
itaque nomine pro defensione iustitiae et gen
tis meae vexillum istud extendo, Tu piissime
Deus velis mei, et populo meo esse propiti
us defensor, et adiutor, et sanguinem Catho
licum fusum et fundendum, non de mea, sed
de hostium meorum manibus, qui id concita
runt, et alunt, bellum, requiras

Is sermo in ea devotione et humilitate, sonoritateque ut
a circumstante militum concione exaudiri posset, a Rege
depromptus, magnae parti exercitus excussit lachrimas,
vultusque singultibus et lachrimis plurimos indulgentiis
Simili quoque devotione Dux Magnus Lithuaniae A
lexander, Duces insuper Masoviae et Barones Polonia
in suorum extensione signorum utebantur, quibus dispo
sitis et extensis universus exercitus patrium carmen
Bogarodzicza coepit vociferari. Omnibus autem Bo
hemis et Moravis, qui bellorum periti putabantur, cu
ram et ordinationem exercitus Regij et Ducatum susci
pere, et Principibus militiae officium gerere, ne in ipsorum caput

parum

parum prospera ductionis recideret eventus, propter
cuius molem et numerositatem fastidientibus, cura et or
dinatio illius Zindramo de Maszkowicze gladifero
Cracoviensi nobili de domo quae Solem pro insigni defert,
mandata est, viro quidem statura parvo sed facundo et
animoso, non enim aliquis ex Bohemis et Moravijs apud
Regem merentibus tantum exercitum providere et Regere
aestimabatur idoneus. Extensis itaque in praefata pla
niciae signis, processit Vladislaus Poloniae Rex, et die
illa inter duos lacus, quorum vocatur unus Dzezino
alter Chelsz prope oppidum Luterberg iam per gentes
suas spoliatum et exustum, castra metatus est. Contigit
autem die illa novum inauditumque spectaculum, dum
siquidem Polonorum Proceres et milites viderent Litthuanos
et Tartaros in Ecclesiarum spolia, in matronarum et virgi
num oppressiones barbarice grassari, et in cuiusdam Eccle
siae spolio corporis dominici Sacramentum ex Sacrario eie
ctum, ludibrio et despectui haberi vehementi, intrinsecus
tacti dolore, veriti quoque ob eas abominationes, et univer
sum exercitum a iusto Dei iudicio ultum iri, iterata que
rela Vladislaum Poloniae Regem et Alexandrum Litthua
niae Ducem conveniunt, crudelitatis barbaricas depro
munt, asserentes se illas, ni abrogentur, et debita plectan
tur animadversione nullo pacto toleraturos, et nec ad si
gna neque ad ordines, nisi ultione debita sequuta, ituros. Quo
rum clamoribus et invectivis sermonibus Rex calefa
ctus, Ecclesiarum spoliatores et Sacramenti dominici in
honoratores perquiri studiosissime iussit. Cui cum duo Lit
thuani magis culpabiles oblati fuissent, iussu Ducis Ma
gni Litthuaniae Alexandri seipsos in patibulum agere
coacti sunt. Qui iussa Ducis Alexandri complentes,
primum patibulum propriis manibus contextum ponunt,
deinde illud nullo impellente conscendunt, ad extremum
sibi ipsis iugulum iniiciunt, praemissa voce ad alterum
qui cunctatior videbatur correptione, ut alterius impe
rata

rata, antequam ira Dei eos altius exscandesceret, exe-
queretur. Ea res ab universo exercitu spectata et visa,
tantum deinceps pavorem singulis incussit, ut nemo Ecclesijs
vim inferre, nemo ad Ecclesiarum spolia manus rapaces
extendere auderet. Nam etsi pro omni tempore, praecipue
tamen cum bellum immineat, illicitis implicari non licet,
et non solum magna et execrabilia, sed et quaeque minima
facinora timore scrupulosius convenit purgari et restringi,
ut rectis et sanctis actionibus divina placata maiestas,
successus prosperos, et votivos triumphos largiatur

Feria quinta ante festum Sanctae Mar-
garethae, quae fuit decima dies Julij Vuladislaus Poloniae
Rex a lacubus oppidi Luterberg movens castra, et duo
milliaria conficiens, mane, nondum rore decidente, ve-
nit ad lacum magnum Rubkowo prope castrum et oppi-
dulum Curzetnik, castraque supra lacum constituit. Exer-
citus autem Magistri Prussiae haud procul a castris
regijs agebat stativa post fluvium Drwancza, cuius
utramque ripam Cruciferi multis ante diebus, spissis
altisque tignis, ne ab exercitu Regio transiri posset, mu-
nierant. Cognito itaque aliqui milites Poloniae exerci-
tum Cruciferorum de prope esse, ad lacessendum illum
accurrunt, et quinquaginta equis hostilibus, qui in flu-
mine Drwancza adaquabantur, sessoribus derelictis, po-
titi, incolumes ad castra regia perveniunt, Quibus vi-
sis Regius exercitus, aut refectionem sumens, aut corpo-
ra curans, hostis propter equorum raptorum speciem
ratus, in immensum commotus est, et prandia linquens
raptim induit arma, pulveribus complet aethera, so-
le desuper nimium effundente aestum, discusso tandem
vano metu, exercitus quievit. Advesperascente au-
tem et Solis mitigato fervore, convocatis Vuladislaus
Poloniae Rex primoribus Consiliarijs, octo tantummodo
ex eis legit, qui de progressu totius belli, ceterisque in tentorijs
si-

se continentibus, consulant, provideant, statuant, et ordinent, summa quoque belli et muneris eius apud illos consistat. Nominat itaque et eligit primum fratrem suum Ducem Magnum Litthuaniae Alexandrum, Cristinum de Ostrow Castellanum, Joannem de Tharnow Palatinum Cracoviensem, Sandivogium de Ostrorog Palatinum Posnaniensem, Nicolaum de Michalow Palatinum Sendomiriensem, Nicolaum Prepositum Sancti Floriani Vicecancellarium, Sbigneum de Brzesze Regni Poloniae Marsalcum, et Petrum Safraniecz de Pieskowa Skala Succamerarium Cracoviensem. Hi autem octo secretissime de omnibus deliberabant, et concludebant agendis, et signanter quo itinere exercitus incedere, et in quibus locis castra in crastinum mutari debebat, duobus ductoribus videlicet Troiano de Crasznystaw, et Joanne Grinwald advocatis de Parczow, qui ambo ex Prussia orti omnes illius semitas, omniaque loca et itinera probe norant, et qui continue ante fores Consilij astabant, aliquando in consilium cum de stationibus et itineribus crastinis aliquid differendum foret adhibiti. Preventum autem erat et strictissime prohibitum, ne quisquam auderet egredi de exercitu, donec Marsalcus Regni Poloniae Sbigneus, cum signo Regis minori, alias Proporzec, egrederetur, et quoque illum singuli nullo praeire ausu sequerentur. Item ut nemo tuba in universo exercitu canere auderet, praeter unicum tubicinatorem Regium, ad cuius primarium sonitum ante auroram vel in diluculo aut quocunque alio tempore editum, consurgebat et se armabat exercitus, ad secundum vero sonitum sellabantur equi, ad tertium movebatur et procedebat exercitus, sequens Marsalcum praecedentem et signa sub quibus consistebat. Dux itaque Alexander Lithuanus vir sedulitatis rarae cum septem praefatis Consiliarijs agitando, quaerendo, consulendo, advocatis interdum ductoribus, et locorum sciolis exquirebatur quem crastino castris locum exercitus caperet, qua postero die castris motis tutum maxime, compendiosius,

atque

atque arduus foret iter, quo opportuna aquatio, quae
pabuli lignorumque copia suppeteret.

Quanquam autem Vuladislaus
Poloniae Rex, pace aliquoties petita, omnia et ipse consilia
in bellum verterat, dedit tamen illo militem suum Petrum
Corczborg nobilem de domo Korczborg quae tres carpio
nes fert pro insigni, ad Barones Ungariae tunc in exer
citu Magistri Prussiae et Cruciferorum, haud longe consti
tutos, exigens ab eis certum super pacis confectione
cum Magistro et Ordine firmanda, responsum, et an ali
qua spes de confirmanda et reformanda pace restaret
requirens, transmittit. Qui iuxta iussum et instru
ctionis Regis ad castra Cruciferorum perveniens, Un
gariae Baronis de dando finali responso convenit et
requirit. Illi deinde Magistrum et Commendatores conve
niunt, pacemque multiplici persuadent ratione, sed et con
ditiones pacis per Regem Poloniae oblatas, docent aestim
andas aequas et honestas esse, magnopere sollicitando
illos, ne antiquam descensum foret in aevum, cum commu
nis Mars et incertus admodum belli eventus, pacem
aequis conditionibus accipere non detrectarent. Magi
ster autem Prussiae Ulricus de Iunigen in secretum con
silium secedens, aliquot Commendatoribus assumptis, vi
delicet Friderico Vualrats Marsalco, Conrado Lichtenstein
Magno Commendatore, Vernero Tetingar Elbingensi,
Sworczborg Toruniensi, Comite de Verneda Meviensi,
Gotsfredo Hoczfelts Nyessoviensi, Henrico Tsuvelensi,
Vilhelmo Nippem de antiquo castro, Nicolao Vilcz in
Schonsee, Vilhelmo Elsercz in Grudziancz, Burhardo
Vuolsleli in Engelszberg, Boldevino Stollin Brodnicensi,
Arnoldo de Baden Slucoviensi, Peczensam Osterrodensi,
Alberto de Eczbor in Seesno, Markwardo de Zalczbach
Branburgensi, Joanne comite de Sein Thoruniensi et aliis,
aliquanto tempore de summa pacis et belli deliberat. Et

cum

cum tam Magister Ulricus quam sui Commendatores
a nullo unquam hoste se conflictum aut oppressum iri va
na superstitione, quod quasdam sanctorum retinerent reli
quias, rebantur, procliviores erant arroganti spiritu in bel
lum, quam in pacem, tali Magister superbus per organum
Vuolrati Marsalci, Baronibus Ungariae dedit responsum,
Non abnueremus sequendum Magnificorum virorum persuasionem
et inductionem vestram fore morigeri, et pacis cum Rege Polo
niae ingredi tractatum, si Rex ipse ante ingressum hostilem
in terras nostras factum, pacem in terris Regni sui positus
quaesivisset. Nunc vero postquam Poloniae Rex terras Or
dinis nostri, incendiis, spoliis, et damnis gravibus aggressus,
pacem quaerit, turpe indicamus nobis post tot damna et
iniurias pacem aliquam cum eo practicare, postquam ab
eo tempore, quo Ordo noster in aliis terris plantatus est
nemo unquam Regum aut principum, iuxta ac ipse, terras Or
dinis nostri, tam infesto agmine praesumpserit invasisse. Pro
pter quod ad practicandum pacem cum Rege praedicto, nul
lis persuasionibus flecti possumus, nullis precibus aut ratio
nibus deliniri, donec data ab eo Ordini nostro damna et
iniurias vindici mucrone nostro ulciscamur. Certaminum
dirimque nostrorum discordias, non verba vestra Caesareo
licet nomine prolata, nec cuiusvis alterius potestatis inter
positio, sed gladius et arma de caetero diriment, postquam
populari regiones nostras, et uri tecta conspeximus, incen
dia nostra hostili sanguine restinguere. Tam superba et
arroganti responsione Baronis Ungariae audita, iterum
atque iterum sollicitant, persuadent, atque instant, quatenus
iuxta Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis inter
positionem, ad pacis tractatum et amplexum se flecti
et trahi permittant, et mitigatis passionibus quaelibet
pacis media, prius quam certamen et arma experiri non
fastidiant. Verum inconsulto, tum ira, tum superbia, Ma
gistro et Commendatoribus, furore agitatis, in dato quoque re
sponso acerbo quidem et ab omni aequitate abhorrenti per
sistentibus, solus Comes de Vuindi Commendator Mewen
sis, inter tot, qui pacem oderant, amplectendam pacem persua
dens

dens verba facit. Optimum, inquit, et salutare videtur mihi, iamdudum quid pax quid bellum ferat experto, quibuscunq. iniurijs et damnis per Regem Poloniae quomodolibet irrogatis non assensis, vincendi et ulciscendi voluntate abiecta, in pacis deveniri tractatum, postquam etiam multoties exercitibus et acribus in conspectum venientibus et ad congrediendum accinctis, pax practicatur et conficitur. Et enim belli eventus dubius sit, torrenti etiam discriminum alluvione cuncta permiscens, meliorem certam pacem quam speratam victoriam iudico. Hoc sermone Vernerus Thetingar Elbingensis Commendator offensus, passionem animi cohibere non valens, Comitem de Wende Commendatorem Mewensem carpere coepit, Potius, inquit, Commendator Mewensis tali animo, quem sic eructas, qualificatus, in domo et sub tectis remansisse, aptior curandis fratribus languidis, quam belli artibus. Qua sigillatim Comes de Wende parum motus respondebat, Ego quidem non ambigo me et fideliter et utiliter pro pace consuluisse, et discrimine meo pacem omni bello praestantiorem indicassi, execrabili existimans ut in dubiis nostris, pacis omissis medijs, quae offeruntur, sanguis Catholicus fundatur. Et quamvis pacem persuaderem, pacemq. summe exoptem, ubi tamen permittente Deo pugnam funesto Marte inire contigerit, strenue quemadmodum sanguini ingenuo convenit, decertabo. Tu vero quid qualiter et quomodo consulis, providentius attendas, idq. quam maxime caveas, ne intra hos parietes ferociter quid de bello disputans, ex futura dimicatione velut galeatus lepus fugam capessas. Caperat post hac, rixam Commendatorum, ~~unus~~ intercipiendo, ex Baronibus Hungariae unus, Stiborius de Stiboricze, alijs itemq. alijs medijs pacem suadere, et militem se veteranum in bellis assiduum, multas quoq. belli varietates et conditiones expertum, crederent saltem sibi, et dum liceret pacem non respuerent. Accepit autem a Magistro Prussiae celerem responsum, Loqueris, inquit, Stibori, ut Polonus, scimus enim te ex Polonia et ex terra Cuiaviensi.

ens. ortum esse, et propterea in partem et fauorem gentis
tuae pacem persuades et consulis quam nulla tenus meditet
Ordini licet acceptare. Qua in re magnum constat Crucife
rorum vitium esse, quod superbam prae se ferebant arrogan
tiam, tantisque se et viribus et opibus iactabant pollere, ut
non putaverint inter Reges orbis fore quemquam, qui illis
bello et pugna aequari possit, tantumque a ceteris omnibus
differre sibi debere arbitrabantur, quantum sibi ipsi ani
mo et cogitatione futurarum assumpserant. Fugerat ipsos
illos tali caligine obcaecatos, neminem tacito consensu
omnium probatum aut validum fuisse, cui periculum etiam
ab imbecilli non immineat. Barones Ungariae animum
Magistri et suorum Commendatorum intelligentes ad pa
cem aequis conditionibus suscipiendam inexorabilem esse,
Nuncium Regium Petrum Corezborg remittunt, significan
tes Vladislao Polonorum Regi se quidem omnia studia
ingenia ac labores impendisse, impensurosque quoad licebit
fore, nondum tamen Magistrum et Commendatores suos
in acceptandam pacem induxisse, necdum etiam spem
ordinandae pacis deposuisse, offerentes se Regem per pro
prium nuncium in crastino mittendum, de finali intentio
ne Magistri et suorum certificaturos. Redeunte autem
Petro Corezborg ad Regem, et responsum Baronum Un
gariae referente, singula quoque, quae idem Petrus Corezborg
in Cruciferorum exercitu viderat et odoraverat decla
rante, intellexit Vladislaus Rex Poloniae nullam amplius
de pace habenda sibi spem superesse. In eam siquidem dum
tam Vladislaus Poloniae Rex et Alexander Lithuaniae
Dux, quam eorum proceres et consiliarij pacem et opta
bant et sperabant, et ea spe illecti ad fluminis Drwancza
ripas ad statiua Cruciferorum regius exercitus pro
pinquabat, ut si pacem practicari contingeret, facilius
pacis actibus possit vacari, utriusque partis copijs
in altera ripa constitutis. Relatione autem Petri Cor
ezborg avisatus et instructus Rex, Prussiae Magistrum
sorti suae destinatum, et cuiuslibet sani consilij imparen
tem, singula pacis media contempsisse, quodque fluminis

Drwancza

Druwanza altis tignis in ripa utraq munitus, absq certamine transmeari non posset, Hostili exercitu ripas eius taliter munitas, bombardis, sagittis, et quibuscunque propugnaculis defendenti, dubitari ceptum est utrum pergeret Rex, qua capessitive via, amnemq Druwanczam pontibus extensis superaret, an obliquando paululum retrocederet. Tandem consilio optimo et salubri usus, ire retrograde, et flumen in ortu eius sub eo vestigio decrevit superare, satius, ut erat, indicans, parvam moram temporis et fatigam retrogradam subire, quam exercitum et eius milites, propediem publica acie cum hostibus dimicaturos, superando flumina, in discrimen committere. Retrogrado etiam fluminis itinere a superuacuo pontium liberandus labore, faciliq ratio tam salubris consilij accepta est, et tandem data in executionem

Sexta feria ante Sancta Mar

garetha undecima July ad sonitum tubae in diluculo Regius motus exercitus, eadem via, qua venerat, regreditur, perueniteq in stationum suarum loca prope Oppidum Luterborg, in quibus feria quarta transacta quieverat. Abinde quoq, via, qua ex Masovia intraverat in dextera dimissa, in sinistram flectit iter, et per loca montuosa procedens prope Oppidum Drolidow in villa Velzoha figit tentoria. Et quoniam exercitus ex longo et aspero itinere defatigatus, quiete indigebat, in castris eisdem duobus diebus videlicet feria sexta et Sabbato statiua habita sunt. Sub quibus venit ad Vladislaum Poloniae Regem Petz de Koyts, Slesita, qui nomine Baronum Ungariae Nicolai et Stiborij missus, et ad secretum consilium introductus verba facit, Quamuis, inquit, Serenissime Rex fidelem et assiduam Baronis Ungariae apud Prussiae Magistrum et Ordinem fecissent pro pace interpositionem, cassa tamen fuerunt omnia eorum studia, cassi labores. Prussiae enim Magister

ulterius

Ulricus per improvisa suae superbiae praecipitia tractus, ni
hil quod aequum quod salubre erat accepit, sed utroque cal
cato, quod bellicus illi furor suggerit, id prosequi studium de
~~erant~~ erant. Non aequitati, non iure, non compositione, non
denique viri alicuius arbitrio passus est dirimi, sed ferro et
Marte absolvi. Cum itaque Sigismundus Ungariae Rex
cuius legatione Barones mei funguntur, sit Romani impe
rij vicarius, et non liceat sibi Magistrum et Ordinem Cruci
ferorum, qui Romano subest imperio, in praesenti eorum
necessitatibus deserere articulo, quapropter eiusdem Sigis
mundi Ungariae Regis diffidationis literam, quae tuam
Excellentiam in favorem Magistri et Ordinis diffidat, tuae
Serenitati iussu Baronum Ungariae praesento. Uladi
slaus autem Rex responso finali de non speranda pace
et diffidationis literis Sigismundi Ungariae Regis acce
ptis, utrumque arcanum districta celari fide praecepit,
ne si diffidatio Ungariae Regis Sigismundi ad notitiam
militum perveniret, animi eorum a praesenti munere im
minuta audacia averterentur. Suggessit Tarcz Nun
cius Uladislao Regi, nomine Baronum Ungariae ad
aurem, quatenus diffidationem Ungariae Regis Sigis
mundi pro nihilo penderet, cum diffidationum suarum
litera caro satis pretio, quadraginta videlicet millibus
florenorum, per Magistrum et Ordinem Cruciferorum
apud illos comparatae, ad terrorem tantummodo con
fictae, nullum forent effectum paritura. Animat de
inde Regem, captum, ut quolibet terrore circumscripto
contemnat, et cum Cruciferis qui viribus, gentibus,
armis et qualibet conditione dignoscuntur inferiores;
quanto ocius congredi non differat, certam victori
am propitiatione divina habiturus, asserens Ungariae
Barones non Magistri et Ordinis, sed Regis sui Sigis
mundi et proprijs commodis in eam diem vacavisse.
Quae quidem Tarczonis relatio pro sincera et fideli,
prout erat, accepta est, neque enim Barones Ungariae prae
dicti, pacis confirmandae respectu, Prussiam a Sigismun
do Rege missi erant, quippe qui bellum exortum malle
bat

bat prodere quam finiri, sed et vijs subdolis et inge nijs a Magistro et Ordine, aurum, de quo falso vulgatus fuerat turrim unam implesse, emunxissent. Satisfacto itaq; et declarato Cruciferis, quod literas diffidationis Sigismundi Ungariae Regis pro Magistro et Ordine, et contra Vuladislaum Poloniae Regem secum ferrent, declararunt etiam se mandatum et instructiones ab eodem Sigismundo Rege suo accepisse, quod nullatenus huiusmodi diffidationis literas Vuladislao Poloniorum Regi praesentarent, donec eis quadraginta aureorum millia forent per Magistrum et Ordinem persoluta. Magister itaq; et Ordo Cruciferorum magnam vim, subsidium, et importantiam suae causae, suiq; triumphi in huiusmodi diffidationum literis clausam fore existimans, dare praefata quadraginta florenorum millia pro exigua diffidationis charta consensit, quorum medietatem in campestribus dedit, reliquam medietatem in Gdansk eisdem Ungariae Baronibus persolvit. Rex pro tanta auri quantitate alium fructum nisi easdem diffidationis literas in praesens et in futurum retulit, quae tamen iussu Baronum Ungariae non in palam sed ad partem Regi fuerunt praesentatae, nemoq; de universo Regio exercitu noverat, praeter octo Consiliarios huiusmodi diffidationis literas oblatas extitisse.

Transitum retrogradum Vuladislao Rege feria sexta praedicta faciente, explorator prutenicus pulvere conspersus et sudore oblitus ad castra Magistri perveniens, Poloniae Regem et suum exercitum depressionem facere et fugere astruxit. Cuius relatione Prussiae Magister Ulricus admodum exhilaratus, ad Barones Ungariae Nicolaum et Stiborium illum perduxit. Ecce, inquit, homo, qui et natione Polonus, exploratum missus rediit, nuncians nobis castra Poloniae Regis diebus aliquot quaesivisse, nec ad illa pertingere potuisse, Stationum quidem suorum loca offendens, vasa

aliquot

aliquot currus, equosque languidos relictos, bombardarum insuper lapides reperit proiectos, vestigia deinde exercitus sequens, ad compita perueniens, in qua loca diuertit exercitus nullo pacto discernere potuit. Certum itaque teneo solo nunc Regem et suum exercitum vires et potentias meas veritum, fugam iniisse, cum discessus certum solerat indicium timentis esse. Fluctuoque quid me agere expediat, hoste modo sic latenter fugiente, consulite precor, quid acturus sum, persequarne hostem fugientem, aut subsistam. Barones autem Ungariae noua relatione exploratoris audita, taliter differunt. Proiectio curruum et quidem vacuorum, equorum quoque debilium, non est efficax discessionis aut fugae signum, debiles enim censerentur, qui serum currus et clauda ferrent, lapidum tamen bombardarum proiectio, dat praesumptionem aliquam subiti recessus aut fugae; maiori tamen et certiori indagine res examinanda est, nec fuga tanti exercitus cito pro vero affirmanda. His et ceteris verbis quidam de exercitu Magistri miles libera contumacia adiecit, Verearis, inquit, Magister, ne fuga haec quae nunciatur exercitus Regij, lauet tibi caput et non prius a vana opinione qua gaudes discedere incipias, donec intelligas exercitum Regium ciuitates tuas irrupisse. Quibus verbis Magister adeo motus est, ut extemplo non de persequendo Rege sed de defendendis urbibus cogitaret, Exercitumque suum mouens, et ad castrum Bratheanar perueniens illic statiua ponit, et intra muros castri cum Ungariae Baronibus se recipiens, duodecim pontes supra flumen Drwancza quibus exercitus suus traduci posset fieri ordinat, et exhinc assumptis statiuis, segniter tamen ad hostium castra ire pergit, fiduciarum plenus, et adulatorum verbis inflatus, asserentium sibi futuram dimicationem pro voto cessuram

Die Dominico Sancta Margaretha tredecima Iulij Vladislaus Poloniae Rex Missarum

sarum solennijs in loco stationum suarum prope Drol
dow in villa Vszolia exaratis, nuntio Vngariae Ba
ronum Triczoni ad consilium secretum accersito, in
eam sententiam respondit. Nunquam credebamus
fratrem nostrum Sigismundum Vngariae Regem ad
eam hostilitatem contra nos prorumpere debuisse, et
deberet nos, qui illi non sanguinis solum et affinitatis,
sed et foedere uniti sumus, pro Cruciferis diffidare,
et sacram auri famem, neglecto Deo, neglecta iustitia,
ipsi etiam sanguini praeponere. Aliud siquidem no
bis nuntijs et literis repromittebat, asserens se omni
studio et conatu et personaliter et per nuntios pacem
inter nos et Cruciferos tractaturum. Nos siqui
dem de verbis suis regijs confisi, legatos suos Nicola
um et Stiborium in Regnum nostrum advenientes be
nigne habuimus, et in Prussiam transeuntes, velut pa
cis tractatores, singulis necessarijs procuravimus, qui
bus omnibus non aequi sincere neq humane vidimus
nobis responsum. Experimur quod frater noster Vn
gariae Rex requirit tempus et opportunitatem quibus
grassetur contra nos, et Regna nostra atq dominia
sibi usurpet, longe dispari nos illum in suo gemina
to casu prosequebamur affectum et caritate, primum
dum conflictus per Turcos esset, et incertum existeret
captus ne foret mortuus vel vivus, iterum, dum illum
Barones sui Vngariae captum in mortem destinassent,
nosq ad regimen Regni Vngariae concorditer delegis
sent, et frequentibus literis atq nuncijs, quatenus
celerius venire, et Regni Vngarici acceptare regimen
dignaremur, nos impetissent, nos ilico motis gentibus
nostris processimus Vngariam, liberationem suam omni
posse nostro et viribus effecturi, si itaq beneficijs no
stris aequa lance respondet, Deus inter nos et illum ~~[illegible]~~
dijudicet et utrumq nostrum pro merito retribuat. Nos
quidem suis non movemur minis, sed causa iustitiae
nostrae

nostra omnipotenti Deo commissa, iniurias nostras prose-
qui[illegible] exurgemus. Ex quo intelligimus nullam spem am-
plius in pacis tractatu relictam, quamuis etiam duras
pacem accipere si quis mediatorem se ponere vellet, toto
cordis nostri nisu et desiderio essemus parati. Sed fortas-
sis clementissimus Deus nostrae humilitatis et paritiae pe-
ctoris, hostilis quoque superbiae inspector, causam hanc tra-
standam solus suscepit, iuxta sui occulti consilij disposi-
tionem eam decisurus. Eo die Vladislaus Poloniae Rex
et vniuersus fere Polonicus exercitus, diuinissimo se pro-
curat viatico, Corporis videlicet et Sanguinis Christi Sa-
cramento, ratus, prout erat, propediem vniuersali
dimicatione cum hoste se manus conserturum. Pacemque
a se aliquoties et multifariis studijs expetitam non pos-
se prouenire intelligens, omnia in bellum consilia con-
uertit, quanquam pro sua animi mansuetudine pacem
occupare maluisset aequa conditione, quam bellum. Pre-
cabaturque pius et religiosus Rex vt postquam nihil
iam spei in pace superesset, felix pugna et matura de
hostibus praestaretur sibi e caelo victoria

Nuncio Baronum Vngariae Friczoni licentiato Vladislaus Poloniae Rex in die Sanctae Margarethae a Wolborow post exacta Missarum solennia mouens castra, quadrigis et impedimentis duabus ante horis praecedere iussis, versus oppidum Dambrowno, quod muro, turribus, lacus etiam ambitu et fluctibus allambatur, quod in Theutonico vulgari Gylgemborch appellatur, flectit iter, et in planicie cam-porum supra lacum medio pene milliari a Dambrowno, vocatum Dambrowskie iezioro locat statiua, dicto, plus solito Solari aestuante Climate, Quo ad vesperam mitigato plures milites ex castris Regijs versus oppidum Dambrowno, gratia oppidi et situs eius videndi procedunt. Sed gentibus, quae oppidum venerant defensurae, impugnationem suam et oppidi verentibus, progredientibus in aduersum, grauis contentio

illico

illico suboritur, quae adeo efferbuit, ut Poloni milites
superatis hostibus et in oppidum fugere compulsis, ad
conquisitionem oppidi in magna multitudine glome
rati, iniussu Regis prosilierent. Erat oppidum non so
lum muris altis et spissis, turres quoque et propugna
cula in circuitu habentibus, sed etiam situ munitum,
Stagnum enim a parte maiori illud ambit et undique
in circuitu vallatum exiguum et angustum terre
strem aditum habet profundis fossis praeclusum. Fit
in castris regijs rumor magnus, quo Vladislaus Rex
agnito iubet conquisitionem oppidi voce praeconis inhi
beri, veritus in conquisitione oppidi milites suos offendi
et inutiles effici in futurum certamen. Prohibitione ta
men regia nequaquam aspersa, concursu ingenti ad
conquisitionem oppidi, fatis iam illud appetentibus, fe
stinatum est. Neque oppidani segniter resistunt, sed
bombardis et saxis ad murum subeuntes submo
vent. Verum abundanti multitudine milites Polo
ni lacum insiliunt, et muros oppidi debilitant, et
suffodere conantur, caeteri scalis appositis illos con
scendunt, et in breviusculo tempore oppidum utroque
sexu populosum, rebusque omnibus et divitijs longa pa
ce quaesitis, in quod etiam ex aliquot districtibus pro
pinquioribus nobiles et populares cum rebus et sub
stantijs suis confugerant, opulentum conquirunt, omni
busque fortunis victores potiuntur. De spolijs autem
oppidi praedati fere universus exercitus Regius di
tatus, etiam quadrigas suas victualium mira abun
dantia impleverat, incredibile enim dictu est, quantis
opibus et victualibus oppidum refertum fuerit. Spo
lijs nondum ad plenum egestis oppidum incensum
est, et plures mortalium qui ad Ecclesiam confu
gerant, igne exuberanti, extinguuntur. Multa autem
millia captivorum utriusque sexus illic capta, et in regia
castra deducta, Vladislao Regi Poloniae per milites dedita
sunt

sunt. In multos insuper caedibus saevitum est, nec caedem quisquam aut captivitatem effugit, praeter paucos, qui lintribus et doliis enatare in lacum. Nulla illic aetatis contemplatio, nulla aetatis misericordia, quod non tam in re belli, quam Dobrzinensis terrae, quae ab hostibus exusta fuerat, dolore, et effusis in Cruciferos odijs, Poloni exequebantur. Magister Prussiae ubi eius cum Vladislaum Poloniae Regem, referentibus exploratoribus, audisset Dambrowno expugnasse atque incendisse, et versus Mariemburg exercitum suum ducere statuisse, magna perterritus erat, non ultra pugnam differendam ratus, cum toto penitus suo robore dimicare quamprimum constituit, et ad innatendum Regem celeriori quo poterat gressu processit. Nec alius in pectoribus Commendatorum et Cruciferorum suorum erat furor, indignantibus se in eam recidisse fortunam, ut qui olim Pomeraniae, Cuiaviae, Dobrzinensi terris castrisque earum expugnatis, suique iuris factis, Regnum quoque Poloniae supra dimidium flammis dedissent, versa te Prussiae depopulationem, urbium excidium, et castri Mariemburg obsidionem visuri forent

Ea insuper die Matthias de Vuansosc Palatinus Calisiensis et Capitaneus Nakielensis cum gentibus quae sibi pro custodia granicierum, omnibus videlicet militibus, intra flumen Vurbia et Pomeraniam consistentibus, relicta erant, Terram Pomeraniae hostiliter ingressus, spolia et depopulationem in ea committebat. Advocatus autem de nova Marchia Michael Kochmeister populationem Pomeraniae prohibiturus, Matthiae Palatino occurrens, praelium cum eo committit. Et quamvis Polonorum milites pro victoria acrius pugnassent, praefato tamen Matthia Palatino fugam capessente, genere hic nobilis de domo et familia Bepennium erat, reliquus exercitus pugna omissa diffugit. In eo praelio Iaroslaus de Bnino vexillifer Posnaniensis

ensis, miles notabilis Hispanicus, genere Grzimalita cum pluribus aliis fugere turpe putantibus captus est. Haec tamen clades silentio tunc suppressa, non nisi Rege castrum Marienburg post victoriam obtentam obsidente, ad notitiam Regis perlata est, quam etiam ~~scin~~ sinisset occulere, nisi militis praedicti Iaroslai captivitas illam divulgasset.

Feria secunda in crastino Sanctae Margarethae quartadecima Julij, quamvis Wladislaus Poloniae Rex statuisset in locum ulteriorem castra et copias traduxisse, mansit tamen apud eadem stativa diem illum, eo solo persuasus respectu, ut reliquias rerum et victualium in celarijs et foveis oppidi Dambrowno recondita recolligeret, et de captivis apud Dambrowno captis ordinaret. Reservatis itaque fratribus Cruciferis, item nobilibus et terrigenis, omnes oppidanos, populares, agrestes, item omnes matronas et virgines singulasque mulieres cuiuscunque conditionis a captivitate absolvit, diligenti insuper custodia, ne quis de exercitu suo, viris et feminis absolutis, noceret, illuderet, aut eos inquietaret, providit. Sub occasum vergente die pronunciare iter in diem alterum, militesque tabernacula petere et corpora curare iubet, quo crastino antelucano tempore, quod Rex pronunciandum mandaverat, efficerentur aptiores. Subsequens autem nox in Stativis Regijs benigna et pacifica erat, cuius in exercitu Cruciferorum dispar erat facies. Ventus quippe validus, singula tabernacula quatiendo, solo prostraverat, noctemque pene insomnem transegerant. Sub ea autem nocte, Lunam, quae tunc pleno lucebat orbe, prodigium singulare denunciasse, et Regi victoriam portendisse, quod sequentis diei probavit confirmavitque eventus, numeratum est. Conspectum siquidem fuit

fuit a nonnullis per noctem excubantibus, atrox
aliquamdiu in Luna circulo, inter Regem ab una et
Monachum partibus ab altera certaminis stetisse di
scrimen, ad extremum tamen Monachum a Rege vi
ctum, et ex corpore Lunae devictum praecipitatumque
extitisse. Id prodigium frequenti relatione in al
tera die vulgatum, Bartholomaei Plebani in Klobu
czko Capellani Regij, oculis se proprijs visionem hu
iusmodi spectasse asseverantis, assertio confirmabat.
Sive id animi victoriam praesagientis fuerit indicium,
sive aerearum figura impressionum, sive quaelibet
alia ex abditis causis proveniens ostensio, incertum
habemus. Nonnullorum insuper militum ex Crucife
rorum exercitu non temeraria neque vulgaris, sed con
stans et solida habebat relatio, sub tempore omni
quo proelium agebatur die crastina visum a se su
pra exercitum Polonorum dominum Reverendum, Pon
tificali amictu vestitum, qui et benedictionem et as
siduam confortationem Polonis dimicantibus largie
batur, et certam repromittebat Polonis victoriam.
Haec in praedicatorum loco fuere nunciata, perque mun
do futura Regis victoria signabatur

Feria tercia in die Divisionis

Apostolorum quintadecima die Julij, licet Wla
dislaus Polonorum Rex in loco stationum, in Olben
lo statuisset Missas audire, tentorium tamen sub
quo agebantur divina, vento flante et rapiente,
celeritate qua videbatur neque figi neque explicari
poterat, nec quod explicatum fuerat manebat. Fu
derat siquidem nox praecedens pluvias, fulgura,
et coruscationes, multo tamen in castris Crucifero
rum, adeo ut fere universa tentoria disparet, omen
cladis crastinae, quam in Regijs validiores. Terris
quoque luce reddita, ventorum flatus validus oriri
coeperat. Dum itaque capella tentorij Regalis diutius
stabiliri vento impugnante non posset, Ducis Magni
Alexandri

Alexandri suasu Rex a Dambrowno castra movit, spacioque duorum milliarium confecto, sub quo hostilis villae in circuitu urebantur, in campos villarum Thanenberg et Grunwald futuro certamini nobilitandos pervenerat, inter arbusta et Gaies, quorum in loco eodem extabat frequentia, stativa exercitus metari et tabernaculum capellae supra collem editiorem, lacum Luben spectantem locari, divina sub tempore, quo exercitus stativorum locationi intenderet, auditurus, praecepit. Jam Prussiae Magister Ulricus de Juningen in villagium Grunwald clade sua illum insigniturus pervenerat, de propinquo quoque agens, adhuc tamen a Regiis excubatoribus ignorabatur. Capellaque tentorii extenta, et Rege pro audiendis divinis accelerante, venit Hanko miles de Chelm de domo Ostoya, nuncians hostilem exercitum paucis passibus distantem se vidisse. Rege autem petente, quanti essent, respondit unum tantummodo hostilium banderium aspexisse, et illico ad annunciandum eorum adventum cucurrisse. Adhuc eo loquente veniebat Dersslaus Wlostowski miles de domo Oxa, et duo banderia hostium se vidisse asserebat, quo nondum finiente sermonem veniebat tertius, quem sequebatur quartus, quintus, et sextus, concordi pronunciatione referentes, hostiles acies iam in pugnam accinctas prope adesse. Rex autem Vladislaus nihil tam repentino et propinquo hostium adventu motus, operae precium existimans prius rebus divinis, quam martialibus defungi, in Capellam veniens duas missas per Bartholomeum plebanum in Clobuczko, et Jaroslaum praepositum Calisiensem, capellanos suos lectas devotissime exaudit, opem superum exposcens, rem divinam solenniori cantu quam

promove

pro more faciebat. Rex his contentus, flexis genibus in oratione longo tempore procumbens, precabatur Deum coeli, quatenus sibi et genti suae fausta fieret expeditio, felix pugna, et matura ex hoste proveniret victoria. Et quamvis alter Dux Magnus Litthuaniae, qui omnia facilius ferre poterat, quam moram, Vuladislaum Regem, quatenus divinis et orationibus neglectis, consurgens properaret in bellum, cum hostium exercitus decernere paratus, staret iam aliquanto tempore accinctus ad pugnam, et periculum foret, si irruens, arma prior inferret, variis precibus et instantiis primum per internuncios, deinde per seipsum vociferatione ingenti vexasset, nullis tamen precibus, nulla obsecratione, nulla denique periculi denunciatione, a divinis, et oratione, poterat nisi complemento facto abduci. Poterat siquidem hostilis Prutenicus exercitus, quamvis robore inferior, victoriam sibi vendicasse, aut saltem ingentem cladem in Regis exercitum edidisse, si quamprimum Regis exercitum, sine lege, sine ordine consistentem, et locatione castrorum occupatum, armatus ipse et paratus, inermem et incautum invasisset. Existimans tamen non fortuito sed ex composito inter Gayos et arbusta Regium exercitum constitisse, et se ad insidiarum loca trahi, ab invadendo Regio exercitu, donec omnes in ordines et signa veniret, solo metu Regis fortuna regente abstractus est. Nihil itaque mirum si Regi religioso et devotissimo, omnibus victoriis et periculis divina anteponenti, divinitas victoriam famosam largita est, quae Cruciferos contempsisse, et nihili pendisse constabat, cui ante pugnam, in pugna, et post pugnam credun

tur

tur fauisse venti, et in hostium vultus et ora flatum et pulverem vertisse, Ut non immerito illud Claudiani Poetae dictum sibi posset aptari

O nimium dilecte Deo, cui militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti

Rege Polonorum Vuladislao circa divinorum auditionem et observationibus perseveranti, universus Regius exercitus in Ordines suos et signa, Zindramo de Maszkowicze Gladifero Cracoviensi dirigente, Litthuanicus vero solo Duce Magno Alexandro Litthuaniae ordinante, ~~mira~~ mira celeritate accessit, aciemque adversus hostes constituit, et cum Polonicus exercitus in laevum cornu flexisset, Litthuanicus dextrum tenuit, sed in ea quoque necessitate omnis celeritas tarda videbatur. Quinquaginta signa, quae vexilla appellamus, in eo praelio, insignibus et peritis militibus referta, praeter Litthuanica signa, quadragenarium numerum habentia, scitus et visus est Polonicus exercitus habuisse. Primum vexillum magnum Cracoviensis terrae, cuius alba aquila coronata extensis alis in campo rubeo erat insigne, in quo omnes praestantiores Barones et milites Poloniae, et omnes veterani et exercitati, ordines acceperant, robore et numero omnia alia signa exaequens, Cuius ductor fuit praefatus Zindram de Maszkowicze, ferentarius Marcissius miles de Wroczimowicze stirpis Polukosze, et in quo pro sui excellentia et merito novem milites primo ordine et in fronte consistebant videlicet Zawissius niger de Garbow de domo Sulima, Florianus de Korytnicza de domo Jelitorum, Domarath de Cobilany de domo Grzimalitarum, Scarbek de Gory de domo Habdank, Paulus Slodzir de

Bellinszcze de domo Nyeszobya, Joannes Warszowski
de domo Nalancz, Stanislaus de Charbinowicze de
domo Sulima, Jaxa de Thargowisko de domo vul
pium. Secundum vexillum Lonzza, cuius duae
cruces cerulea in campo caelestino erat insigne. Id
Andreas de Brochoczicze miles de domo Osoria du
cebat. In cuius fronte quinq[ue] milites consistebant. Si
videlicet Joannes Sieninsk de Nabrzesz de domo N.
qui annis decem apud Teucrorum Caesarem Ducis
functus officio militauerat. Bartossius et Zaroslaus
de Slomyków, de domo Pomyan, Dobeslaus Olesnia
de domo Vionawa, et Sigismundus Sylhna Bohe
mus. Tertium cubiculariorum, cuius vir armatus
equo candido insidens, gladium quoq[ue] manu vibrans
in campo rubeo erat insigne. Id Andreas Czolich
de Zelechow, de domo Taurorum, Joannes de Sprowa
de domo Odrowasos ducebant. In cuius fronte si con
sistebant milites Msczuiguius de Slrzin de domo Ci
gnorum, Alexander Rovaski de domo Cipsorum,
Nicolaus Powala de Thaczow de domo Powalorum,
Szaszinus de Vucheirza de domo etiam Powala
Quartum Sancti Georgii habens crucem albam
in campo rubeo pro insigni sub quo omnes Bohemi
et Moravi precio conducti, cuius ductores erant,
Szobol et [illegible] Zbylawek Bohemi, ferentarius
vero Joannes Tarnowski Bohemus, Vladislao Re
ge sunt linguagio Bohemiae deserviente Sonorem
consistebant. Quintum terrae Posnaniensis albam
aquilam in campo rubeo non coronatam habens
pro insigni. Sextum Sendomiriensis terrae in quo
pro una medietate tres barrae seu tractus glauci
in campo rubeo, pro altera septem stellae in campo
caelestino

coelestino habebatur insigne. Septimum Calisiensi
caput bubali in Schacorum tabula Diademati re
gio ornatum, ex cuius naribus circulus rotundus
pendebat habens pro insigni. Octavum terra Si
radiensis, in quo pro una medietate, medietas a
quilae albae in campo rubeo, pro altera medietas
Leonis flammei in campo albo habebatur insigne.
Nonum terra Lublinensis cervum cornibus exten
tis in campo rubeo habens pro insigni. Decimum
terra Lanciciensis cuius insigne media pars ni
grae aquilae, media vero albi Leonis in campo ce
ruleo capita habentis coronata. Undecimum terrae
Cuiaviensis in quo pro una medietate, aquila ni
gra in campo caeruleo medietas, pro altera me
dietas Leonis albi in campo rubeo capita coro
nata gestantis erat insigne. Duodecimum terra
Leopoliensis, leonem caeruleum per mediam pe
tram conscendentis in campo coelestino habens
pro insigni. Tredecimum terra Vielunensis
lineam auream transversalem in campo rubeo
proportionaliter locatam habens pro insigni, cui Rex
propter varietatem ordinum militis ex Slesia mer
cenarios pro supplemento adiunxerat. Quar
tumdecimum terra Premisliensis, quod aquilam
caeruleam duo capita a se invicem proportiona
liter aversa in campo coelestino habebat pro in
signi. Quintumdecimum terrae Dobrinensis fa
ciem humanam senilem ad femur se protenden
tem, capite diademate adornato, cornibus quoque
exasperato in campo caeruleo habens pro insigni.
Sextumdecimum terra Chelmensis, ursum
album inter duas arbores consistentem in campo

rubeo

rubeo habens pro insigni, Decimum septimum, decimum
octauum et decimum nonum terrae Podoliae, tria enim signa
abundanti multitudine habebat, quorum quodlibet faciem
Solarem in campo rubeo habebat pro insigni. Vicesimum terrae
Haliciensis monedulam nigram in capite coronatam in
campo albo habens pro insigni. Vicesimum primum et Vi
cesimum secundum Ducis Semouiti Masouiae aquilam al
bam absq. Diademate in campo rubeo habentia pro insigni
Vicesimum tertium Ducis Masouiae Janussij quod in
quadrum diuisum pro duabus medietatibus albam aqui
lam, pro reliquis duabus per transuersum se aspicien
tibus, nocticorax stratus albi et rubei coloris habebat
insigni. Vicesimum quartum Nicolai Kurowski Ar
chiepiscopi Gnesnensis fluuium cruce signatum in cam
po rubeo habens pro insigni. Vicesimum quintum Alber
ti Jastrzebiecz Episcopi Posnaniensis babatum cru
cem habens in medio in campo caelestino, cuius Jaran
dus de Brudzewo miles erat ductor, habens pro insigni
Vicesimum sextum Cristini de Ostrow Castellani Cracoui
ensis ursum virginem coronatam gestantem in campo
rubeo habens pro insigni. Vicesimum septimum Joannis
Tharnowski Palatini Cracouiensis Lunam cornutam
stellam complectentem in campo caelestino habens pro in
signi. Vicesimum octauum Sandiuogij de Ostrorog Pa
latini Posnaniensis fasciam arcuatam et circumliga
tam et in extremitates protensam in campo rubeo habens
pro insigni. Vicesimum nonum Nicolai de Michalow Pa
latini Sendomiriensis rosam albam in campo rubeo ha
bens pro insigni. Tricesimum Jacobi de Conarzpole Pa
latini Siradiensis, babatum album infra parte potiori
demissa, et cruce signatum in campo rubeo habens pro
insigni. Tricesimum primum Joannis alias Iwan de
Obyechow Castellani Premisliensis caput Bubonis cum
naribus circulis rotundis dependens in campo
croceo habens pro insigni. Tricesimum secundum Jo

annis

annis Ligęsza de Bobrek Palatini Lanciciensis,
cuius caput asininum in campo rubeo erat insigne. Tri-
cesimum tertium Ulrici de Pnanczin Castellani
Vnoinciensis cuius in campo rubeo una bipennis erat
insigne. Tricesimum quartum Sbignei de Brzesze Re-
gni Poloniae Marsalci cuius caput leoninum euomens
flammam in campo caelestino erat insigne. Tricesi-
mum quintum Petri Schafranecz de Pyskowa Skala
Succamerarij Cracouiensis, cuius albus equus nigro
tegmine in medio praecinctus, in campo rubeo erat
insigne. Tricesimum sextum Clementis de Moszko-
rzow Castellani Vislicensis cuius duae cum dimidia
cruces caeruleae in campo flauo erat insigne. Tri-
simum septimum Vincentij de Granow Castellani
Srzemensis et Maioris Poloniae Capitanei, cuius Lu-
na arcuata stellam continens in medio in campo cae-
lestino erat insigne. Tricesimum octauum Dobeslai
de Olesznicza crucem albam sub quarto crucis
angulo tryphorem habens in modum duplicis W tra-
cturam in campo rubeo pro insigni habens. Tricesi-
mum nonum Spythkonis de Iaroslaw cuius Luna
arcuata stellam continens in medio in campo Lazuri-
no erat insigne. Quadragesimum Martini de Sla-
wsko superiorem partem leonis et quatuor lapi-
dis in parte inferiori habens pro insigni. Quadrage-
simum primum Dobrogostij de Schamotuly fasci-
am arcuatam et in medio constrictam in campo ru-
beo habens pro insigni. Quadragesimum secundum
Cristini de Coziglowy Castellani Sandecensis sagit-
tam geminatam cruce ornatam in campo rubeo ha-
bens pro insigni. Quadragesimum tertium Ioannis
Maszkonis de Dambrowa, duos pisces qui Trutta appel-
lantur unum in campo albo, alterum in campo ru-
beo habens pro insigni. Quadragesimum quartum
Nicolai Regni Poloniae Vicecancellarij tres tubas in campo
albo

albo habens pro insigni. Quadragesimum quintum Nicolai Amitha de Vuisnicze flumen rubeum cruce ornatum habens pro insigni. Quadragesimum sextum fratrum et militum Griffonum album Griffonem in campo rubeo habens pro insigni, cuius ductor erat Sigismundus de Bobowa miles subiudex Cracoviensis. Quadragesimum septimum militis Zaklicze horzegwiczski tractuream albam in modum duplicis W cruce signatam habens in campo rubeo pro insigni. Quadragesimum octavum fratrum et militum Kosle rogi tres sagittas transversaliter in campo rubeo deferentium cuius ductor erat Florianus de Korytnicza Castellanus Vuislicensis et in Sczedrez Capitaneus. Quadragesimum nonum Joannes Jenczylowicz Baronis de Moravia quod albam sagittam distensam et in finibus recurvatam in campo rubeo quae apud Polonos Odrowansz nominatur habebat pro insigni, cuius ductor Helm Moravus erat. Et in quo soli Moravi militabant, quod praefatus Joannes Jenczylowicz Vuladislao Polonorum Regi in solatium beneficiorum patri suo Jenczikoni per Vuladislaum Regem praestitorum memor transmiserat. Quinquagesimum Krziwosesky de Dalyewicze subdapiferi Cracoviensis, quod sagittam albam in medio ad partem laevam et dextram protensam cruci super protensionem transversali consignatam in campo rubeo habebat pro insigni, sub quo tantummodo mercenarij milites non ex Polonis, sed ex Bohemis Moravis et Slesitis, per praefatum Krziwosium subdapiferum conducti militabant. Domus autem et nobilitas arma huiusmodi insigniorum deferens apud Polonos vocatur corrupto et truncato nomine Strzegonia, quod potius trzy gory id est tres montes deberet vocitari, a civitate Slesiae Trzygory alias Strzegom, quae in illorum ditione tunc consistebat, originariam sumens denominationem. Quinquagesimum primum Sigismundi Koributh Lithuaniae Ducis, quod equum armatum gestans in campo rubeo habebat pro insigni

Erant

Erant praeterea in exercitu Litthuanico Alexandri Vitthaudi Ducis Magni Litthuaniae quadraginta vexilla, sub quibus milites Litthuani, Ruteni, Semogitae, et Tartari tantummodo consistebant, variores tamen habebant ordines et arma pauciora quam Polonorum, equis quoque Polonos non aequabant. Signa autem vexillis huiusmodi affixa paria pene erant, fere enim quodlibet armatum virum equo albo, interdum nigro aut rufo vel vario insidentem, et manum cum gladio vibratam extendentem habebat, in campo rubeo pro insigni. Decem tantummodo signum aliud habebant et a triginta aliis distinguebantur in quibus in campo rubeo signa, quibus Vitthaudus equos, quorum multitudine abundabat insignire consueverat, depicta erant, quae quidem in hunc modum cum rebus describi non possunt pingebantur 
Denominabantur autem vexilla huiusmodi aliqua a nomine terrarum Litthuaniae videlicet Trocenses, Vilnenses, Grodnenses, Kownenses, Lyddenses, Medniceses, Szmolnenses, Polocenses, Vitbscenses, Kyjovenses, Pinnenses, Novogrodenses, Brzestenses, Wolkowiskenses, Drohicenses, Melnicenses, Crzemenecenses, Starodubenses. Aliqua vero ex personis Ducum Litthuaniae quibus a Duce Vitthaudo praefecti praeerant, videlicet Sigismundo Korybuth, Lengwinonis, Simone, Georgio 

Prutenicus exercitus quemadmodum milite et robore ita et in signis inferior erat, Duo signa seu vexilla Magister habebat unum et primum magnum, in quo quicquid roboris erat, locatum est, alterum minus, ambo crucem nigram, aquilam similiter nigram in medio continentem habebat pro insigni, Item tertium Ordinis totius cuius in campo albo lata crux nigra erat insigni, cuius ductor erat

erat Fadricus de Vallerod Marsalcus Prussiæ, Item
Conradi Ducis albi Cantsiier Olesnicensis quartum, aqui
lam nigram in campo ceruleo habens pro insigni, qui solus
personaliter cum gentibus suis ex Ducibus Slesiæ prælio
interfuit, licet voluntate et affectione fere singulos Slesiæ
Duces non dubites interfuisse. Item Casimiri Ducis Ste
tinensis quintum, Gryphonem in campo albo habens pro
insigni, qui et ipse personaliter cum gentibus suis Magi
strum et Cruciferos adiuuabat. Item sextum vexil
lum Sancti Georgij quod crucem rubeam in albo cam
po habebat insigne, cuius ductor erat Georgius Kirsdorf
et cui potior fuerat militaris virtus quam fuga. Item
septimum vexillum Pomezaniensis Episcopi, Sancti Ioan
nis Euangelistæ in specie aquilæ ceruleæ imaginem ge
stans, et duabus curuaturis ceruleis circumdatam,
habens pro insigni, quod Marquardus et Reszenburk
ducebant. Item octauum Banderium Episcopi et Episco
patus Zambiensis tres mitras rubeas in albo campo
habens pro insigni, quod Henricus comes de Camenz de
Misna ducebat. Item nonum Banderium Episcopi et Epi
scopatus Chelmensis, alias Ressemburgi, quod gladium
rubeum nudatum et curuaturam æque rubeam trans
uersaliter sibi iuncta in campo albo habebat pro insigni
cuius ductor erat Theodericus de Sonnemburk. Item
decimum Banderium Episcopi et Episcopatus Varmien
sis, alias Elsberk quod in campo pro medietate rubeo
agni Dei albam imaginem, vexillum paruulum pede vno
supra se porrigentem et ex cuius gutture sanguis in ca
licem antepositum defluebat, item alteram medietatem
campi albam tantummodo habebat pro insigni. Item
vndecimum Banderium magnæ Commendariæ quod
in campo rubeo barram habuit albam latam pro insi
gni cuius Conradus Lichtenstein Magnus Commenda
tor erat ductor. Duodecimum Banderium ciuitatis
Culmensis, quod fluctus vndosos pro medietati albos
et

et pro reliqua medietate rubeos cruce nigra et tra
ctu nigro superadditis habebat pro insigni, cuius fe
rentarius erat Nicolaus dictus Nelisz vexillifer
Culmensis, quem Henricus de Plauen Magister
Cruciferorum, Ulrici de Juningen successoris, quasi
perum fugitive egisset, capite damnavit, Ductores
autem eius Jarnissius Orzechowski et Conradus
de Koplow milites. Tredecimum Banderium The
saurarij Ordinis quod clavem albam in campo
rubeo habebat pro insigni, cuius ductor erat Mor
heir Thesaurarius Cruciferorum. Quartumdeci
mum Banderium Commendariae et civitatis Rundzanez,
quod in campo albo caput Tubronis nigrum habe
bat pro insigni, cuius ductor erat Wilhelmus Ellfestein
Commendator de Rundzanez. Quintumdecimum
Banderium Commendariae et civitatis Balga, quod
in campo albo lupum rubeum habebat pro insigni
Sextumdecimum Banderium Commendariae et ci
vitatis Schonsze quod in campo albo duos pisces
rubeos arcuatos se invicem ore contingentes et cauda
habebat pro insigni, cuius ductor erat Nyklosz Wiles
Commendator in Schonsze. Decimumseptimum Ban
derium civitatis Kinszbergensis quod in campo
rubeo album leonem coronam cerulaeam in capite
gestantem, cui suprapossita erat crux nigra in cam
po albo habebat pro insigni, cuius ductor erat Vice
marsalcus seu vicecommendator Kinszbergensis.
Decimumoctavum Banderium Commendariae de
antiquo castro, quod per quadrum habebat quatu
or campos partim nigros partim albos, cuius Wilhel
mus Nessem Commendator de antiquo castro erat
ductor. Decimumnonum Banderium Commendariae
et civitatis Turbolia quod duos campos rubeum
et album lineis tamen nigris in medio distinctos habe
bat pro insigni, cuius Henricus Commendator de Turbolya
erat

erat ductor. Cuius intantum ascenderat pompa, furor, et
elatio, ut a tempore quo in expeditionem praesentem ve
nerat, duos gladios ante se quocunque iret deferri iuberet
Monentibus autem illum nonnullis viris bonis et timora
tis ne se tam superbe gereret, Sacramento se adegit, non
prius se gladios praefatos conditurum, in vaginam, donec
utrumque in Polonorum sanguine cruentaret. Vicesimum
Banderium castri et Commendariae Nyeschowiensis,
quod in medio album campum, a parte vero utraque duos
nigros habebat pro insigni. Cuius Conradus Hoczfelt Com
mendator Nyeschowiensis erat ductor. Vicesimum primum
Banderium, militarium et stipendiariorum de Vinstphalia
quod duas sagittas rubeas per transversum in campo
habebat pro insigni. Vicesimum secundum Banderium De
nominatur et Civitatis Rogoszno quod tres rosas in tractura
rubea transversali in albo campo habebat pro insigni, cuius
ductor erat Fridericus Wend advocatus in Rogoszno. Vi
cesimum tertium Banderium Commendariae et civitatis
Gdanensis quod duas cruces unam videlicet rubeam
in albo campo, et alteram albam in rubeo campo habebat
pro insigni, ductor eius fuit Joannes Schonenfelt Commen
dator Gdanensis. Vicesimum quartum Banderium Commen
dariae et civitatis Engelszberg quae in Polonico vocatur ho
przywno, quae imaginem angeli candidati alas et manus
extendentis in campo rubeo habebat pro insigni, id Burcardus
Vebek Commendator Engelszberk ducebat. Vicesimum quin
tum Banderium Commendariae et civitatis Brodnicensis quod
cervum cum cornibus rubeum in albo campo habebat pro
insigni, cuius ductor erat Balldewin Stoll Commendator Bro
dnicensis. Vicesimum sextum Banderium castri Bratsian
et civitatis novae quod tria cornua cervina in gyrum con
iuncta in campo albo habebat pro insigni, ductor eius erat
Joannes de Reder advocatus in Bratsiani. Vicesimum
septimum Banderium civitatis Branszberg quod duas
cruces unam albam in nigro campo alteram nigram in
albo

albo campo habebat pro insigni. Vicesimum octavum
Banderium mercenariorum militum quod unam sagi
tam cuspidatam, alteram absque ferro et cuspide lignea
tam tantummodo, utramque tamen rubeam in albo campo
transversaliter se contingentem habebat pro insigni. Vi
cesimum nonum Banderium Mercenariorum militum, quod
album lupum in rubeo campo habebat insigne, sub quo
erant gentes Szwetzerorum qui Magistrum et Ordi
nem Prussiae propriis sumptibus adiuvabant. Tricesimum
Banderium Commendariae et Civitatis Lyaszin alias
Leszhey quod tres campos superiorem rubeum, inferio
rem nigrum, medium vero album habebat insigne, du
cebat illud Henricus Kuszeczke advocatus de Lyaszin
Tricesimum primum Banderium Commendariae et Civi
tatis Slochow quod in parte superiori habebat imagi
nem agni Dei albam, vexillum supra se uno pede te
nentis, cui de pectore in calicem manabat sanguis in
rubeo campo, in parte vero inferiori album tantum
modo habebat campum pro insigni, ducebat illud Arnol
dus de Baden Commendator Slochowiensis. Tricesimum
secundum Banderium civitatis Barthenstein cuius hasta
alba in campo nigro erat insigne. Tricesimum tertium
Banderium Commendariae et civitatis Osterodensis
cuius quatuor campi in quadrum distincti albi videli
cet et rubei erat insigne, ducebat Fergenhawdt Com
mendator Osterodensis. Tricesimum quartum Bande
rium militarium terrae Culmensis fluctus undarum
rubeos et albos nigra cruce superposita habens pro insi
gni, quod Joannes canis de Seyn Commendator Thoru
nensis ducebat. Tricesimum quintum Banderium Com
mendariae et civitatis Elbing duas cruces albas unam
in superiori parte, alteram in inferiori in campo rubeo
habens pro insigni, quod Wernerus Tettingen Commen
dator Elbingensis ducebat. Tricesimum sextum Ban
derium militum forensium ex almania bassa, lineam ni
gram

gram latam transuersalem in albo campo habens pro insigni. Tricesimum septimum Banderium Commendariae et Ciuitatis Toruni quod castellum cum tribus turribus ex rubeo et porta nigra hostijs duobus apertis reclinis in campo albo habebat pro insigni, ducebat vicecommendator Thorunensis. Tricesimum octauum Banderium ex militibus de Regno venientibus collectum, quod in albo campo lineam nigram latam transuersalem habebat pro insigni. Tricesimum nonum Banderium affuit Gnew alias in Teutonico Mewe quod ducebat Joannes Comes de Veyinde Commendator Gnewensis, sub quo erant terrigenae et ciues districtus Gnewensis, quod ex militibus de Franconia venientibus collectum erat; quod in campo rubeo duas habebat albas sagittas transuersaliter se contingentes, vnam quidem cuspidatam, alteram absq ferro et cuspide lignatam. Quadragesimum Banderium ciuitatis quae vocatur Swieta Szwiecka in Teutonico Heylgebeuts habens in nigro campo astam albam pro insigni. Quadragesimum primum Banderium Commendatoria et ciuitatis Brunszwich quod in campo caelistino habebat leonem rubeum, in tribus tamen locis videlicet in pectore in ventre et in vno pede de alba tum, glaucam coronam in capite gestantem, habebat pro insigni. Quadragesimum secundum Banderium Commendariae ciuitatisq Gdarsk quod in superiori parte crucem rubeam in albo campo in inferiori crucem albam in rubeo campo habebat pro insigni, ductor eius erat vicecommendator Gdanensis. Quadragesimum tertium Banderium, quod ex militibus Myszniensibus constabat et quod in superiori parte crucem albam in rubeo campo, in inferiori vero, crucem rubeam in albo campo habebat pro insigni. Quadragesimum quartum Banderium Commendariae et Ciuitatis Seczno, cuius albus et rubeus campus diametraliter se inuicem contingens erat insigni, id ducebat Albertus de Cezbor Commendator de Seczno, alias Oszburg. Quadragesimum quintum Banderium Commendariae et Ciuitatis Rangnitsa habens tres pileos rubeos in albo campo pro insigni, ducebat illud Comes Fedricus de Czolrn Commendator

mendator de Reingartha. Quadragesimum sextum Banderium Civitatis Knyppow quod in superiori parte habebat coronam rubeam in albo campo, in inferiori vero crucem albam in rubeo campo. Quadragesimum septimum Banderium, quod ex Livonitis constabat, et quod habebat pro insigni tres campos, superiorem glaucum, medium album, et inferiorem rubeum. Quadragesimum octavum Banderium advocatiae et civitatis Thszczow habens quatuor campos albos et nigros per modum barrarum pro insigni, quod Matthias Beberach advocatus Thszczoviensis ducebat. Quadragesimum nonum Banderium civitatis Holsten maioris, alias Melszak, habens tres campos, superiorem nigrum, medium album, et inferiorem rubeum pro insigni. Quinquagesimum Banderium militum mercenariorum habens quatuor campos, duos rubeos, et duos caelestinos per quadrum distinctos pro insigni. Quinquagesimum primum Banderium Commendariae et Civitatis Brandeburg habens aquilam rubeam in campo pro insigni, ut Marquard de Szalczbach Commendator Brandburgensis ducebat. Banderium autem Commendariae et civitatis Szwyeczye quod scacalis campos albos tantummodo et rubeos habebat pro insigni, a praesenti pugna aberat. Szweczensis enim Commendator Henricus de Plawen cum omnibus Commendariae Swecensis terrigenis et militibus ad prohibendum invasionem et vastationem terrae Pomeraniae, quam per Janussium Brzoszoglowy ex castro Bydgoszcza fieri verebantur, relictus erat, et certamini cum suo Banderio et gentibus interesse non poterat.

Fecerant hac die trecenti Bohemi Mercenarij ex castris regijs Rege inconsulto et ignaro, metu ne an precio hostili corrupti, incertum est, defectionem. Quos cum Nicolaus Regni Poloniae Vicecancellarius servus

castra

castra Regia sequentes abeuntes offendisset, et quonam pergerent, quave ex causa discederent, interrogans, quod emeriti stipendij solutio illis per Regem non penderetur, responsum accepisset. Scio, inquit, vir anularius Wladislaum Regem singula quae meruistis etiam prius quam mereremini, abunde solvisse; Neque discessionem vestram praesentem, vos iniuria, de qua sertis, apud Regem et Consiliarios primum queri debebatis, sed pavor et ignavia, cum audieritis hodierna die Regem proelium cum hostibus habiturum, facere cogit. Qui sermo tam forti verbere Bohemos perstrinxit, perfoditque, ut discessione omissa castra regia quae liquerant repeterent, et cum militibus regijs mox cum hostibus manus conserturi in praelium properarent.

Completis ad integrum Wladislaus Poloniae Rex observationibus suis, non iam solum Alexandri Ducis Magni Litthuaniae, sed et militum suorum illum in arma et proelium vocantium precibus, clamoribus, surgit, et arma induens splendidissimis armis a vertice usque ad plantam vestitus, corpus, nomis et altioribus militum vociferationibus ut celerius signum pugnae daret, nihil enim satis propere fieri videbatur, impugnabatur. Nam etsi tam Polonicus quam Litthuanicus, aciebus instructis in praelium descendisset, hostilis quoque exercitus e regione ad pugnam et ipse armatus consisteret, et ab invicem ad tractum unius sagittae vix distarent, praeludia quoque concertationum inter illos per singularia certamina fierent, nonnisi tamen signo a Rege accepto cum hoste decernere hortatum durabat, Polonorum milites obstinaverant animos aut vincere aut mori, Ruthenica acies non tam constantes animos induerat velut in qua colluvies variarum linguarum atque nationum, turba praeterea mechanicorum, lixarum atque callonum bello inutilis consistebat. Rex itaque armatis equum conscendit, et omnibus insignibus regijs relictis,

praeter

praeter id quod parvae quantitatis signum album, aquila intextum ante illum deferebatur, ad videndum hostilem exercitum in editiorem montem processit, atque in collem unum inter duo nemora situm, planitie quoque larga refertum, ex quo facilis et plenus poterat haberi in hostes prospectus, conscendens, oculis magis quam ratione suas et hostium vires pensans, interdum laeta interdum tristia sibi ominabatur. Quantitate hostili ad satietatem contemplata in inferiora descendit, et magnum Polonorum numerum baltheo militari cingens, ac eosdem bellandi incentivum, brevem quidem sed gravem sermonem infundens, et unumquemque suae probitatis admonens, Confessionem facinorum, equo, ut erat, insidens, apud Nicolaum Vicecancellarium Regni Poloniae innovavit. Mutato deinde equo, Spadonem fortem et robustum ex millibus electum coloris subrufi aliâs Cisawy, exiguam lineamque habentem in fronte calvitium conscendit, galeamque petit. Qua oblata, manibus illam tenens, ad Nicolaum Vicecancellarium Regni Poloniae mandata facit, Cumque cum singulis Presbiteris et notariis caeteraque turba imbelli et ad pugnam inutili, ad currus ire, et suum adventum arcubus compositis firmatum operiri iubet. Sancitum enim fuerat secreto et salubri consilio Regem non prodire in praelii discrimen, sed continere se inter currus et castra. Impleturus itaque Vladislaus Polonorum Rex suorum Consiliariorum decretum, Nicolaum Vicecancellarium ad castra praeire iubet, spem de adventu suo et ipse pollicens, ne redire et ipse, si subsequi non spem fecisset, Consiliariorum impulsu ad currus cogeretur. Sub hoc tempore Sparw Cruciferorum Magister Ulricus de Iunigen, dum Regias et suas copias in grandi multitudine vidisset convenisse, et ad dimicandum accinctas in aciebus et ordinibus consistere, ultimi discriminis horam perhorrescens, fiduciam qua usque ad superbiam inflammarat, in solicitudinem

vertit

vertit, ac in locum abstractum secedens non maerori tan
tummodo sed et lachrimis ubertim manantibus indulgebat.
Id dum Commendatoribus suis quorum caterva tunc
circumfusus erat admodum displiceret, Elbingensis Com
mendator Wernerus Tetinger illum aggressus publice ob
iurgat, monens et virum se non foeminam gerat, et strenuita
tis potius de se, quam ignaviae exemplum militibus suis, si
gnum pugnae ab eo praestolantibus, praebeat. Eam obiurga
tionem Ulricus Magister modeste ferens respondet, non
meticulositate aliqua aut ignavia lachrimas, quas coram
cernebant profudisse, sed religione et vera compassione,
quod videbat sub suo Magistratu et regimine tantum
Christianorum sanguinis, quantum, qui oculis non subiiceret,
animo et aestimatione concipere vix posset, futurum foret
fusum iri. Vereri quoque se, ne fusus iam et prope horam
fundendus sanguis, de suis requiratur manibus, et pro
pterea anxietatem, sive aegri, sive praesagientis animi occu
lere non valuisse. Addebat quoque se ut virum constan
tem et pugnam absque metu initurum, et in eius usque ad extremum
in quamcunque partem eius sors casura foret, perseuera
turum. Sed istum potius ipse Wernerus Tetinger aspiceret,
de se quoque, potius et sua persona, statu, atque conditione cu
raret, ne superbe et ferociter de se et viribus suis praesu
mens, tanto turpius, dum ad pugnam ventum foret cade
ret, quanto se inflatius supra caeteros elevaret. Vera ra
mo fuit haec denunciatio, Magister enim Prussiae Ulricus
pugnando adverso pectore cecidit, nec suo exercitui su
peresse dignum duxit, Wernerus Tetinger Commenda
tor Elbingensis turpiter ex praelio fugiens, non prius fu
gam, quam in Elbing devenisset, sistere potuit, documen
tum non inultae superbiae et praesumptionis, singulis futurus.

Mandatis Regiis Nicolaus Regni Po
loniae Vicecancellarius acceptis, praeire ad currus coepe
rat, Regi galeam capiti supponere et in pugnam procede
re gestienti, dum subito nunciatur duos Heroldos, quorũ
unus Romanorum Regis nigram videlicet aquilam in au
reo campo, alter Stetinensis Ducis, rubeum Gryffonem
in albo

in albo campo, deferebant insignia, ex hostium exerci-
tu egressos, duos enses nudos et vagina carentes deferen-
tes in manibus, et praesentiam requirentes Regis, mili-
tum Poloniae tutela, ne violarentur, ad Regem conductos
adesse. Illos siquidem Prussiae Magister Ulricus ad Wla-
dislaum Regem, ad conferendum praelium sine cunctati-
one et dimicandum quasi excitativos, additis insuper
superbis mandatis transmiserat. Quibus Wladisla-
us Poloniae Rex visis, ratus illos ut erat aliquid novae
et insolitae legationis ferre, Nicolaum Vicecancellarium
revocari iubens, in eius atque certorum Baronum, quibus
Regii corporis custodia mandata fuerat, videlicet Du-
cis iunioris Masoviae Semoviti, nepotis germani ex so-
rore regii, Joannis Manszyk de Dambrowa, Szolawe
Bohemi, Sbignei de Olesznicza Secretarii, Dobieslai Ko-
bila, Wolczkonis Rohatsz, Boguphali magistri co-
quinae, Sbignei Czaycha de Nowodwor regiam lance-
am, Nicolai Morawiecz vexillum parvulum, Dancho-
nis de Russia sagittas regias deferentium, quoniam fe-
stinatio in praelium Alexandrum Ducem Magnum Lit-
huaniae, et occupatio eius circa componendas suorum acies
videbatur arcere, Heroldorum legationem audit, qui reveren-
tia aliquali apud Regem facta, legationis sua verba
Theutonico idiomate, Joanne Manszek interpretante in
hunc modum effecerunt. Illustrissime Rex, Magister Prus-
siae Generalis Ulricus mittit tibi et fratri tuo Witoldo
(Alexandro et Alexandri et Ducis nomine) per nos Herol-
dos, praesentes duos gladios in pugnae suffragium futurae,
quatenus cum eo et gente sua minus cunctanter et
magis audacter quam praefers animo congrediaris, neque
de caetero latites, et inter sylvas nemoraque consistens
pugnam trahas. Si autem strictum et arctum cam-
pum, te ad explicandum tuorum acies habere existi-
mas, offert tibi Magister Prussiae Ulricus, quatenus te
ad certamen eliciat, de planicie campi, quam suo exercitu

occupavit

occupant, ad quantum vobis excedere, aut saltem, ne pugna
ulterius dilatum a te iri contingat, martis campum quemli
bet delige, Haec Heroldi. In ipso autem legationis Heroldo
rum puncto, Cruciferorum exercitus, denuntiationem suam
per Heroldos factam testatus, retrocessionem ad spacium
haud exiguum notatus est fecisse, ut appareret eum fi
dem Heroldorum et intimatorum suorum opere expressisse.
Stulta profecto et parum eorum religioni congruens haec
denuntiatio, quasi fortunam in suo consilio, suaque potestate
habitam novissent, quid cuique lux illa assignatura foret.
Vladislaus autem Poloniae Rex superba et arroganti le
gatione Cruciferorum audita, gladiis de manibus Herol
dorum acceptatis, non in bilem aut indignationem ali
quam, sed in lacrimas resolutus, responsionem suam nul
la deliberatione, mira tamen et quasi superna humilita
te patientia et modestia fretus ad Heroldos facit. Quam
vis, inquit, in exercitu meo sufficientes gladios haberem, ho
stium meorum gladiis non egeam, pro maiori tamen suffra
gio, tutela, et defensione causae et iustitiae meae, etiam hos du
os gladios, ab hostibus meis, meum et gentis meae sanguinem
et exitium sitientibus, missos, et per vos delatos in nomine
domini Dei accepto, ad quem velut iustissimum intoleran
dae superbiae vindicem, ad eius quoque genitricem virginem
Mariam, ad patronos quoque meos sive Regni mei Stanisla
um, Adalbertum, Wenceslaum, Florianum, et Hedwigim
confugiam, precaborque illos ut in hostes tam superbos, tam
impios, qui nulla aequitati, nulla humilitati, nulla oblationi
meae, nisi sanguinem fundant, viscera laniant, iugulum
cervici admoveant, placari pacificarique possunt, iras suas
vertant. In certissimo Dei et Sanctorum eius praesidio, et il
lorum suffragio et pietati, fiducia mea collocata, quod illi
me populumque meum suis viribus suaque intercessione prote
gent, et non permittent me populumque meum succumbere
tam immanibus hostibus, apud quos frequentibus pa
cem quaesivi, quam et praesenti hora, dummodo aequis con
ditionibus inveniri posset, non fastidirem accipere, et vi
bratam in pugnam manum retraherem etiam nunc,
quamvis de caelo mihi victoriam ex hostium meorum

quos

quos attulistis evidentissimo ostento, vindicam portendi, a
confluctu. Campi vero electionem non mihi vendico neque
arrogo, sed illius designationem, quemadmodum Christi
ano et Domini et Regi convenit, divinitati refero, cum
locum pro certamine, cum belli eventum habiturus, quem
divina propitiatio et praesentes Divi fortuna est assi
gnatura. Confidens furori Cruciferorum a Superis dari
eos exitus, quibus et in praesens et in posterum domabitur
illorum tam impia et non ferenda superbia. Superos enim
compertum habeo pro iustiori causa staturos, tantam ta
lemque hostium invisorum superbiam caelotenus se efferentem
campus quem calcamus, in quo concurrendum est, et Mars
communis belli et aequus iudex cernet, humiliabitque. Spe
rans Deum mihi et genti meae praesentis certaminis so
latia praebiturum. Servantur duo praedicti Acinaces per
superbiam Polonorum Regi in subsidium missi a Cruciferis
in thesauro Regio Cracoviae in hanc diem, alterius arro
gantiam et cladem, alterius humilitatem et triumphum
nova et aeterna semper memoria testaturi. Sic fatus, Arel
dis, Dziwisco Marzarzli de domo Geletonum militi, in
custodiam traditis, Vicecancellario in castra hostium ire
iusso, galeam capiti superposuit, et in nomine Domini exer
citum, in pugnam provehens, signa canere, praeliumque incho
are milites praecepit, Superos invocans, observansque ut iras
suas in Cruciferos, non faederum tantummodo ruptores
sed arrogantia execrandos viros et omnis aequitatis osores
verterent, militum quoque suorum erigerent et adunarent
virtutem. Currere secundum et tunc inter strudentia arma,
inter concrepantes clangore tubas Rex mitissimus niteba
tur aequitatem et iudicium, singula belli instrumenta, quo
modo pax aequis conditionibus provenire posset, depositurus
Verum contumeliosa et arroganti Cruciferorum legatione
audita, cessit ex sententia, spemque omnem pacis, qua in eam
horam detinebatur, deposuit. Considerans frustra sese
obniti, quando tanta streperent Cruciferi superbia. Opti
mus plane Rex, qui hostes suos non tam gladio, quam man
suetudine

Sincitudine et aequitate vincebat, plus Sacrificijs et orati
one demerens quam telis

Comparatum siquidem et maturo consi
lio digestum fuit, quod Vladislaus Poloniae Rex ad nul
lam certam aciem omniumque Banderij ordinatus erat, sed
cura praecipuissima cuius salus et vita magnopere fuit
tunc custodita. Et providentissima ordinatione constitu
tum, ut in loco abstracto et securo Rex ipse non solum
ab hostibus, sed a suis etiam ignoratus consisteret, tur
ba et exercitu notabilium custodum et militum valla
tus. Equi etiam veloces per loca varia dispositi, in qui
bus transmutando illos, periculum, acie hostili vincente, eva
deret, velut is qui solus pro decem millibus computabatur.
Habebat autem in exercitu custodum suorum, ut in superio
ribus praemisimus, Banderiolum, in quo erat pro insigni aquila
alba, cuius signifer erat Nicolaus Morawiecz de Kynoszo
wka, de domo Kowalya, exercitus autem ipse custodum se
xaginta lanceas militum continebat. Principales autem cu
stodes regij corporis erant hi, Semovitus iunior Dux Ma
zoviae filius Semoviti senioris, nepos Regius ex germana
sorore, Wyedulszko alias Theodosius Dux Lithuaniae ha
bens non contemnendum de suis gentibus exercitum, Si
gismundus Coributh Dux Lithuaniae nepotis Regij pa
trueles, et hi tres Principes cognati. Item Nicolaus Re
gni Poloniae Vicecancellarius de domo tubarum, post Gnesnen
sis Archiepiscopus, Sbigneus de Olesznicza de stirpe Dambo
zih de Dambrowa de domo Nadubcz, post Palatinus
Leopoliensis Joannes Ssolawa Bohemus Baro de domo Bo
warzow, Boniassius Vngerusz de Byalya senior Cubicularius Do
rum regiorum de domo Vngeruszonum, Henricus de Rogow
de domo Dzialyssza, et post Regni Poloniae Vicethesaura
rius, Sbigneus Czaiha de Nowydwor de domo Dambno
qui hastam regiam deferebat, Petrus Mielanski de domo
quadrus vomeres latos aratrales, dorsis sibi iunctos, in cam
po

pro calistino defert pro insignijs, cuius in Polonico proclama-
est, Joannes Szokol Bohemus, et plures alij. Alexander
autem Vitoldus Dux Magnus Lithuaniae, capitis sui
et corporis custodiam soli Deo derelinquens, per univer-
sum tam Polonorum quam Lithuanorum volabat dis-
currebatque, equos frequentius mutando, exercitum, paucos
habens comites corporis, custodes vero nullos, fractos
ordines et pugnam in locis multis apud Lithuanum
cum exercitum restituens, fugamque suorum magnopere
usque ad extremum valido clamore et vociferatione
nequicquam inhibens.

Signis canere incipientibus Regius universus exercitus, patrium carmen Bogurodzicza sonora voce vociferatus est, deinde hastis vibratis in praelium prorupit. Exercitus tamen Lithuanicus, omnis morae impatiens, Ducis Alexandri iussu prorsus ad congressum venit. Jam si Nicolaus Regni Poloniae Vicecancellarius cum Sacerdotibus et Notarijs ad castra Regia processerat in multarum lacrimarum effusione, a conspectu Regis avellebat, dum illi per unum ex Notarijs suggestum est, subsisteret parumper, acierumque inter tam validissimos exercitus praestolaretur congressum, rarum sane nec in post unquam videndum spectaculum. Cumque ille eodem persuasus, ad praelij congressum oculos et vultum converteret, In ipso autem temporis articulo, acies utraque in vallis, quae exercitus dividebat, medio, sublato ab utrisque clamore, quem pugnaturi edere consueverunt, Cruciferis Polonorum acies, geminata duntaxat bombardarum provectione, casso sulfure, offendere et confundere nitentibus, congressae sunt, quamvis Pruthenica acies et impetu clamoreque validiori, et ex editiori loco concurrisset in certamine. Erant in congressus loco sex quercus altae, quas et eius ramos, plures mortalium, de Regisne an Cruciferorum exercitu incertum, et primarium acierum congressum, et fortunam utriusque exercitus superne visuri, ascenderant. Tantus autem fragor et sonitus acierum congressu

congressis, quasi moles quaedam immensa ruinata foret, ex fractione lancearum, et collisione armorum, tam sonorus a gladiis crepitus editus est, ut etiam ab his qui aliquot milliaria distabant, probe audiretur, pes insuper pedi pressus, et armis quatiebantur arma, mucronesq in ora dirigebantur. Signisq relatis, timidus non poterat a strenuo, utrisq sibi quadam connexione cohaerentibus, nec fortis ab ignauo discerni, nec serui mutabant locum aut promouebant gradum, donec hoste deiecto aut interfecto victor victi locum occuparet. Hastis demum confractis adeo cohaerebant utrinq acies, et arma armis, ut non nisi mucronibus et securibus longius ligno extensis, ingentem sonitum, qualem in fabricis mallei in incudibus efficiunt, pergrandem ederent, equisq pressi dimicarent, Marsq tunc inter pugnantes manu tantummodo et gladio conspicebatur fortissimus.

Congressu inito uterq exercitus ancipiti praelio ad unius prope horae spacium dimicabat. Et neutro exercitu referente pedem, fortissime quoq pro victoria adnitente, ambiguum erat in quam partem inclinaret fortuna, aut quae pars praelio superior euasura foret, dignoscere. Cruciferi cum animaduertissent in eorum laeuo et exercitus Polonici durum sibi quoq discriminosum certamen, delectis iam praestantioribus ordinibus, committi, in dextrum cornu, in quo acies Litthuanica constiterat, quae et ordinibus rara, et equis armisq tenuis et languida, ad vincendum facilis videbatur, vires conuertunt, ea pulsa, in Polonorum aciem fortius grassaturi. Non tamen proposito eorum ad plenum spes respondit, pugna inter Litthuanos, Ruthenos, et Tartaros feruente, acies Litthuanica deteriori loco, impetum hostilem sustinere non valens, cedere coepit, pedemque ad unius iugeris terrae spacium retulit. Cruciferis autem amplius eam prementibus, iterumq et iterum cedere, et tandem verti in fugam, Duce Magno Litthuaniae Alexandro nequicquam fugam verbere et clamore valido sistente, coacta est. Traxitq secum magnam etiam Polonorum qui eis commixti non fuerant multitudinem, quam hostis, credendo

castitudineq

castigandoque fugientes, ad plura milliaria, ratus se iam ad plenum debellasse, persequebatur. Tantus autem metus fugientes pervaserat, ut plerique non nisi Litthwaniam pervenientes fugam sisterent, et caesum Regem Wladislaum, caesum quoque Alexandrum Ducem Magnum Litthwaniae, caesos insuper eorum exercitus usque ad internecionem nunciaverint. In eo conflictu Smolnensium milites Rutheni, ad tria propria consistentes signa, pertinacius pugnando, soli fugae expertes, insignem laudem meruerant. Nam etsi sub signo uno caesi forent durissime, et signum usque humo proculcatum, in duobus tamen reliquis, quemadmodum viros et milites conveniebat, fortissime pugnando, victores evaserant, seque tandem Polonicis agminibus coniunxerant, solique in exercitu Alexandri Vitholdi laudem dimicationis tulerant fortes et strenue illo die. Caeteri omnes, velut in dimicatione volentes, cursu effuso, ad fugam, hoste persequente, ferebantur. Fugam autem suorum Alexander Vitholdus Magnus Dux Litthwaniae molestius ferens, veritus quoque ex infelici suorum pugna animos Polonorum perculsos fore, aliis atque aliis nuntiis a se missis, ut omni cunctatione remissa properaret Rex, nequaquam desperantibus, solus ipse et incomitatus concito cursu advenit, magnopere rogans Regem ut in praelium procederet, praesentia sua plurimum animositatis et audaciae pugnantibus collaturus.

Fugierat etiam ea tempestate et Sancti Georgij de parte Regia vexillum, sub quo tantum modo Bohemi et Moravi mercenarij militabant, quod Joannes Sarnowski Bohemus ferendum acceperat, et cum omni gente Bohemica et Moravica in nemus, in quo Wladislaus Poloniae Rex fideles militari insignierat baltheo, diverterat, stabatque in nemore illo, neque in praelium regredi audebat. Quod Wladislaus Regni Poloniae vexillum mercenariorum prospiciens, et non Bohemorum, sed Dobeslai de Olesnicza militis, et sui generis atque familiae esse existimans, nam crux alba in eodem vexillo depicta, aliquam crucis albae

quam

quam Dobeslaus de Olesznicza in signo gestabat pro ipsi-
ius similitudinem expresserat, grandi indignatione permotus,
ex castris regijs cum notarijs et Presbiteris exiliens, usque
in locum in quo constiterat advenit, et Dobeslaum de Ole-
snicza militem illic esse ratus, his illum sermonibus carpit
et obiurgat. Poterasne o infide et execrande miles, pugna
inter Regem tuum et gentem tuam fervente, commilitonibus
tuis ferociter pugnantibus et in discrimine positis, in tur-
pem fugam verti, et in hac sylva delitescendo, latitan-
doque te subducere a praelio non vereris, qui olim solebas
corporis tui singulari virtute, plures ex privatis certami-
nibus referre triumphos. Convenitne id honori tuo, qui fa-
cinore te et universum genus tuum coinquinas perimmenso,
nullo unquam tempore tam validas undas ad dilu-
endum illud habiturus. Perculsus huiusmodi sermo-
ne et ad se prolatum ratus praedictus Joannes Zarno-
wski Bohemus vexillifer, amoto galea sua dolabro, Ni-
colao Vicecancellario respondit: Neque metu, neque mea
sponte pater Reverende, sed impetu et tractu fugienti-
um ex praelio et sub signo meo consistentium militum huc
sum delatus. Milites antesignani ex Bohemis et Mo-
ravis, Jawor, Sigismundus Kaltowecz de Rankowa et
alij. Tibi, inquiunt, testamur, vir egregie, quod ductu hu-
ius hominis pessimi simplarij nos in hac sylvas ex
certaminis loco trusos et adductos esse. Et ne nobis fugae
facinus posset exprobrari a quoquam, ductura sua signoque
quod fert desertis ad certamen revertimur. Neque diutius
fecerunt moram, sed Joanne Zarnowski et signo suo derelicto
celerius quo possunt redeuntes, ad palaestram, certantium
militum Polonicalium se agminibus miscuerunt. Erat au-
tem ab eo tempore praefatus Joannes Zarnowski Bohemus
infamis, quem et uxor propria ex Poloniae Regno post con-
flictum redeuntem, neque castro neque thoro excipere, meti-
culositatem et fugam illi exprobrans perseveravit.
Quibus contumelijs atque improperijs affectus, pauco vixit
tempore, taedioque et dolore assiduo contabescens extinctus
est, fraus enim sua et pusillanimitas, quam eo die in Wladi-
slao

slao Poloniae Rege, fugiendo voluntarie ex pugna osten
derat, in vulgarem et apud Sigismundum Hungariae Re
gem et apud Bohemiae et Moraviae Barones asscripserant
notoriam, nec poterat aliquo processu temporis aboleri, di
lui, vel obliterari. Fugam autem Simonowdi et Jescono
nem praefatus Joannes, pusillanimitate ne an auro Cruci
ferorum corruptus fecerit, parum constabat

Litthuanico exercitu in fugam acto,
inter Polonorum et Pruthenorum exercitum, suppresso per
descensum suavis et modestae pluviae, ingenti qui pugnam
et pugnantes confundebat, pulvere, acerrimum instauratur
in locis variis certamen. Cruciferisque pro victoria adni
tentibus, magnum Banderium Poloniae Regis Vladislai
aquilam albam habens pro insigni, cuius Martinus de
Vroczimowicze vexillifer Cracoviensis miles de domo
Poluhosza erat gestator, prolabitur hostili impetu in terram.
Verum a pugnacissimis militibus et veteranis, qui ad
illud constiterant, illico ruinam illius resurgentibus,
sublatum est et suo loco restitutum, quod, nisi circa illud
egregia fortissimorum militum manus se opposuisset, cor
poribusque et armis illud defendissent, erigi non poterat.
Eam autem indignitatem et probrum Poloniae milites
correcturi, saevissimo impetu grassantur in hostes, et omne
illud robur, quod cum illis manus conservaverat, fundunt,
prosternunt, et debellant. Interea redit Cruciferorum
exercitus, Litthuanos et Ruthenos fugientes insectatus,
multitudinem captivorum secum ducens, et victorem
se agens, magna iocunditate in castra Prutenica prope
rabat. Videns autem infestis armis, viribusque aspri bel
lum, captivis et sarcinis abiectis in praelium insilit, par
ti suae segnius iam tunc decertanti succursurus. Fit
asperum succedentibus novis pugnatoribus inter utrosque
certamen, et corruentibus hinc inde quam plurimis,
acies Cruciferorum grandi in militibus iactura excepta,
ordinibus insuper confusis, et his qui ordines ducebant
peremptis, ad fugam inclinatura sperabatur. Cruci
feris tamen et ordine et militum Bohemorum Almanorumque
perseverantia, labans in plerisque locis praelium restitutum.

Pugna

Pugna inter utrumque exercitum in suo feruore
durante, stabat Vladislaus Poloniae Rex, animositatem
pugnantium eminus prospiciens, fiduciaque sua in di
uina propitiatione reposita, hostium, quos in locis aliquot
fusos profligatosque uiderat, fugam et deuictionem extremam
tacitus operiebatur. Sedecim interim hostium cohortes
sub totidem signis nouae, integrae, et nondum belli fortunam
expertae, in praelium succedebant, et aciebus in partem, qua
Rex Poloniae cum custodibus tantummodo corporis consti
terat, uersis, petere illum lanceis vibratis videbantur.
Ratus autem Rex, se acie hostili, paucitatis suae respe
ctu, ex composito peti, veritus imminere sibi extremum
discrimen, Sbigneum de Olesnicza Secretarium suum
ad gentes suas e propinquo positas, et sub signo Cubicula
riorum militantes, transmittit, iubens quatenus propere
illi in subsidium accurrerent, ingens periculum, e capite sui
Regis, in quod ni celerius succurreretur, recasurus esset,
propulsuri. Erat et vexillum illud in puncto et procinctu
ad faciendum cum hostili agmine congressum, miles etiamque
Regius Nicolaus Kielbasza de domo Nalancz unus ex
antesignanis, contra Regium Nuncium Sbigneum nota
rium, acinacem stringens, grandi illum voce discedere
propere iubens obiurgat. Videsne inquit o fumiste ab
hostibus nos invadi, et cogis ut supervenienti pugna
omissa, in Regis defensionem concedamus, quod quid
aliud est nisi fugere ex acie et terga retrocedendo
praebere hosti, et tam nos quam Regem manifesto pe
riculo, viribus nostris confractis, addicere. Cedens obiurga
tione Sbigneus de Olesnicza repulsus, a cohorte Cubi
culariorum, cui se medius ingesserat, discedit, et exem
plo gentes Regiae cum hostibus congrediuntur, fortis
sime quoque dimicantes obterunt, et hostes fundunt. Sbi
gneo de Olesnicza ad Regem reuerso, et singulos mi
lites circa praelium occupatos esse nunciante, addenteque
quod a pugnantibus aut in pugnam spectantibus nullum
consilium, nullum imperium posset accipi, cateruas autem co
hortis pugnam cientes Sbigneus se non vidisse, apud Re
gem

gem nuntiabat, quoniam apud illas prae strepitu et tumultu neque consilium accipi poterat, neque imperium, Sed unum vexillum regium, quod ferebatur post illum, albam aquilam in campo rubeo habens pro insigni, ne Regem militi conspicuum proderet, prouide subductum, et custodibus corporis Regij mandantibus, suppressum est, et circumstantium militum equis et corporibus, Vuladislaus Rex, ne illic stare conspiceretur, adumbratus. Aspirat Vuladislaus Rex vehementi ardore in praelium, et calcaribus urgens equum, in hostium confertissimos insilire, custodibus corporis retinentibus eum, obstantibusque, nitebatur. Unde et Szolawam Bohemum unum ex custodibus corporis fervens manu frenum equi ne procederet valeret complexum, lancea sua extremitate Rex, modeste tamen ferit, dimittique se in pugnam rogat, donec universorum corporis custodum omnia se prius extrema, quam id eveniat passuros profitentium, prece et duriori renitentia revocatus et cohibitus est. Miles interea de exercitu Cruciferorum Almannus genere appellatus Dypoldus Kikerzicz de Dreber de Luszatia, cingulo aureo, alba diplonde Theutonica, quam in Polonico appellamus Iakkam, et armis in toto corpore vestitus, ex acie maioris vexilli Cruciferorum intervalla sedecim consistentis, in equo rufo exiliens, in locum usque quo Rex stabat decurrebat, vibransque hastam, universo hostili sub sedecim signis constituto exercitu inspectante, invasurus Regem videbatur. Quem dum Vuladislaus Rex vibrata et ipse hasta sua excipere niteretur, a Sbigneo de Olesnicza regio notario nudo et inermi, semifractam lanceam gestante, in latus ictum Regis praevenienti, exceptus, et in terram ex equo praecipitatus est. Quem palpitantem et supinum Vuladislaus Rex in fronte, quam casside sursum versa habebat nudatam, hasta feriens, intactum reliquit, sed ille a militibus Regem observantibus occisus, a pedestribus vero armis et spolijs exutus est, Favere aliquis in illa pugna aliquid fidelius potuit,

Sbignei

Sbigneus profecto opere nihil fortius, nihil audacius, qui
inermis et nudus, cum armato undique vestito, adolescens
cum viro, nec dum tyro cum veterano congredi ausus
per semitruncatam hastam, adversarij praelongam
elisit, et hostem infestum ex equo deiiciens, non tam
Regis sui, quam totius exercitus periculum excussit,
et necis Regis proventurum avertit. Quem dum Vla
dislaus Poloniae Rex, custodibus sui corporis certatim
animositatem illius apud regias aures offerentibus, bal
theo cingere ornarique militari, ac decus operis sui prae
miare magnopere gestisset, non sustinuit ingenuus ado
lescens, eo se honore a Rege tractatum et insignitum
iri, sed Vladislao Rege fascis sibi militares impo
nente respondit, non saeculari militiae sed ecclesiasticae
se addicendum fore, et Christo malle quam Regi terreno
et mortali perpetuo militare. Tum Vladislaus Rex, Ex
quo, inquit, sortem potiorem delegisti, at ego si vixero ad
pontificale culmen te promovere, praemiatumque tuum opus,
non intermittam. Ab eo itaque tempore Sbigneus ipse cha
rior Regi esse coepit, et in conspectu omnium singulari gra
tia et favore respirans, in Episcopum demum Craco
viensem favore regio processu temporis promovendus. Ir
regularitatis tunc contractae notam Martino Papa
quinto dispensante, promeruit.

Agmen Cruciferorum sub hederam signis
consistens, ex quo miles Misznensis hoherzicz Regem inva
serus, ausu temerario magis quam audaci produxat, videns
praefatum militem hoherzicz truncatum esse, convertit duo ca
pit, uno Crucifero qui signa deferebat, albo insidente equo, antesi
gnanos milites lancea ad retrocedendum impellente, claman
teque in Theutonico, Herum Herum. Conversus autem ibat in
partem dextram, in qua vexillum magnus Regium, cerebro ho
stium iam perfundum, cum nonnullis alijs Regijs signis con
stiterat. Milites autem Regij viso exercitu sub hederam si
gnis posito, plerique hostilem, ut erat, rati, alij ingenij huma
ni vitio in spem meliorem proni, Litthuanicum exercitum
propter versatiles lanceas, alias Szulicze, quarum in eo fre
quens

quibus numeris habebatur, astruentibus, non subito illud
aggressi sunt, dubietatis concertatione inter eos crescente
suspensi. Quam gestiens Dobeslaus de Olesnicza mi
les de domo Crucis, quae Dembno appellatur solvere, ur
get vibrata lancea equum cursu in hostem, Contra quem
Crucifer signa et ordines ducens de turma Pruthenica exi
lit, et venienti Dobeslao contra se occurrens, vibratam
hastam Dobeslai sua vibratili lancea in sublime excussam
per caput submittit, Primo secundum Dobeslaus Olesnizki
emisit hastam, quam Crucifer modica declinatione et sub
missione capitis, Sarissá etiam in altum sublatam evitavit,
ictumque ferire illum conantis Dobeslai elusit. Dobeslaus
autem frustratum se ictu suo advertens, et cum univer
so hostili decertare agmine temerarium et insanum du
cens, concito cursu ad suos regrediebatur. Quem Cru
cifer persequutus, infestam et ipse Sarissam, equo calcari
bus adacto, in Dobeslaum contorquens, emittensque, vulnus
in lumbis equi Dobeslai, per testuram, quam Kropyerz
vocitamus, non laethale tamen infligens, citato cursu, ne a
Polonorum militibus occuparetur, suis se vicemversa con
iunxit. Polonorum itaque acies dubietate quae illos tenue
rat discussa, sub frequentibus signis in hostes sub sedi
cim signis constitutos, in quae et reliqui alii apud alia si
gna confluti refugerant, irruunt, et laethale cum illis
conserunt certamen. Et licet hostes aliquamdiu restitis
sent, ad extremum tamen multitudine exercitus Regii
undiquaque circumdati, strati obtritique sunt, et fere singu
lae gentes sub sedecim signis militantes caesae aut captae
eo hostium agmine deiecto profligatoque, quo et Magistrum
Prussiae generalem Ulricum, Marsalcos, Commendatores
et quoslibet milites, proceres, de exercitu Pruthenico praestan
tiores constabat cecidisse, caetera multitudo hostilis averti,
et ut semel dedit terga, etiam certam capessere fugam cae
pit. Victoriamque etsi seram laboriosamque, plenam tamen
et certam Vladislaus Polonorum Rex et exercitus suus
di-

de Magistro et Ordine Cruciferorum consequuti. Tunc sequi
dem Georgius Herzdorff miles qui in Cruciferorum exer
citu Sancti Georgij Banderium detulerat, capi Sorestu,
quam turpiter fugere malleus, cum quadraginta Comilito
nibus, Przedpelkoni Kopidlowski Polono milite de domo
Drya flexis genibus in terram, occurrens, in captiuita
tem militarem, quemadmodum precabatur, signo etiam
contradito, receptus est. Recepti et Si duo Duces Casimirus
Stetinensis per Scarbkonem de Gori, Conradus albus Ol
snicensis per Jeskonem de Zalez Bohemum, qui proprijs
gentibus et signis Cruciferorum partim adiuuerant. Capti
praeterea multi alij diuersarum gentium et nationum milites,
plerisque autem militibus, qui ex acie Prutenorum diffugerant,
curribus Prutenorum et castra defensionis gratia ingressis,
a gentibus regijs curribus et castris regijs perrupti'ys inuasi,
et oppugnati, aut trucidati fuere, aut capti, castraque So
stilia multiplici opulentia plena, et currus, et omnis Magi
stri Prussiae, et sui exercitus, suppellex, per Polonos milites di
repta. Reperta autem fuere aliquot in Crucifero exercitu
quadrigae vinculis tantummodo et catenis onustae, quas
Cruciferi, certam sibi ominati, diuinitate inconsulta, victori
am, nec praelium meditati sed triumphum, ad vinciendum
Polonorum captiuos conduxerant. Reperti et alij pleni farum,
quae sinosae seno tamen et pice oblitae, tela insuper seno et
pice perfusa circumdatae, cum quibus debellatos et fugi
entes prosequerentur per anticessum, rem in manu Dei si
tam, tumido et de victoria fidenti animo, non reseruata po
testati superis, exequuturi. Vinculis tamen et catenis
huiusmodi, iusto Deo praesumptionem eorum contemnente,
a Polonis alligabantur. Erat spectaculo digna et prostituti
matione rerum sortis humanae miranda res, quod domi
nos proprios propria vincula et catenae includerent, et So
stiles currus plura explentes millia, adeo quod nec illo
rum minimum relinqueretur vestigium, infra quartalis
Sorae unius, a Regio exercitu direpti. Erant praeterea in
castris et curribus Prutenicis vasa vini multa, ad quae
Regius

Regius exercitus, hostibus debellatis, praelij fatiga et fer
vore aestivo defatigatus ad refocillandum sitim concur
rerat, nonnullis militum galeis, caeteri Chirotecis, calce
is etiam alij hauriendo merum sitim sedabant. Veritus
autem Vladislaus Poloniae Rex ne exercitus suus a
vino inebriatus redderetur inutilis, facile si quis congre
di auderet, etiam ab ignavo hoste vincendus, ne quoque
ex nimia potatione in morbos et languores solverentur,
vasa vini discrimine frangi iubet. Quibus ad imperium
Regis celeriter confractis, defluebat vinum in occiso
rum cadavera quorum erant in loco stationum hostili
um haud parvae congeries, et mixtum cum hominum, equo
rumque interfectorum sanguine, rubeum torrentem confi
ciens, usque ad prata villae Tamberk visum est defluxis
se. Et alveum ripas ad modum torrentis sua impetuo
sitate effecisse. Inde vulgari fictioni et fabulae occasionem
praestitam ferunt, qua vulgatum erat, tantum eo praelio
sanguinis fusum esse, ut cruor torrentis in modum def
flueret. Reperta deinde sunt in sylva parva arboribus
quas multivariis coramus obsita, et haud procul a
statione hostili distante, septem hostium Banderia a
fugientibus derelicta, et terra tantummodo infixa, et
mandata, quae ad Regem continuo delata sunt. Hen
ricus Commendator de Tierzolya, qui deferri ante se
mandando nudos gladios, a superbia sua revocari
per bene suadentes nequaquam potuit, dum ex praelio
turpiter fugiendo in villam Vnyelgrow devenisset,
ab insequentibus consequutus, miserabiliter capite caeso
obtruncatus, temeritatis et superbiae suae funestas
quidem sed meritas poenas dedit. Conspectus autem
sub praelij tempore fuit in aere a nonnullis viris devo
tis et timoratis, et quibus id videri propitiatio di
vina concesserat, vir quidam pontificalibus amictus
personam egregiam repraesentans, Polonorum exerci
tum iugiter, et donec pugnaretur, et Poloni caederent vi
ctoria benedicens, Beatissimus Stanislaus Cracoviensis
Episcopus

Episcopus, Polonorum Patronus, et Prothomartyr creditus, cuius intercessione et suffragio tam celebrem victoriam constat Polonis provenisse.

Curribus hostilibus distractis, exercitus Regius ad collem, in quo hostium statio et castra erant, pervenit. Hostium quoque ex fuga dilapsorum plures turmas et cuneos, et sole reverberante armis quibus pene omnes vestiti fuerant fulgentium, perspexit. Ad quos persequendos se vltro accingens in prata quaedam lubrica ingressus, in hostes insilit, et paucis admodum resistere ausis demptis, agmen reliquum absque violatione, absque vulnere, iubente Rege, ferro ut milites parcerent, integrum agebatur. Tunc quoque Wladislaus Poloniae Rex militis persequi fugientes hostes signo dato iussit, commonitos, ut caedibus quam maxime abstinerent. Ad plura itaque milliaria persequutio extensa est, et paucis qui fugam maturaverant evadentibus, plures mortales comprehensi, in castraque reducti et clementer a victoribus habiti, altero die Regi dediti sunt. Multi in piscina a praelii loco duobus milliaribus distante ex tumultu et pressura undis suffocati. Nox superveniens persequutionem ademit. Hostium eo praelio quinquaginta millia occisa; capta quadraginta signa militaria referuntur, quinquaginta unum intercepta, spoliis hostilibus victores admodum ditati, quamvis difficile credam quanti ex hostibus ceciderint exacta supputatione asserere. Strata autem fuit in aliquot prolonga milliaria mortuorum corporibus via, terra madefacta interfectorum cruore, aer ipse morientium et eiulantium vocibus implebatur.

Exercitu regio ad persequendum fugientes hostes ad Regis imperium converso, Wladislaus Poloniae Rex in collem editiorem perveniens, se illic collocat, reliquam illius diei fortunam et sortem, quae tum in persequendo, tum in evadendo hostibus a Polonorum militibus edebatur perspecturus. Cum illic Alexander Dux Magnus Litthuaniae post relatam victoriam

victoriam primum offenderet, quippe qui sub omni pugnae
tempore inter Polonorum signa et cuneos, fessis et labo
rantibus novos et recentes submittendo, et quae fortu
na foret utriusque partis scrupulosius advertendo ver
sabatur, refert pro magna et iucunda novitate duos
fratres de Cruciferorum Ordine, Marquardum vide
licet de Szalczbach Commendatorem Brandeburgen
sem, et Schumborg, qui conventionis tempore inter
praefatum Alexandrum Ducem Litthuaniae, et Magi
strum atque Ordinem supra flumen Nyemyen prope
Kowno habitae, Duci praedicto Alexandro, et eius geni
trici quod parum pudica fuerit, sermone contumelioso et
illoto improperaverat, in praelio captos esse, subinferens
se in eis debitam vindictam per capitis truncationem
accipere statuisse. Vladislaus autem Poloniae Rex fe
licitate victoriae non elatus, sed benignitate et humili
tate solita usus, prohibuit praefatum Ducem Alexan
drum in captos et ~~[illegible]~~ deditos exercere aliquam vindictam.
Non conveniunt inquit chare frater amplius in eos ho
stis, quos non nostra virtute, sed clementis Dei per
missione, acie superavimus, saevire, neque nostras iniu
rias et offensas in captivos ulcisci, sed in altissi
mum Deum gratiarum actione pro collato triumpho cele
brata, omnem mansuetudinem et clementiam victis
et calamitosis praestari. Satis enim iusto Dei agente
iudicio iam illos et vexavimus et mulctavimus, iu
stumque est, ut et nos parcamus illis, quibus vis et
fortuna belli pepercit. Destitisset autem Dux Litthua
niae Alexander monitis Regijs motum, nisi praefato
rum Cruciferorum Schumborg et Marquardi, super
bi arrogantibus tumentesque sermonibus illum ad conceptum
dum cogitatum ultionem de novo irritassent, Verbis
enim eorum, qui in captivitate positi, fundendo commi
nationibus, submisse loqui, veniam quoque petere dedigna
bantur, praefatus Dux Alexander offensus, eos die
Dominico immediate sequenti vicesima die Julij in

stationibus

stationibus prope Morung, capitis obtruncatione, Vladi-
slao Poloniae Rege nequaquam insistente, damnavit. Dum
siquidem Alexander Vuitoudus a Marquardo Crucifero
praesentis fortunae conditionem, in qua foret, investigaret,
et matris suae probra illi obiiceret, Marquardus suae sor-
tis, et Ducalis irae dudum in eum exprompta oblitus, quem
placare verbis mansuetioribus debuerat, superbius loqu-
tus irritat, Nihil, inquit, praesenti fortunâ deterreor,
cuius successus ex aequo parti utrique suffunditur, sorte com-
mutata vos nobis victis crastina die, quo vos potiemini Socii
victores, largitura. Quo verbo veluti inclementiori a ca-
ptivo prolato, Dux Magnus Vuitoudus, quamvis in illum
nihil crudele attentare cogitarat, offensus, Marquardum
Commendatorem et Schumbork ad capitale supplicium
pertrahi iussit, Culpatus a multis Marquardus, quod
cui misericordia opus fuerat, iram et odium irritabat,
Dux vero Alexander Vuitoudus recte necne egerit an
perperam, saeviendo in captivos et deditos, expedien-
dum mihi non assumo

Sole in declivum tendente Vladi-
slaus Poloniae Rex, colle, in quo aliquanto tempore con-
stiterat, et praelii loco relicto ad spacium quartalis unius
milliaris, sequentibus eum curribus in multitudine co-
piosa versus Marienburg procedens, supra lacum ca-
stra posuit, ubi et universus exercitus a prosequendis
hostibus reversus convenit. Erat autem cunctis in
commune laetitia immensa, quod ingenti et multis me-
morando saeculis de potenti et superbo hoste relato tri-
umpho, patriam ab inclementi et iniusta Cruciferorum
occupatione et invasione, se ipsos vero ab imminenti necis
aut captivitatis periculo, in brachio Dei excelsi vindica-
vant. Tota insuper nocte insequenti gentes regiae a
persequutione hostium cum captivis et spoliis innumeris
redeuntes, captivos et signa hostium Regi illa nocte exu-
biis observationibus agenti, dedebant, quos et quae ille
iubebat in crastinum reservari. Descendens autem, dum
ad statina lacus praedicti ventum foret, Vladislaus Rex
de-

de equo, antequam tentorium adaptatum esset, fatiga-
tus ex labore et aestu, posuit se in umbra Rubi acutei,
strati ex frondibus platani composito, ad quietem, solo
Sbigneo de Olesnicza notario sibi assistente. Ex clamo-
ribus autem validis, quos fecit durante praelio, commo-
nendo, et incitando milites ad pugnam, erat vox sua
adeo rauca, quod aegre poterat, et non nisi de propinquo,
illo et sequenti die intelligi. Tentorio vero disposito in-
travit Rex in illud, et armis tumprimum depositis,
apparari celerius prandium iubet. Non enim die illa
Rex, sed neque exercitus suus quicquam gustaverat, sed
erant omnes usque ad vesperam ieiuni, nec prius quam
in Solis occasu, tam Rex quam exercitus refectionem
sumere coepit. Sole occidente cecidit pluvia, et nocte in-
tegra processum suum continuans, plerosque vulneratos
de utroque exercitu, regio, et cruciferorum in praelijs iam
porrectos, qui vivere si inde sublati et curati forent,
potuissent, vis algoris extinxit, Rege deinde man-
danti, praeconis Regij Boguthe voce publicum edictum
ad universum exercitum in noctis conticinio proclama-
[tur], quatinus die sequenti in tabernaculum Regium ad
audiendum solennia sacrificiorum, ad agendum
quoque excelsissimae divinitati de praestita victoria gra-
tias conveniant, signa quoque et captivos Regi aut suis
praefectis et officialibus repraesentent, futuram etiam
diem in eisdem stativis exacturus. Mszugio de
Shrzin nunciante Vuladislao Poloniae Regi, Ulricum
Magistrum Prussiae generalem occisum esse, et in vere
sua confirmationem Vuladislao Regi aureum pectora-
le Sanctorum refertum reliquijs, quod familiaris prae-
fati Mszugij, nomine Iurga, occiso detraxerat osten-
tanti, gravi suspirio Vuladislaus Rex ingemuit, atque
in lacrimas resolutus, conversionem fortunae et
sortis, vel potius elationis humanae admirabatur. Hac-
cine, inquit, o milites mei quam foedum est superbire
in Deum, Is enim qui hesterno die plures regiones et regna
sub

suo destinabat imperio, qui parem suae potentiae non estimabat
se reperturum, iacet omni destitutus suorum auxilio, miseri-
me trucidatus, quantum superbia humilitati inferior sit osten
dens. In laudes demde Creatoris Rex ora solvens, Glorifi
co te inquit omnium clementissime Deus, qui humiliasti, ut
vulneratum superbum et in brachio virtutis tuae confregisti
adversarios meos et dexteram in me et populo meo die hodi
erna glorificasti.

Consulentibus decernentibusque Regijs Con
siliarijs, quatenus Vuladislaus Poloniae Rex cum omni exerci
tu suo in praelij loco victorem se agens, triduum exigeret, resil
libant caeteri, fortissimisque urgebant rationibus, ut sublata omni
mora nocte et interdiu versus Marienburg citato agmine
contenderet, Si id consilium velut parum utile damnaret, fa
cto tamen delectu praestantiores gentis ocius quo fieri posset
equitas in obsidionem castri Marienburg transmitteret, ut prin
cipali castro, dum terror maerorque occuparent animos, facile
conquisito, caetera extemplo deditura quiete et sine armis posses
surus. Id consilium non ratione prudentius fuisset, quam
felicius eventu, cum in castro Marienburg a singulis castrum
observantibus, qui et ipsi pauci erant, clade nuntiata, fuerit
magno pavore trepidatum, maiorque ratio de castro dedendo
quam defendendo, si Rex alterutrum tertio post victoriam
die exercitum castro admovisset. Nam, si Vuladislaus Polo
niae Rex et Consiliarij sui scrupulosius illud digessissent, laeti
tamen illius diei occupati, debellatumque rati, destinatum
omni ratione saluberrimum consilium, negante natura utri
usque boni solertia videbant et felicitatis largitorem non fuere
prosequenti. Apparuitque Regem et Consiliarios nescire uti par
ta victoria, neque fortunae et temporis tam oportunitati quam
favore. Contritis siquidem Cruciferorum viribus si confestim
et mature victor Rex victorem exercitum ad obsidionem expu
gnationemque castri Marienburg admovisset, nemo satis dubi
tat rebus suis conduxisse plurimum, et finiti belli gloriam
sibi uni cessisse. Is quoque error permaximus Regis inter disci
plinae militaris peritos computabatur, quod milites mittere ad
occupandum de facili arcem Marigemburch, dum pene deserta

et

et evacua esset propugnatoribus, et antequam in illam Henricus de Plauen Commendator de Swiecze cum praesidio intrasset, recusarunt et neglexerunt, praesertim dum omnium et paucorum quidem qui arcem observabant, abalienatis ob recentem et ingentem cladem animis, trepidatio valida, et morbus Letargicus pervaserat, Sive quia praesenti letitiae et voluptati manubiis potius legendis et hostibus capiendis quam conquirendis arcibus Poloni vacare maluerunt, Sive quod triduo manendum in loco triumphi usitum et legittimum plerumque censebant, Sive quod fortunam nulli ad plenum gratificari consuesse, usu et natura constat, Sive quod ego magis reor, superna quaedam fortuna Cruciferorum Ordini tunc parcens, in destinatum conquirendae arcis Mariemborgensis tempus aptius eventum illum servavit

Feria quarta in crastino divisionis Apostolorum sextadecima Julij dies serenus pluvia cessante illuxit, et e vestigio in Dilurcio Vladislaus Poloniae Rex Prussiae Magistri Ulrici, Marsalci, Commendatorum, ceterarumque illustrium personarum bello peremptarum corpora perquiri inter cadavera iussit, Ecclesiasticae sepulturae debita honestati ea traditurus, aeque gloriosum existimans et hostem vincere, et infelicis ac victi sorte misereri. Rex, ubi Magistri Prussiae Ulrici, per Bolimirski terrigenam terrae Culmensis unum ex captivis, cui ea cura, familiarior quippe inter omnes Magistro Prussiae extiterat, mandata fuit, cadavere, duo vulnera unum in fronte aliud in mamilla habente, item cadavere Marsalci Frederici Wallenroda, item cadavere Magni Commendatoris Conradi Lichtenstein, item cadaveribus Joannis de Sein Thoruniensis, Joannis Comitis de Vende Meuensis, Arnoldi de Baden Slochouiensis potitus est, diu illorum speciem, habitumque et vulnera quibus occiderant contemplatus, nulla exprobrationum aut contumeliarum verba, risum aut hilaritatem emisit, quin potius lachrimis suffusus ora, pia mansuetudine illorum casum miserebatur, Sindone illa munda involuit, purpureis coperta in quadriga in Mariemburg humanda transmisit. Corpora

vero

a vero aliorum Commendatorum et Magistrum et nobilium perso
narum, et in Ecclesia parochiali lignea in Dimbarg sepeliuntur,
Saucij vero qui evadere poterant medicarentur providit, Victo
riam suam plus celebritatis, minus invidiae habere ratus, si il
lam speciata moderationis virtuti adornasset, quo facto ge
minae humanitatis et gratiae in devictos demonstrans Rex
clementiam, maximum lenitatis et urbanitatis signum Vla
dislaus Rex non apud proprios solum sed etiam hostes
et exteros populos de se praebuit, victoriamque suam plus iusti
tiae et modestiae temperamento ornavit, quam livore invidiae
exarsit. In qua quidem Ecclesia et corpora eorum, qui in Po
lonico exercitu ceciderant, a notis suis et a sacris perquisita,
et inventa, fuere sepulta, nec splendidiorem humationem na
cti sunt victores quam victi, semineces et vulnerati ad
castra perductis, tam de exercitu Polonico, quam Prutenico
omnis medela, qua curarentur, impensa est. Supputatione au
tem facta compertum, duodecim tantummodo notabiles mili
tes de exercitu regio cecidisse. Inter quos hi praestabant, Da
lubowski de domo Rosa, Inramus Bulczski de domo Cze
wnya, ut certe mirandum sit tam exiguo militum Polonorum
impendio, exercitus potentes et numerosos debellatos extitisse,
de Cruciferorum exercitu omnibus praestantioribus militi
bus aut caesis aut captis. Vernerus Tettinger Commen
dator Elbingensis pacis dissuasor, quemadmodum illi Com
mendator de Mewa comes de Wende fatuerat, de prae
lio, eorum quae superbe dixerat oblitus, effugit, et per ca
stra ordinis transitum faciens, nulli se committere au
sus, non prius fugam suam sistendam duxit, donec in El
bing perveniret. Sed expost de Elbing faciens discessionem,
his qui in Marienburg diffugerant se immiscuit.
Commendator vero de Mewe, Comes de Wende pecto
re adverso repertus est inter desideratos cecidisse.
Praestabilius autem et gloriosius iudicio meo
Vladislaus Poloniae Rex egisset, si Corpora Ma
gistri, Marsalci, et Commendatorum Prus
siae non remittendo in Marienburg, in aliqua
Cathedralium aut Conventualium seu Collegia
tarum Ecclesiarum sui Regni humari ordinas
set, triumphum suum magnificum vario visione as
sidua renovatura.

Exhibentur

Legebantur postea in Capella Regia, quae in se et chorum et corpus ad instar Ecclesiae habebat, voce sonora divina universo Polonico exercitu ad audiendum ea congregato. Fuitque prima Missa cantata de benedicta domina nostra Maria, altera de Sancto Spiritu, tertia de Sancta Trinitate. Missae vero in alijs altarijs pro defunctorum animabus, quae hesterna die occiderant, legebantur. Tabernaculum capellae signis vexillisque hostium undique in gyrum circumseptum, quae milites Poloniae die illa in Regium conspectum deferentes capellae affixerant, quae ex tensa et revoluta sonitum grandem flante levi aura edebant. Fecit autem Wladislaus Polonorum Rex grande convivium die illa, et tam Principes quam Optimates proprios, videlicet Alexandrum Ducem Magnum Litthuaniae, Janussium, Semovitum utriusque seniorem et iuniorem Masoviae; quam captivos videlicet Conradum album Olesnicensem, Casimirum Stetinensem Duces, caeterosque magis illustres in illud invitat, et opiparo tractat. Praefati enim si duo Duces Conradus albus Olesnicensis et Casimirus Stetinensis in parte Cruciferorum capti erant, supra tamen captivorum fortunam a Rege tractati et habiti sunt, et facile soluti, licet opus eorum supplicium ulteriorem dignam exigeret

Baronibus Ungariae Nicolao de Gara et Stiborio de Stiborzicze in Mariemburgensi castro agentibus, et Cruciferis de Ordine ad custodiam castri relictis, magnopere super eventu futurae pugnae propter eam agendae quo casura foret sollicitis, veniebat loricatus homo defatigatus et anhelus fugiens ex conflictu. Qui cum a Baronibus Ungariae unde veniret, aut quae nova deferret quaereretur, de castris se Magistri Prussiae veloci cursu venisse, et Wladislaum Poloniae Regem magna caede Magistrum Prussiae vicisse, omnesque illius copias delevisse asserebat. Haesitantibus autem Ungariae Baronibus rem ad liquidum intelligere, et quo ordine praelium agi coeptum est, quomodo finitum, Cruciferi castrum Mariemburgense observantes, relationem illam inter se primo, mutantesque, deducebant nondum exercitus Polonicum et Prutenicum in universalem congressum

Sum venisse, sed tantummodo particulariter inter eos di
micatum esse. Verum Baronibus Ungariae extra castri val
vas degredientibus repente cumulus fugientium ex acie, et pa
vasis, quae prior retulerat, differentium, occurrebat. Inter quos
unus erat Petrus Swinka miles olim Dobrzinensis Vexillifer,
qui ante motam guerram a Vladislao Poloniae Rege ad Prus
siae Magistrum defecerat, qui omnem progressum triumphi re
gij et Cruciferorum casum ad plenum declarant. De qua
novitate, dum familiares Stiborij de Stiborzicze, cum omnes
fere Poloni existerent, ovarent laetitia immensa, Stiborius et
vir oculatus, iocunditatem ut intra se circumscriberent iussit
Vulgata vero et publica laetitia, dum inter Theutonicos pari
tis consisterent, declarare eos interdixit. Apud Cruciferos si
quidem in Mariemburg commorantes victoria Vladislai Po
loniae Regis primum adeo incredibilis visa est res, ut non
pro vano modo sed vix pro sano primus cladis Cruciferorum
relator audiretur. Deinde dum super alium alius, idem omnes
affirmantibus, venirent, tandem facta fides, ac singulis in mae
rorem et consternationem animi versis, omnes de castro Mariem
burg deserendo, et de fuga, quo sors quemque tulisset, ineunda,
omnes cogitationes suas, consilia, et respectus verterant. Et si
Vladislaus Poloniae Rex celeri cursu quemadmodum ab pru
dentissimo et sanissimo consilio a nonnullis suadebatur, post rela
tam victoriam in Mariemburg advenisset, absque omni suo et
suorum damno et periculo primo die adventus castrum dedi
tione aut irruptione conquisivisset. Non secus enim a Crucife
ris Ecclesiasticis et saecularibus, utriusque castrum Mariem
burg observantibus, iuxta ac Lipsiatis discursum est per
domos, aulas, et cameras, et plures dies atque noctes in lamen
tis et maeroribus querelisque absumpti. Destitutumque fuisset sin
gulis trepidantibus et in fugam spectantibus castrum, si quis
illud de manibus trepidantium sumere contendisset

Captivitatis olim suae, turpisque et foedae attre
ctationis et ligaturae, ante annos sex per Cruciferos patratae,
Ianussius Mazoviae, Czirnensis, et Varsoviensis Dux, amari
tudinem et molestiam, quam in suo pectore per annos sex iugi
ter recondiderat, quod semper omnibus votis expetebat, com
pensatam et ultam esse clade Cruciferorum videns, ad taberna
culum

culum Regium accessit, primum clementissimo Deo, deinde
Vladislao Poloniae Regi ille cum Alexandro et caeteris
Ducibus et Proceribus Poloniae praesenti, prostratus fle
xis genibus cum omni militia sua in terra, agere gratias
coepit, exclamans et vociferans, Tibi, inquit, Deus benignis
sime, qui omnium iniuriarum iustissimus ultor es, qui super
biam omnem abominaris, et damnas, et contritorum maeren
tiumq; et humilium non spernis preces, et affectati se quoque
praesumentes humilias, Tibi insuper Vladislae Rex illu
strissime gratias ingentes ago, qui me a hostium ignomini
am captivitatis abstersisti meae, meq; de hoste superbo et
intolerabili, magnifica et gloriosa victoria vindicasti.
Quem ego cum omnibus fratribus et Proceribus meis, per
paternam et avitam haereditatem nostram, tuiq; Regni Po
loniae spolium suspirabamus arrogantem, fastuosum, et locu
pletem. Quem proavus meus Conradus Mazoviae Dux fal
sa et simulata religione, vel ut verius eloquar, superstitione
deceptus, suscepit, tenuitq; [illegible]. O celebrem diem et quo
tannis mihi et universae posteritati meae venerandum ob
servandumq; semper habiturus. Te quoq; Rex Excellentissime
tuumq; Poloniae Regnum, fide, subiectione, obedientia sincera,
fideli, et pura, omni quoq; mea et Principatus mei ope, substan
tia, et potentia, in quolibet necessitatis et temporis articulo per
me, et quam curam curans, militiam meam, posteritatemq;
nostram, in te et successoribus tuis culturus.

Prandio Regio in magna solennitate exacto,
iubentur milites singulos reddere captivos, et in planitie
una, prospectum liberum in omnes partes habente, in qua
Vladislaus Poloniae Rex sex notarios, captivorum nomi
na, genus, et conditionem circumscripturos, separatim loca
verat, praesentare. Ducebantur itaq; captivi, et primum
Regi, deinde notarijs praesentabantur, seorsim Cruciferi
de Ordine, seorsim milites Pruteni, seorsim Culmenses, seorsum
Livonitae, seorsim cives Prutenicarum urbium, seorsim Bo
hemi, seorsim Moravi, seorsim Slesitae, seorsim Bavari, seorsim
Myssnenses, seorsim Australes, seorsim Renenses, seorsim
seorsim Frisones, seorsim Lusatienses, seorsim Suevi,
seorsim Thuringi, seor
sim Pomerani, seorsim Stetinenses, seorsim Cassubitae, seorsim Sa
xones

xones, seorsim Franconesn, seorsim Vestphali. Tot siquidem
nationes et gentes in copiosa multitudine ad abolendum genus
et nomen Polonicum convenerant. Et quamvis de singulis
nationibus praedictis, grandis foret frequentia, Bohemica
rum tamen et Slezitarum gentium numerus ceteras exce
debat. Factaq; cuiuslibet gentis separatione, accedebat
Regius notarius, singulis et in circuli modum stare iussis,
stans inter illos medius, nomina, dignitates, officia, conditio
nem, et genus eorum annotabat. Quibus ad plenum consi
gnatis, venerunt duo Barones Regij, Sbigneus de Brzezie
Regni Poloniae Marsalcus et Petrus Saffraniecz Succame
rarius Cracoviensis, et quemlibet singulatim captivum nova
sponsione novoq; obligarunt sacramento, quatenus sub fide et
militari honore se personaliter in castro Cracoviensi coram
Joanne Ligarsza de Przezslaw Palatino Lanciciensi, La
szlone de Olesznicza iudice Cracoviensi, et Przedborio
de Przedbork vicecapitaneo Cracoviensi in die Sancti Mar
tini proxime affuturo repraesentent. Qua obligatione acce
pta, Vladislaus Poloniae Rex modestum se victorem agens,
omnes fere captivos paucis reservatis ad simplicem milita
rem sponsionem abire permisit. Duces vero Stetinensem Ca
simirum, et Olesnicensem Conradum, item Christophorum
Gerszdorff, Venceslaum de Donin Bohemum, item omnes
Cruciferos de ordine retinuit, et per castra regalia Lan
ciciam, Siradiam, Chanczyny, Lublin, Sendomiriam, Leopo
lim, Przemisliam, et alia distribuens, custodiri observariq;
illos sollicite iussit. Interim vero quo signabantur captivi
Vladislaus Poloniae Rex equo conscenso cum fratre suo
Duce magno Lithuaniae Alexandro, in certaminis locum,
occisos visurus, processit, et milite Bolemyski Regi de
clarante, ostendenteq;, quamvis et Rex per se nonnullos
et praecipue Comitem de Wernde agnosceret, iacentium
et prostratorum cadavera recognoscebat, quibus visis
non nisi in crepusculo rediit in stativa. Ex quibus spe
cialem Nuntium Cubicularium suum Nicolaum Mora
wiecz de domo Powala, de villa Konoszowka prope
Wislicz in Regnum Poloniae cum literis transmittit, denun
cians Consorti suae Reginae Annae, item Nicolao Kurowski
Archiepiscopo Gnesnensi, item Baronibus castrum Cra
coviensi

conventus observantibus, item Universitati, item Consula
tui Cracoviensi, magna se caede in Cruciferos magnamque
victoria, iubens per aedes universas sacras, gratiarum
in Deum celebrari actiones, perfunctum esse. In fidem
autem victoriae et laetarum rerum, Nuntius Morawiecz
Banderium Episcopi Pomezaniensis, Beati Ioannis Bapti
stae formam in aquilae effigie habentem, pro insigni, Rege
iubente deferebat. Quo Cracoviam adveniente et Re
gis denunciante victoriam, universa urbs maximo iubilo
et tormentatis Coelestis laudes Deo canentibus, personuit,
universa nocte ignibus laetitiam testantibus colluxit. Tri
umpho vero strepitu per latitudinem Regni Poloniae diffuso,
voces et iubilationes in singulis civitatibus et villis Poloniae
suam et suorum felicitatem et victoriam, non modico cele
brantium gaudio, resonabant

Feria quinta in die Sancti Alexij
decima septima Julij, licentiatis Vladislaus Rex Poloniae,
et abire permissis omnibus quos ceperat captivis, quorum
numerus aestimatus est supra quadraginta millia homi
num habuisse, datis eis munificentia Regia viatico, et vestitu,
datis insuper fidis conductoribus, qui illos in proximum Op
pidum Osterrode conducerent, movit copias sui exercitus,
et ad castrum oppidumque Hohenstein perveniens, stativa lo
cat. Facta autem in manus regias tam castri quam
oppidi Hohenstein deditione, Rex illa Ioanni Crethkowski mi
liti de domo Dolanga tradidit in tenutam. Qua quidem
modestia, liberalitate, et clementia, quam Vladislaus Rex
exercuit in captivos et devictos, magnificentius aliquanto
victoria usus esse quam vicisse existimatus est, maxi
mum fructum maximamque laudem mansuetudinis, solven
do vinctos et miseros, et non saeviendo in devictos conse
quutus. Venit autem de illo ad Regem Nuntius Epi
scopi Varmiensis Ioannes, rogans ut ipsum et bona sui
Episcopatus habens pro devictis, vastari urique illa non
sineret. At Rex nuntio respondendo negavit se, cum et
nuntius ambiguae fidei homo aestimatus est, precibus
Episcopalibus annuiturum et staturum esse, non abnuere ta
men precibus eius, si personaliter veniret se et bona sua dederet.

Henricus

Henricus Commendator de Swiecze comperiens Magistrum Cruciferorum Ulricum de Jungingen et omnem suum exercitum caesum atque conflictum esse, et rem Ordinis in discrimen venisse, saluberrimo usus consilio, ne Ordinis negocium ad extremum periculum recideret, ordinemque contingeret deletum iri, cum omnibus suae Commendariae Swieczensis gentibus pedestribus et equestribus in Mariemburg pervenit, et eos qui per fugam illuc confugerant, donativo liberali dato in spem meliorem, nonnullos vero ex alijs castris et munitionibus quae deseruerant, collegit, et castrum Mariemburg cum quinque millibus militum animose tueri caepit. Qui nisi tam celeberrimo cum gentibus novis et recentibus venisset ad Mariemburg cursu, et factivitate sua providentia atque industria animos in fugam spectantes erexisset, et confirmasset, summamque rei in se unus assumpsisset, actum foret non de castro Mariemburg solum, sed et de universo Ordine Cruciferorum, qui castro Mariemburg per Regem Vladislaum comprehenso, fuisset absque omni ambiguitate exterminatus et deletus.

Feria sexta in die Sancti Arnolfi, decima octava Julij movet Rex mane castra et ad lacum qui vocatur Husteinsky, inter lacus Morang et Hobenstein positum perveniens, stativa locat. Confluentibus autem ex castris vicinis nuntijs, castrorum deditionem facientibus, Rex castra a singulis accipiens ea militibus suis gubernanda committit. Henricus de Plauen Commendator conquisitis prece et precio quingentis stipendiarijs, ad castrum Mariemburg die illo, tutelam illi et defensionem impensurus pervenit. Ante cuius adventum vix quinquaginta personae pavoris plenae illud observabant, facileque illius et consequenter omnium aliorum deditionem Vladislaus Poloniae Rex fuisset sortitus, si praelio obtentae victoriae institisset, et repente illud obsidione vallasset. Barones insuper Ungariae facto ex castro Mariemburg discessu, in Gdansk se contulerunt, ubi illis residua viginti florenorum millia dudum per Ulricum Prussiae Magistrum promissa, fuere consignata

Sabato

Sabbato decima nona Julij Wladislaus Poloniae Rex motis exercitibus, venit ad castrum et oppidum Morung. Quod etsi paludibus et lacubus illud ambientibus situ sit munitissimum, e vestigio tamen Regi deditum est, quod ille cum oppido una in tenutam Andreae de Brochoczicze militi committit. Mirabiles deinde fiunt victoriae cursus, dedentibus se ultro tam castris quam civitatibus singulis Prussiae, et in occursum Regium ultro euntibus. Terror enim vehemens post Grunfeldensem pugnam singulos affecerat, pavida ex omnibus fere arcibus fuga, pavida in urbibus, vicis et oppidis silentia, non existimantibus se Magistro Prussiae occiso, copijs deletis, Polonorum robori et victorum viribus posse quicquam obsistere. Nulla itaq. oppugnata vi sed nec circumsessa dedebantur castra et urbes, quod ob pugnam infeliciter actam, Magistri quoq. et Commendatorum casum, et necem, animi quoq. castrorum exercitu deleto corruerant.

Die Dominico ante Sanctae Mariae Magdalenae vicesima Julij motis Rex castris a Morung supra villam et lacum Czyolpye prope castrum Prusmarck stativis locatis quievit. Ibi venerunt ad Regem plures Cruciferi de Ordine ad defensionem castri Prusmarck relicti, Regiq. suppliciter adorato, castrum Prusmarck illi tradunt, et resignant, quod ille Mroczkoni de Lopuszow militi Marsalco Poloniae de domo Lyaszky consignat in tenutam. Verum quia nonnulla res ponderosae et notabiles, thesauri quoq. plurimi in castro eodem reconditi referebantur, Rex ad intronisandum Mroczkonem in castrum, et ad conscribendum singulas castri res et fortunas, Joannem Sorsa notarium suum de domo Nalancz cum eodem Mroczkone in Prusmarck transmisit. Qui dum intronisato praedicto Mroczkone, et rebus conscriptis rediret, in itinere sive a proprijs sive ab hostibus incertum habebatur, cum omni sua comitiva est necatus. Insimulatus est vehementer praefatus miles Mroczko necem suam procurasse, in conscriptarum rerum, et thesaurorum

rerum

rorum castri Swetz morte apud Regem illius relatione
innotesceret conditio. Rege autem apud Marienburg ob
sidionem agente, a fratribus et consanguineis Joannis So
cha interfecti, dicitionem suam Mroczek culpatus, iudicio
instaurato, crimen obiectum diluit, iureiurando militari.

Feria secunda in die Sanctae Praxedis vicesima prima Julij Vladislaus Poloniae Rex motis castris, stativa super lacum Dolstats prope oppidum et castrum Dzirgon locat. Feria vero tertia in die Sanctae Mariae Magdalenae vicesima secunda Julij pervenit ad castrum et oppidum Dzirgon. Quod nullo prohibente fratribus de Ordine et alijs pro tutela illius relictis, adventu Regio audito pavore nimio consternatis ex illo effugientibus, Rex ingrediens, coquinam ferventem, et tabulas mensalibus vestitas, cellaria quoque et promptuaria vino, avena, cerevisia, piscibus, carnibus, frumentis insuper cuiuslibet generis referta, item cameram vestiariam in vulgari Teutonico Trappariam, purpuris et pannis preciosis, item vestibus Cruciferorum Ordini congruentibus plenam offendit. Ex qua Rex plures purpuras et vestes in milites liberaliter erogat. Universus denique Regius exercitus Rege permittente abunde et ad saturitatem de victualibus in castro Dzirgon repertis recipit, et quadrigas suas vino cerevisia carne, pisce et frumento ceterisque commeatibus implevit. Audivit Rex de illo Missam in castro Dzirgon, sed et alterum diem feriam videlicet quartam vicesimam tertiam Julij illic absumpsit. Pulcherrimas autem imagines ex ligno cisas in capella castri offendens, eas in Regnum Poloniae deduci procurans, Ecclesiae Sanctae Mariae Sendomiriensi Cracoviensis Dioecesis, una cum cruce argentea deaurata, in Brodnicza expost recepta illas donavit, quas Sendomiriensis Ecclesia retinet pro sempiterno triumphi et doni memorabilis usque in hodiernum diem.

Feria quinta in vigilia Sancti Jacobi Apostoli, vicesima quarta Julij Vladislaus Poloniae Rex castro Dzirgon in regimen et potestatem Sbignei de Brzezie Marsalci tradito, discedens, stativa sua inter Marienburg et Dzirgon in itinere medio supra villam et lacum

Staritarg

Starchary locavit. Duobus autem militibus ex castro
Mariemburg illuc advenientibus, et Nuntiis Henrici de Pla
uen in numero frequentiori ad Regem venturis securita
tem praestari petentibus, respondit Rex, propterea dimittat
se in crastinum in Mariemburg adventurum, et largiturum
Nuntiis quantumlibet securitatem. Oppidum Mariemburg
die illa, ne conquisitum Regi Poloniae et suis in praesidium
et arcem fieret, et castrum Mariemburgense contingeret
ex illo strictius coarctari, iubente Henrico de Plauen Com
mendatore incendio conflagratum est.

Feria sexta in die S. Jacobi Apostoli

vicesima quinta Julii Vladislaus Poloniae Rex ad ca
strum Mariemburg praemissis aliquot militum vexillis
qui loca occuparent opportuna, et quaslibet insidias et pe
ricula propellerent, primo supra lacum Grinsan locat
castra, exinde in Mariemburg feliciter advenit, et conti
nuo ex omni parte obsidione castrum vallavit. Exercitu
autem Polonico in superiori castri parte versus Orientem
et Meridiem locato, Litthuanicum exercitum in inferiori
parte constituit. Gentes insuper terrarum Regni sui Podo
liae et Russiae posuit in speciali loco contra meridiem. Habi
ta est autem tota die illa inter milites Regis, et hostes levis
concertatio pro Mariemburgensi oppido iam exusto, aggressi
ni Poloniae milites illud intraverant, ab hostibus defensum
neq. enim difficile fuit urbem prosperato casu, quae nec natu
rali fulta esset munimine, et a suis esset dilabentibus deser
ta atq. destituta.

Sabbato in crastino Sancti Jacobi apo

stoli vicesima sexta Julii, Regiis gentibus de duobus ve
xillis, videlicet de vexillo maiori et de vexillo de Olye
sznicza, custodiam pro forte et vice sua observantibus,
ventum fuit hora diei vespertina, gentibus Regiis oppi
dum Mariemburg irrumpere adnitentibus, hostibus ve
ro irruptionem magna animositate prohibentibus, ad cer
tamen. In quo dum plures de hostibus, Polonorum mul
titudine abundante sursum caderent, refugere in castrum
hostes, et de possessione Mariemburgensis oppidi excedere
coacti sunt, primusq. oppidum Mariemburg Jacobus Cobylen
ski

ski de domo Grzimala, secundus Dobeslaus de Olesnicza
de domo Dzembno milites, alijs eos sequentibus fuere ingressi.
Nec praefati si duo milites Jacobus et Dobeslaus cessandum
sibi duxerunt, sed illico oppido conquisito, hastis vibratis
cum clamore valido pro castri conquisitione usque ad Eccle-
siam et prope mania grassati sunt. Quos si caetera gen
tes Regiae pari animositate adiunxissent, fuisset castrum
Mariemburg in hora illius momento, patebat enim tunc ex
foramine largo et nondum concluso patulus ad illud, quo
milites irrumpere poterant, aditus, conquisitum, omnibus
hostibus qui castrum observabant ad arces et loca tutiora
diffugientibus, consternationeque pavoris et doloris nimij
non secus quam si captum castrum foret, occupatis. Tunc
quoque fuit occasio altera bene gerendae rei et conquirendi ca
stri Mariemburgensis, fortuna Cruciferorum sic vigente,
a Polonis neglecta. Crepusculo veniente hostes proprium
pontem supra fluvium Visla versus Tczow positum, ve
riti ne ex eo impetus in castrum a Polonorum militibus fi
eret, igne consumunt, quod regio exercitui in magnum ces
sit profectum, pabulatoribus ex castris Regijs flumine
Vistla tranatato, facientibus in Zulawam pro omni de
siderium descensum. Foramen illud patulum ex quo
cruentus castro fieri poterat periculi accessio, fortissi
mis roboribus tota nocte insequenti obstruunt, muniunt,
et occludunt. Sed et Poloniae Rex Vladislaus nocte
eadem bombardis maioribus in Ecclesiam oppidi intro
ductis, continua percussione ex illis castrum quatit, Lo
cata et alia bombarda fuere in exercitu Litthuanico,
alia circa pomerium, alia in prae ponte ex altera par
te Visla existi, et ex omnibus illis quatiebatur ca
strum fortissime. In quadrum collocatum erat taberna
culum regium cum capella et astuario in colle editiori
supra Vislam, ex quo Rex totum exercitum et castrum
poterat contemplari. Continuabat autem Vladislaus Po
loniae Rex obsidionem illam duobus mensibus integris, sub
quibus suam Serenitatem Albertus Jastrzembiecz Po
snaniensis Episcopus visitaturus, illuc advenit. Gra
tus quidem fuit Regi et Optimatibus suis propter prudentiam
qua

quae turbat in eo, et fatuitatem advertens. Sed fe-
brem, qua illum anno uno et mensibus sex detinuit illic
positus incurrens, redire ad Diocesim suam iubente
Rege coactus est.

Mariemburgensi castro obsesso,
Nobiles et milites terrarum Prussiae, Culmensis, et Pome-
raniae, item omnes cives fere singularum civitatum in
praedictis terris consistentium, et signanter principa-
liores videlicet Gdansk, Elbing, Thorun, Cholm, Kin-
sberg, Swiecze, Gniew, Tczew, Nowe, Brodnicza,
Brandeburg, Item quatuor episcopi Joannes Varmien-
sis, Arnoldus Culmensis, Henricus Pomesaniensis,
et Joannes Sambiensis, ad Vladislaum Poloniae Regem
personaliter venientes, se et sua omnia, castra videlicet
et civitates dediderunt, praestito de fidelitate, Omagio, obe-
dientia corporali iuramento. Nobiles tamen et Cives
tam terrarum quam Civitatum praedictarum, qui in ca-
ptivitatem Regis, praelij tempore venerant, priusquam
Omagia et fidelitatis iuramenta praestitissent, obtinue-
runt precibus se a captivitate dimitti, non putantes
sibi licere, donec consisterent captivi, acta iuramentorum
et Omagij celebrare. Rogatus autem Vladislaus Po-
loniae Rex a militaribus et Civibus, iuribus et liber-
tatibus antiquis confirmationem praestitit, et veteri-
bus nova adiecit. Inter omnes autem Prutenos ci-
ves, Elbingensium civium fides et devotio in Regem spe-
ctata est, qui Ulrico Ertingar Commendatore Elbin-
gensi per fugam e praelio dilapso, e castro Elbingensi
in quod confugerat, ejecto, castrum Elbingense nullis
fortunis aut victualibus mutilatum, Vladislao Polo-
niae Regi cum civitate una dediderunt, Quod Vla-
dislaus Poloniae Rex Joanni de Tharnow Palatino Cra-
coviensi tradidit in tenutam, cuius praedictus Pa-
latinus possessionem recepta, plures res nobiles illic re-
periens, centum vasa aurea et argentea Vladi-
slao Poloniae Regi ex illo remisit

Sub

Sub obsidionis tempore, Militibus trium vexillorum, videlicet Dobeslai de Olesnicza, Zmetha de Vin sniczę, et Gryffonum, excubias ad bombardas observantibus, hostibus militis facto ex castro descensu irrumpere ad excubia rum locum versus bombardas nitebantur, Sed milites Re gij ex tribus signis praefatis cursum eorum praeveniendo, eis ad flumen Vistula occurrunt. Ubi duro certamine instau rato, hostes pro parte maiori caesi, in castrum refugiunt. Quos Polonorum milites usq ad turrim rotundam caedi et captivitati insistendo, fuere persequuti. Ad quos repel lendos hostes ex castro, murum Regijs bombardis debilita tum ruinant, cuius mole et casu in Polonorum militibus gran dis oppressio subsequuta est, caeteros sagittae ab hostibus in magna frequentia superne emissae, non tamen cum lethali vulnere, insignierant. Petri de Olesnicza venatoris Sen domiriensis galea, ictibus lapidum concussa, non nisi malleis fabrorum violata, ex capite poterat dimoveri.

Seditione castrorum et civitatum Prutheniarum Vladislaus Poloniae Rex accepta, ea in ter milites suos gubernanda partitur, Castrum siquidem Brodnicza Nicolao de Michalow Palatino Sandomiriensi committit, qui possessionem illius nactus, multas res in auro et argento, item libros optimos, et signanter quinq partes Speculi Vincentij, item tabulas insignes auro et argento ornatas, item casulas, cruces et ornamenta, et alia plura clenodia in castro repertens, singula Regi fideliter prae sentat. Quorum clenodiorum et rerum, etsi Rex Colle siae Cracoviensi, et signanter Speculum Vincentij, par tem vendicasset, insigniores tamen res et clenodia Cathe drali Vilnensi, et Parochialibus Lithuaniae Ecclesijs distribuit. Item castrum Copryewno alias Engelsperk Dobeslao de Olesnicza, Item castrum et civitatem Trzow Petro Vnagh, Item Castrum Bramb Alberto Malski. Item civitatem Gwrsk Janussio de Tholiskowo Castel lano Calisiensi. Item Castrum et civitatem Gniew Paulo de Vszeradow Castellano Camyenensi, Item Civitatem Thorunensem Vincentio de Granow Castellano Nakliensi. quo ille fato per venenum, ut multorum habebat assertio, soluto, Dum, Sbigneum de Brzezye Regni Poloniae Mar salcum

Salcum surrogat in locum eius. Item Castrum Vuyantzslaw
et castrum antiquum in quo Sanctae Barbarae caput
servabatur, quod Vladislaus Poloniae Rex non permi
sit incedi, licet multiplici persuasione impugnaretur au
ferri. Item Civitatem et castrum Cruswancz Mo
sczczio de Stanszewo Castellano Posnaniensi. Item
castrum Golub, Nicolao de Scebnichi. Item Castra
Osterrod et Nydborg Duci Masoviae Janussio, Item ca
stra Dzoldow et Scitno Duci Masoviae Semovito. Item
castra Curzetnich et Bratian Joanni Crethowski. Item
castrum Kowalye Nicolao Regni Poloniae Vicecancella
rio. Item Civitatem Swiecze tantummodo, castrum
enim ab hostibus detinebatur Dobeslao Puchala. Item
castra et civitates Butow et Hamerstein Duci Stolpensi
Bogislao, qui ad suam Serenitatem in castris Mariem
burgensis obsidione venerat, Regi et Coronae Poloniae
perpetuo se serviturum, et auxiliaturum, cum militari
bus, civibus, et quibuscunque subditis, literis patentibus
inscripsit. Ad cuius preces et cautionem Vladislaus
Poloniae Rex nepotem suum germanum Casimirum Ducem
Stetinensem captivum relaxari permisit. Item Castrum
et Civitatem Lamburk Petro Czolinski et suis germanis,
Item castra Heinsberk et Holand cum civitatibus Duci
Magno Litthuaniae Alexandro, Item piscaturam ultra
Elbing multitudine piscium abundantem Joanni Dunigwalt.
Item Castrum Rogoszno Hinczikoni Bogimo, Item
castrum et Civitatem Turkolya Janussio Brzozoglowy
Item castrum Sthum Andreae Brochoczsky

Universa siquidem terrarum Prussiae, Pome
raniae, Michaloviensis, et Culmensis Civitates, oppida,
atque castra in potestatem Regis Vladislai dedita fuere,
praeter castra Mariemburg, Radzin, Gvansk, Swiecze,
Plochow, Brandemburg, Balga, Ragneth, Tropieda
alias Memel. Castrum tamen Radzin a gentibus Re
giis obsidebatur. Castrum Gvansk ne obsidionem per
ferret, per pacta cum Rege inita quibus cavebatur, Castro
Mariemburg conquisito, mox illud Regi dedi debere, ob
tinuerat.

Integro

Integro mense Junio, sub quo Vladi
slaus Poloniæ Rex castri Marienburgensis obsidioni innata
uerat, in omni loco, actione, et congressu, Rex ipse et suus exer
citus prospera et æquabili usus fortuna, maiora sibi indies
augurabatur portendi. In primordio autem mensis Au
gusti, Henricus de Plawen Commendator, quatenus Vla
dislaum Poloniæ Regem ex castro Marienburg adire et
alloqui liceret, missis qui id peterent Nuncijs obtinuit, Cumque
in Regis et Principum atque Procerum suorum, germano fra
tre suo Henrico de Plawen et aliquot Bohemis et Slesitis
comitatus, conspectum et conuentum iuxta Pomerium Sabi
tum venisset, quid afferret, quidque expeteret dicere iussus
verba facit. Maximo, inquit, prælio, maximaque strage,
legionibus exercitibusque nostris, et Ordinis nostri, pridem
a te Rex Potentissime Patrisque Illustrissimi deuictis et deletis,
domiti, aduersa quoque fortuna, in quam Superos inferosque
dum Prussiæ Magister Vlricus et sui Commendatores ad
insaniam versi, pacem a te æquis conditionibus oblatam
abnuerent, superbaque diffidatione et duobus gla
dijs vagina vacuis 196 terrerent, constat consensisse, fracti,
te victorem mansuetum, et pacificum rati, oratum ob
secratumque venimus, spem, auxilium, et misericordiam, a
tua clementia obtenturi. Tuam itaque mitissimam Ma
iestatem, ego qui vicem Magistri gero, per Passionem Do
mini nostri Jesu Christi et eius cruorem, pro reconciliatio
ne generis humani fusum, et per eius genitricem virginem
benedictam Mariam, eiusdemque virginis lac purissimum
quo Dominus ipse noster Jesus Christus uberi de cælo
pleno ablactatus et alitus est, exoro, et interpello, Vi
gilantior tua Excellentissima Maiestas suæ indignationis
nubilo mitigato, etiam ultionis flagellum, postquam
pompam et arrogantiam nostram sufficienter coer
cuerit, a nobis et nostro Ordine auertere, neque in Or
dinis nostri perpetuam deletionem aspirare. Contenti
autem sumus et erimus, et si tua Serenitas preces no
stras ad exauditionis gratiam admiserit, perpetuum
beneficium nos atque Ordinem nostrum accepisse a tua
Maiestate fatebimur, si tua Excellentia, Pomerania,
Culmensi

Culmensi, Michaloviensi, terris et eorum castris, civi
tatibus atq; oppidis, quas de Regni tui Poloniae iure,
corpore, et proprietate, et propter quas saepe bellum in
ter Regnum et Ordinem initum est, receptis, Prussiae
terras, magno nostro, et gentis vestrae Polonicae, cae
terarumq; nationum Catholicarum cruore fuso, a bar
baris quaesitas Ordini relinquerit, ne Cruciferorum Or
dinem ad militandum pro defensione Christianorum
a Paganis, institutum, ex Prutenicis regionibus fun
ditus extirpatum iri contingat. Ea legationis peti
tionisq; Henrici de Plawen Commendatoris, in frequens
consilium deducta, cum plus difficultatis quam humilia
tionis crederetur continere, variae erant Principum et
Procerum, secundis rebus rectum auferentibus, et non
pensantibus Consiliariis, breves et mutabiles vires rerum
esse, nec unquam fortunam alicui simpliciter indulsisse,
minus Consiliariis quam Regi oblatio placebat. Existi
mantibus castrum Mariemburg longam obsidionem non
toleraturum, et Cruciferorum Ordinem, si illi Prussiae
relinquerentur terrae, ad conquisitionem earum terrarum,
quibus se abdicabat, nacta temporis occasione, aliquando
grassaturum, plusq; habendi, quam quae offerebantur,
Polonos transversos, et ingenium humanum sequutos,
agebat cupiditas. Vladislaus quoq; Rex alia ex
alia credens sibi felicitatem succedere, maioris spe quaestus,
etiam eorum quae oblata fuerant fecit naufragium, men
tibus humanis magnam felicitatem, certam ingerente
caliginem, etenim secundam tam prosperam fortunam
atq; pugnam ad Grunvald relatam, victoriis insolen
tia Vladislaus Rex tumidus, inflatus quam Regi
et victori conveniebat respondendum censuit. In hunc
itaq; modum dari Henrico de Plawen responsum diffi
nitum est, quod Sbigneus de Brzezie Regni Poloniae
Marsalcus iussu Regio pronunciat. Si bona, inquit,
fide, Commendator Henrice ad pacem petendam venisses,
non ea Regi nostro consignares quae divina et humana
lege, sua et Regni sui semper constitit atq; constat fuisse,

et

et iusta deditione ad eum venisse. Aliorum certe quae
deditionem abnuunt, et in primis castri Marienburgensis
te conveniebat deditionem obtulisse, quam, et ea quae de
dita sunt, et quae deditionem renuunt, scias victoris prae
mia esse, non itaque habet Rex de quo tibi gratias habeat
Verum si de castro Marienburgensi excesseris, pro il
lius cessione Rex noster est tibi gratias habiturus, non
etiam recusaturus Marienburgensi castro dedito, Cru
ciferis Ordini congruam, et illi quam in Almaniae Regio
nibus habet, conformem facere provisionem. Ad haec Hen
ricus Commendator. Estne igitur haec finalis Regis
voluntas, et non debemus sperare aliquam benigniorem?
Sbigneo vero Marsalco dicente. Eam, quam pronuncia
vat peremptoriam esse; et si paci indigent, conditiones con
siliatores afferri oportere. Adiecit Commendator. Con
fidebam, inquit, aequissimam supplicationis meae oblationem
Regem ultro accepturum, calamitosorumque misertum. Ve
rum ego, legatione humiliatione et oblatione praesenti ex
piatum ratus quicquid ex rupto foedere irarum in nos ha
userat caelestium, de castro Marienburgensi nullo pa
cto excedam, quinimo de Omnipotentis Dei auxilio, et
Beatae Mariae Virginis tutela confisus, defendere illud
pro viribus conabor, nec patiar Ordinem nostrum, etiamsi
extrema perferenda sint, sic facile deletum iri. Con
ventu dissoluto Rex in tabernaculum, Henricus in ca
strum Marienburg se recepit. Oblatio autem Magistri
Cruciferorum Henrici tam submissa et humilis, magnam
credita est commoditatem Cruciferorum parti attulisse,
et quicquid ex foedere rupto irarum caelestium in Cru
ciferos superfuerat, vel expiasse, vel diminuisse, parti
vero Regiae ob superbiam nocuisse. Temerariumque do
cent responsio illa, cuiquam, donec victoris et victi sors incer
ta est conditio, et priusquam clauderetur bellum, insultare.
Adde enim illa felicitate Regis et suorum sensim la
bante, causa Ordinis magis securum eos eventus habere
coepit, paucis siquidem post diebus hostis ex castro in
militis terrae Vieluniensis negligentius circa bombar
das observantes excubias, insiliunt, et captivato primipilario

Hans

Haud pauci quoque vulnerati, etiam bombardas vio
larunt. Paulo vero post Ducis Masoviae Janussij vexillo
pares facienti excubias, impetu suo bombarda, murum
unius existentis in oppido lapidea colliciens, viginti mili
tes, qui subter murum constiterant, sua mole oppressit.
Sed neque tunc tantummodo, sed et in post Regem in ple
risque euntibus atque progressibus casus adversi comi
tabantur, habendo ad priorum temporum, quibus illi
grandis felicitas arriserat comparationem et respectum.
Tanta denique in regio exercitu muscarum ex cada
veribus morientium, equorum ex intestinis potiorum
et pecudum, atque ex faetore et fimo generata multitudo
succreverat, ut non in nauseam tantummodo exercitui
sed et in poenam verteretur. Universorum vero com
meatuum grandis et vix credenda abundantia, qua
lem nec quis in propria aede et domicilio sentiri posset,
quolibet defectu circumscripto habebatur. Equi fere de
universo exercitu in insulam Zolawam deducti, in bladis
villarum, quas coloni deseruerant, non secus quam be
stiae indomitae pascebantur. Quorum custodes domos
agrestium transfugarum ingressi, cum singula penu
aria singulis victualibus redundarent, non solum
curabant reficiebantque corpora, sed et frumentis in
vicinarum civitatum fora deductis, magnam vim
pecuniae vestitu pro se perpetuis mercato, in dominos
congesserant. In plerisque quoque villis Prussiae et Pomera
niae magna vis reperiebatur grani frumentarij in
specubus subterraneis recondita, propter frequentiam
guerrarum ab agrestibus studiose praeparatis et
egestis. Nec secus Polonorum exercitus in castri Ma
riemburgensis obsidione, quam in propria terra, pro
pterque ditionibus silentio ubique terra Prussiae novabatur,
habens omnem commeatum et rerum affluentiam facien
de provenientem

Livonia Magister Hermannus de Vinthnis Bomes
castro

castro Marienburg, quod nimium angustiatum senserat,
clandestinum auxilium laturus, in Prussiae terras cum quin
gentis armigeris advenit, et circa oppidum Hinsberg in
locis abditis latere cupiens se locavit. Cuius ingressu
Vladislaus Rex ab exploratoribus cognito, Alexan
drum Ducem Magnum Litthuaniae, adiunctis illi duode
cim Polonorum militum banderijs, ad decernendum
cum illo transmittit, qui illum circa flumen Passaria ul
tra Holands offendens, invadere illum altero die conabatur.
Verum Magister Livoniae Hermannus dolis non armis,
rem ordinis satius, ut dudum animo destinaverat, esse
prosequendam, cum Duce Alexandro petit colloquium
Quo impetrato, ad castra sua personaliter veniens, omni
bus arbitris exclusis, clandestinos cum illo agit conventi
latque tractatus, ipsumque amplissimis promissis et obligationi
bus, de abdicandis et nullo unquam tempore petendis
Samagitarum et Sudorum terris, quorum occasione in ar
ma ventum erat, pellicit, suae magis Litthuaniae quam
Poloniae patriae redintegrationem consequi gestientem, in
favorem. Ducis itaque Alexandri Litthuaniae, mercato fa
vore, ad castra Balga et Brandeburg suo Livonico exer
citu remisso, ipse cum quinquaginta tantummodo equitibus
in castra regia ad Marienburg, sub Ducis Alexandri
conductu, pacta occulte Duci Alexandro promissa im
pleturus, processit. Ubi perveniens, eiusdem Ducis
Magni Alexandri practica et interventione, promissis
occultis inescati, ad castrum Marienburg quasi de di
tione et foedus pro Regis beneplacito persuasurus,
ingredi est permissus. Illic diebus aliquot absumptis et
tractatibus consilijsque, de recuperatione castrorum, civi
tatum, et terrarum amissarum, de pactione quoque oc
culta cum Duce Litthuaniae Alexandro celebrata, cum
Henrico de Plawen habitis discessit. Ab eo autem tem
pore praefatus Henricus de Plawen Commendator
maximos et alacres spiritus, in quos illum praefatus
Livoniae Magister Hermannus erexerat, concipiens,
pertinax, arrogans et fastuosus esse, neque de caetero
de pace ullam mentionem habere coepit, quin in tra
ctatibus

statibus cum illo Regis nomine de pace habitis, ad
observantiam earum conditionum, quas ipsemet accipi
supplex rogaverat, et quas si Rex, sera estimatione
quantum abiecisset bonum perpendens, offerebat acro
pterum, nullo pacto poterat inflecti, sciens vero Ale
xandri Ducis Magni Litthuaniae iam esse plurimum
immutatum, et a prosequutione obsidionis, eiusque conti
nuatione, et oblatio terrarum Regno Poloniae facta in
Litthuanicum transierat profectum, prorsus aversum
Accessit et altera Regi Regnoque Poloniae pernicies,
praefato siquidem Hermanno Magistro Livoniae ex ca
stro Marienburgensi discedente, plebanus de Gdansk
Ordinis Cruciferorum aetate vero vetulus et senex, quasi
obsidionis molestias evasurus, discedebat, Rege id
faciliter permittente, cum discessus suus grandi periculo
plenus, grandem pestem foret rebus regijs allaturus
Per hunc siquidem plebanum, cum aliter nullatenus
erat tutum, Henricus de Plawen triginta aureo
rum millia inter Gdanensem, Slochoviensem, et Swe
czensem commendatoris pecuniam transmisit. Qui
denique iuxta illius mandatum et instructionem auro
huiusmodi non parvam mercenariorum militum ma
num ex Bohemis Ungaris Slesitis et Almanis con
duci procurarunt. Ex quo cuivis licet, sanus corpo
re potest discursus, quantum afferat discrimen in civi
tatem et castra sub obsidionis tempore permittere licen
tiam introeundi vel exeundi

Aspectebat Domina nostra virgi
nis Mariae natalis dies, in feriam secundam cadens,
Et Alexander Litthuaniae Magnus Dux, varias
occasiones, variaque ingenia, quibus posset cum exer
citu suo Litthuanico, castri Mariemburgensis obsidio
ne deserta in Litthuaniam reverti, congerebat. Asse
rens exercitum suum aegritudine Dissenteria ex cibo
delicato cui non insueverat vexari, et nimirum abeat,
ampliori invalescentia vexatum iri. Quod etsi verum
fuerit, poterat tamen huiusmodi aegritudo facili cura

tione

tione, si bona tantummodo mens adfuisset, rescindi. Quem etsi Vladislaus Poloniae Rex conaretur multis studijs et promissis revocare a proposito, ad extremum tamen animum eius videns variatum et parum sincerum esse, passus est eum cum omni gente sua abire. Qui licentia Regis obtenta, feria quinta infra Octavas Nativitatis Sanctae Mariae, sui exercitus castra movet, et ab obsidione Mariaeburgensi discessit. Non tamen ausus est ne a Livonitarum gente et alijs Cruciferis eorumque stipendiarijs invaderetur, ire sine Regio conductu. Quapropter Vladislaus Rex gentium suarum ex Polonis sex Banderia illi attribuit, quae cum ad fines Litthuaniae perduxissent, ad obsidionis stationis incolumes reversi sunt. Discesserunt et paulo post cum gentibus suis Masoviae Duces, Semovitus, Janussius, et Semovitus iunior, Rex tamen cum reliquis exercitibus Regni sui, quos constabat ex discessione Litthuaniae et Masoviae Principum diminutos esse, obsidionem continuabat. Dum siquidem Cruciferi, obsidionem castri Mariaemburg et eius recuperationem propediem si continuata fuisset obsidio fiendam, advertunt, de restituenda Samogitia Duci Alexandro Vitholdo spem, maxima ab eo expectatam, et ab effectu non abhorrentem, fecissent, alia mente, alio animo, ea insinuatione inductus, obsidionem et bellum deserere et penates repetere in animum inducens, alius Vitholdus quam fuerat esse coepit. Statui insuper suo Vitholdus Dux vehementer timere coepit, ne Rege universa Prussia potito, ipse a Litthuanico Ducatu deijceretur.

Interim Bohemi mercenarij castri Mariaemburg defensores, videntes trahi in longum obsidionem, in anxietatem versi, coeperunt habere cum Vladislao Poloniae Rege per medium Jaschkonis Sokol Bohemi militis Regij de prodendo castro Mariaemburg practicam et tractatum. Jamque inter Regem et proditores convenerat, ut nocte ea qua illis excubiae obtingerent, exercitum Regium portis in castrum intromitterent, satisfactis praemium proditionis, re sequuta

re sequuta quadraginta florenorum millia et immunitatem omnimodam haberi. Re autem huiusmodi in examen secreti consilij deducta, iniquum et turpe Consiliarijs Regijs censentibus, hostium castra, fraude, dolis, proditioneque et auro intercepi, cum ferrum haberent, quo illa, sine suo, et cuiuslibet alterius probro, licitum foret expugnari, licitaminibus spretis, de conquirendo Mariemburgensi castro, quo et iustos bellatores frequentius usos legimus, conquirunt.

Falsa post haec suggestione, rumor in Regijs castris vulgatus percrebuit, Sigismundum Ungariae Regem cum gentibus et potentijs validis, fines Regni Poloniae, spolijs et incendijs consumentem omnia, invasisse, ex quo exercitus Regius animum perfractum, et ad redeundum proclivum habere coepit. Nec deerant Barones plerique assidua instantia persuadentes recessum. Quo novo et fama illius, militares et Cives Prussiae vehementer perculsi, zelo nimio et amore quo Vladislao Polonorum Regi afficiebantur, Regem personaliter adeuntes conveniunt, persuadentque Serenitati suae obsidionem castri Marienburgensis nullatenus ut intermittat. Continuatione obsidionis illius, et castri, quod propediem sperandum esset, conquisitione, tum primum fructum victoriae suae percepturum, aut illius conquisitione neglecta, cum singula castra et civitates suum dominium professa, in obedientiam Cruciferorum et Ordinis reditura forent, amissurum. Regi autem Vladislao defectum pecuniarum, propter quem mercenarij milites illi plurimum molesti essent, allleganti, et conquirendarum pecuniarum gratia in Poloniam reverti gestienti, salubre illi consilium a militaribus et Civitatibus Pruthenicis constat datum fuisse, quatenus singulis civitatibus Prussiae exactionem imponeret, sufficientis

entes pecunias, non pro expediendis tantummodo stipen
diarijs, sed et protrahendo bello continuandaque obsidioni ha
bituris. Rex tamen ne ciuitatis sententias in primordio sui
Imperatus et in fide et deuotione sua fragiles offensum, iura
quoque eorum violatum et ob id in defectionem iri contingere
ret, ab impositione exactionis abstinere elegit. Sed et ali
ud Consilium aequo optimum fuit illi persuasum, Castra et
ciuitates in Prussia Colmensi et Pomerania terris, suae
Serenitati dedita, militibus mercenarijs conditionem
eam ultro accepturos se profitentibus, in verum debiti,
quo illis obligabatur, inscriberet et nihilominus in castri
Mariemburgensis obsidione ipse perseueraret. Sed neque
consilium istud quamuis saluberrimum Rex probandum
duxit, veritus ne stipendiarij ciuibus et colonis Pruthe
nicis onerosi existerent, aut ponerent eorum fortunas in
direptionem, aut de proximis ciuitatibus et castris,
cum hostibus, pecunia corrupti, sentire inciperent. Dum
itaque Vladislaus Poloniae Rex aliunde grauaminibus
consulit, coactus est expost in se et suis maiora dispen
dia experiri. Ex omnibus autem Consiliarijs Regijs nemo
tenacius, nemo feruentius et liquidius, quam Nicolaus
Regni Poloniae Vicecancellarius obsidionem castri Mariem
burgensis, usque quo illud expugnari, vel dedi contingeret, -
continuandam, multiplici asseuerabat persuasione, osten
dens obsidione soluta, plures grauis et amaras Regi et
Regno calamitates, impressiones, confestim emersuras. Nec
simplici consilio et instantia contentus, lachrimas et suspi
ria persuasionibus miscebat. Ex omnibus vero Baronibus
nemo feruentius et diligentius solui obsidionem et redire
in penates, quam Andreas de Thanczin Castellanus
Voinicensis persuadebat, plures etiam ex militaribus
et nobilitate in suae opinionis votum conducens. Anna de
Krasznik filia Dimitrij Regni Poloniae vicethesaurarij,
quam vnice adamabat, amore inflatus

Grauatus Poloniae Rex Vladislaus
suorum mercenariorum militum crebra, et sibi plurimum
infesta

infesta admonitione, victus praeterea nonnullorum suorum
Baronum persuasu, atque instantia, Castro Marienburgensi
inconquisito, ab obsidione illius secedere deliberat. Et licet
iussisset stricto silentio tegi huiusmodi arcanum, percre-
bruit tamen eius in exercitu illico rumor, obsessosque ma-
gna hilaritate refecit. Veneris itaque die ante festum
Sancti Matthaei proxima decima nona Septembris,
Prutenorum militum et civium utili et salubri nequaquam
deterritus consilio, statim ibi incensis, ex medio gloriae
spacio obsidione soluta discedit, victi magis quam vi-
ctoris in patriam referens formam. Quod et illi in
discessionis suae articulo, infausto omine monstratum est,
dum siquidem Regi equus suus Cilzawy, cui consuetus
magno tempore insederat, duceretur ad armamentum, et
sonoro clamore pedibus terram scalpens hinniret, strepae
iam pedem Regi inferenti subito cadens extinctus est,
mortis suae fato indicans, per recessum regium a castri
Marienburgensis obsidione, laetas res et secundas
quibus hactenus Rex usus fuerat, occasuras fore por-
tendi. Certum siquidem erat imo certissimum, castrum
Marienburg unius tantummodo mensis spacio exacto,
in potestatem Regis venturum, cum obsessi, commeatu
multis annis in eam rem comparato deficienti, man-
dere siliginem coctam cogerentur, quo cibo corpora
humana infecta, et in Dissenteriae morbum versa, atro-
cem pestem, qua plurimi dietim extinguebantur morta-
les, contraxerant. Non valentes itaque tam pestife-
ram perferre luem, Henricum de Plawen Commenda-
torem singuli conveniunt, angustiisque suis expositis, non
se ultimas obsidionis molestias, propter imminentis mor-
tis, quae illos sensim consumit, periculum, toleraturos,
sed castro excessuros declarant. Qua denunciatione
Henricus Commendator perterritus, aliquot aureorum
millia inter obsessos partitur, instantissime deprecans qua-
tenus diebus tantummodo quindecim obsidionem ferrent,
se avisatum et certum esse asserens, Poloniae Regem ab obsi-
dione

dione prospectum recessurum. Qui tam prece quam precio per
molliti, sustinere quidem obsidionem diebus quindecim, ea ta-
men conditione interiecta, ut illis lapsis, potestas apud illos
de castro Poloniae Regi dedendo consisteret, pacifcuntur. An-
tequam igitur dies illi quindecim lapsi forent, Vladislaus
Poloniae Rex dissuadentibus et improbantibus fidelissimis Con-
siliarijs, et dissuasionem illam gemitu et lacrimis prose-
quentibus, discessit, et victoriarum suarum sempiternos ti-
tulos, tam facile et merito deplangendo discessu fuscauit.
Vbi tum primum ad legendum apparuit, nescisse Regem
post consultos hostis victoria et tempore uti, multa enim
execrabilia et pestifera bella recessus ille produxit. An-
dreas de Thanczin Castillanus Vnoinirensis discessio-
nis huiusmodi primarius perhibebatur author, qui cum
inter militares vulgaresque non mediocri authoritate pol-
leret, facile plurimorum ex communitate militum, coniu-
ges, domos, et pignora reuidere gestientium, animos ad
discedendum, interiecta occasione, quasi terrae Cracoui-
enses et Sandomirienses ab Vngarorum vrerentur
vastarenturque exercitu, animauit. A caeteris quoque Po-
lonorum Consiliarijs, ab his praesertim, quos Dux Ale-
xander Vuitoldus precio vel pollicitatione asserebatur
permasisse, summa ope enixum est, ut Rex quanto
citius obsidionem Mariemburg solueret. Ita bonum pu-
blicum, ut contingere frequentius solet, a priuato depraua-
tum est, Vladislao Poloniae Rege non ex suo, sed ex alio-
rum, propter hebetudinem tam fatuitatis quam inge-
nij, arbitrio, singula in bellicis et domesticis rebus ad-
ministrante.

A castri Mariemburgensis obsi-
dione Vladislaus Poloniae Rex discedens, graue praeda
omnis generis agmen trahens, die illo in Qwyczin per-
uenit. In transitu autem suo in castrum Shtum descen-
dens, missa illic audita, Andreae Brochozki militi dat
illud in tenutam, relinquens illi in subsidium nonnullos
Gnienses suos viros bellatores videlicet Stanislaum Che-
linski, Kasimirum de Thuchowiecz, Joannem Koly, Pacco-
sium

sium Bystrzanowski, Petrum Czebrowski, Bernassium Koworzynski, Bartossium de Trebowlya, et alios. Qui post Regis ex Prussia reversum adeo infestis dimicationibus, invasionibus, damnis, et vexationibus, Cruciferos in Marienburg consistentes offendebant, lacessebantque, ut etiam illis duorum vno decem florenorum millia pro stipendiarijs solvendis vecta, caede magna in conductores edita abstulerint. Rege in Qwidzin veniente Henricus Pomesaniensis loci illius Episcopus cum Canonicis et Clero Regi personaliter occurrens, debita veneratione illum excepit, Regique Ecclesiam Cathedralem ingresso, eiusdem Dorotheae foeminae religiosae et devotae, quae solitariam et arctam vitam ducens, pluribus clarescebat miraculis, nondum tamen Canonizatae, cellam et habitationem ostendebat. Datis autem Episcopo, Clero, et Civitati quas petebant, libertatibus, ex Qwidzin die altero discedens, claudi civitatem, gentesque suas ad illam ingredi, veritus Episcopum et Cives spoliatum violatumque iri, prohibuit. In castra tamen unico milliari a Civitate locata, biduum in illis exegit, et sequenti Sabbato die plures currus victualibus oneratos in Szthum pro eius fulcimento transmisit. Castra autem iuxta supra oppidum et lacum Gardzeye sita erant.

Henricus autem de Plawen, in locum Magistri Prussiae suffectus, amissum praelium, et terram Prussiae recuperaturus, missis ad Venceslaum Bohemiae Regem nuncijs, bona Ordinis notabilia Chomatow in Regno Bohemiae, quatuor millia florenorum de introitibus habentia, pro centum quindecim millibus florenorum vendidit eidem Venceslao Regi in auro parato, sub spe redemptionis, quae non sunt redempta in hanc diem, sicque peccunijs mercenario milite conducto, bellum ex integro restaurat. Alia insuper centum florenorum millia, apud cives Gdanenses, iam in suam spectantis ditionem, facile sibi praebita, in mutuum accepit

De

Die Dominico Sancti Matthaei vicesima prima Septembris motis Rex a Grudziadz castris, venit mane ad castrum Radzim. In cuius obsidione gentes Regiae a tempore conflictus magni, usque in diem illam, civitate in fide et obedientia Regis existente, insederant. Et positis stationibus in unius milliaris quartali a castro, supra lacum Meldesze, deliberat Rex, solvere ne sibi illius obsidionem, an expugnationi ipsius intendere conveniat. Capta autem erat deliberatio, Regem nullatenus castri conquisitionem, cum situ et munitione foret firmissimum, egregios insuper haberet defensores tentaturum, simulaturum tamen impugnationem crastina die, si quo modo obsessi, pavore consternati, ad deditionem perlicerentur. Itaque primos Radzimensium ad colloquium evocatos, ut castrum sine sanguine sibi dederent, perlicere conatus est, quibus aspernantibus, vi et armis illos adoriri in crastinum distulit. Id consilium non industria sagatius, quam eventu extitit felicius. Vulgata enim in exercitu fama, Regem die crastina impugnationem obsessorum decrevisse, vix prandio finito, milites sua sponte in arma et expugnationem castri Radzim iniussu Regis traduxit, nullo enim exercitus sollicitatus monitore, avidissime processit, castrumque ab omni parte maximo impetu expugnare coepit. Et quamvis Cruciferi et caeteri obsessi quinque et amplius horis probe restitissent, verum a militibus Poloniae ferventissime impugnationi insistentibus, telis et sagittis, tam longa et frequenti proiectione, ut nemo dispectum exercere auderet, confessi, animositate voluta et defensionem omittere, et de possessione castri excedere coacti sunt. Iam siquidem Dobeslaus de Olesnicza miles cum suis Bambergiis gentibus valvam castri inferioris perfregerat, et scuto suo effractorum protegens, bombardae minoris seu fistulae ictum, quod scutum perforavit, exceperat. Iam insuper castrum altius Petrus Chelmski miles primus, Floriano de Koritnicza Castellano Visliciensi, et aliis sequentibus illum conscenderat, et Vicecommendatorem castri virum animosum sibi in parkani muro occursantem, certamine

inito

inito, in fugam verterat. Iam antemurali castri Petrus
de Oleschnicza Sendomiriensis venator cum alys mili-
bus intraverat, et in uno pede vulneratus solo scuty
pro ne superne violaretur defendebat. Obsessi itaque
tot malis angustiati, ne in potestatem furentium mili-
tum devoluti, extrema pati cogerentur, castrum Regi
armis abiectis dederunt. Quod Rex circa Completorij
horam ingressus, omnibus obsessis et captis, inter quos
quindecim Cruciferi viri senes et grandaevi habeban-
tur, mortem indulsit, eos tamen in captivitatem con-
vertit. Notabilibus insuper thesauris, clenodijs et
rebus nobilibus, et victualium abundantia castrum
refertum reperiens, thesauros et res nobiles in mi-
lites erogavit, castro vero victualia reliquit

Castro Radzim conquisito, Vla-
dislaus Poloniae Rex feria tertia post Sancti Matthaei
vicesima tertia Septembris, commendato castro Ra-
dzim Jaszkoni Szokol Bohemo fidei spectatae et ani-
mositatis militi in tenutam, quo cum in eodem ca-
stro frequens Polonorum et Bohemorum numerus
et inter alios Szißka Bohemus processu temporis
famosus exercituum in Bohemia ductor, crebris nobili-
tatus victorijs, item Angelus, alijque plurimi reman-
serant, a Radzim discedens, ad castrum Rogoszno,
abinde vero in Golub feria quarta pervenit, ubi
in castro prandens fluvium Drwancza transgredi-
tur, et terram ingrediens Dobrzinensem copijs exer-
cituum suorum licentiat, et unumquemque in suam re-
mittit regionem. Exacto autem die sequenti, noctu
prope Czirsoczin feria quinta ante diem translatio-
nis Sancti Stanislai Rex in Przypust, Vislam ponte ex
ratibus, qui illuc demissus ex Ploczko fuerat, supera-
tis, devenit. Stabat autem in Przypust quinque diebus
quoniam infra illos quodam fato occulto pons aegre com-
poni stabilirique poterat, qui aliâs Rege in Prussiam proce-
dente dimidio diei stabiliebatur. Rex quoque non sine La-
birinto

birinto et graui conatu Vislam cum suis traiecit, ut etiam
in vare fortunam pro comperto habitum est, suam erga Regem
alacritatem variasse. Tunc quoque exercitus Polonicus in loca
varia suorum domiciliorum divertit, onustus auro et ar
gento ceterisque nobili suppellectili, quam servumquisque ad pro
prios penates laetus et gaudens referebat.

Sabbato in die translationis Sancti
Stanislai descendens Wladislaus Rex a Przypust venit
in Raczansz, die vero Dominica Sancti Wenceslai, navi
bus et medwari continua in Thorun descendit. Quem omnis
clerus et populus honore processionis, singularum Ecclesia
rum, licet Plebanus Thoruniensis Crucifer fuerit, Respon
sorium, Tua est potentia, tuum Regnum domine, canendo,
de navibus egredientem excepit, et in Ecclesiam Sancti
Joannis Parochialem introduxit. In qua Rex solenni et so
nora audita Missa, in castrum Thoruniense, prandii unius
tantummodo refectionem sumpturus, se recepit. Ubi dum
ad suam Serenitatem Jaszko Szolwl Capitaneus Regius
in Radzyn advenisset, tristi fato obruitur. Per unum
siquidem ex civibus Thoruniensibus in convivium ex
ceptus, atque in luxu veneratus, gravi contracta vale
tudine, ulterius Regio in Brzescz Adductus illic extingui
tur et sepelitur. Ex universis autem Bohemis apud
Regem militantibus, nemo alius praeter hunc, ob egregi
as, quas in eo, animositatem et fidem, siteverant, virtu
tis acceptior Regi habebatur. Cuius obsequia praemians,
etiam duorum filiorum Nicolai et Jaroslai paternam
curam gessit, eosque in urbe sua Cracoviensi splendide
educari, et literis Latinis atque Almanicis ceterisque ar
tibus quibus ingenia polienda fiunt, imbui disposuit.
Castro Radzin in regimen militibus Dobeslai Puchala,
et Alberti Malski commisso, Nicolaum Kostewicz sup
plicatione Thoruniensium matronarum devictus, a capti
vitate absolvens, vespere ex Thorun in castrum Nyeschow
navibus transiit. Matronis, feminis, et virginibus Tho
runiensibus Wladislaum Poloniae Regem in corona mo
dum circumstantibus, et faceto sermone precibus intermix
tis

ty orantibus, ut postquam viros earum coniuges, parentes, et cognatos in pugna Grunfeldensi occidisset, statui earum misertus, de viris ipsis et curatoribus provideat. Regi respondenti, se id equidem libenter facturum, et statui utriusque earum provisurum.

Feriam secundam, diem videlicet Sancti Michaelis, item tertiam et quartam, Wladislao Rege apud Nyeszowam agente, certus illi nuncius allatus est, significans castrum Tucholya, quod Janussius Brzozoglowy administrabat vallatum, civitatem vero per oppidanos Cruciferis deditam, hostesque denique ad irrogandum Regno Poloniae damna et incendia, ni opponatur resistentia, brevi grassaturos fore. Qua novitate non secus quam par erat Rex commotus, plures ex curiensibus suis militis, vacationem efflagitantes, prece et largitione retinuit. Vix tamen ex omnibus curiensibus et militibus suis Regijs centum vel paulo amplius poterant numerari lanceae; quos Rex pro defensione Regni, adiunctis illis Masoviae, Poloniae aliquibus districtibus in oppidum Coronow situ et muris debile transmisit. Qui etsi in armis, equis, sumptibus, et vestitu parum provisi, arma siquidem rubigo, equos macies, sumptus longior a domo mora, vestes cauma et pluvia attriverat, locum tamen praedictum iuxta arcem tutissimam, militari illic agendo praesidium observabant. Auxerant etiam exercitum regium Sandivogius de Ostrorog Palatinus Posnaniensis, qui cum banderio proprio, intellecta necessitate Regni advenerat, et Dobrogostius de Szamotuly Castellanus Posnaniensis qui gentes proprias etiam miserat.

Sabbato in die Sancti Francisci Wladislaus Poloniae Rex egreditur de Nyeszowa et in Juniwladislawiam veniens, sic et curiam suam illic stabilit, et locat. De defensione autem terrarum Regni sui providens, certos milites in Brodnitzam, alios

in

in Brzescze, alios in Nakiel, alios in Regin Culmenses
et Dobrzinenses terrigenas inter illos partitus, praesidia
et excubias contra hostes continuaturos, paucis admodum
Polonis et Bohemis cum eo in Iunivladislavia remanen-
tibus transmisit. Quo illic agente, novitas ad eum per-
lata est, castra Osterrod, Nidburg, Drolbow, quae Duci-
bus Masoviae Rex condonaverat, propter paucitatem
defendentium a Cruciferis intercepta esse. Fecerant et
hi duo milites Stanislaus Charbinowsky de domo Szulima
et Nicolaus Szynowiecz de Korzina, de domo antiquo-
rum Cabellorum, ex Coronoviensi praesidio, extrema se-
pati, cum hostes de prope in magna multitudine consi-
sterent, veriti, discessionem, et ad Regem in Iunivla-
dislaviam venientes, ad excusandum suum discessum,
hostium ut erant maxima, sua minima praesidia, et ni
deserantur periculum ingens ex captura astruentes,
anxium de suorum salute Regis animum intensiori sol-
licitudine graviorem et profluvio lachrimarum frequen-
tius maerentem effecerant. Nam neque illos ex Coronow
revocare, hostium victus in Regnum suum profundio-
rem irruptionem, cautum putabat, neque gentes aliquae
suberant, cunctis in domos discedentibus, quibus eorum
paucitatem augere potuisset. Tunc quoque ad liquidum
apparuit, in quantas difficultates et molestias, solven-
do castri Marienburgensis immature obsidionem, Rex
seipsum et Regnum suum praecipitasset, et quantum
partam ex victoria gloriam suam et gentis suae obscu-
rasset, dignoscique ad integrum poterat, quantum bo-
num perseverantia, quam Nicolaus Regni Poloniae
Vicecancellarius persuadebat, quantum malum discessio
ab Andrea de Thanczin Castellano Vuoinicziensi pro-
curata, secum trahebat.

Cognito Cruciferi, qui castrum Tucholya
obsidione cinxerant, exercitum Regium in numero tenui
et in oppido insuper Coronow debili et nullis munitioni-
bus firmato, in praesidium admissi, forti et numeroso

ex

ex omnibus mercenariis militibus congesto exercitu, inter quos fuit principalis Capitaneus Michael Kochmeister nouae Marchiae aduocatus, et multi ex curia Sigismundi Vngariae Regis milites, qui in multitudine notabili in subsidium Cruciferorum sufficienter ab ipsis salariati, Sigismundo Vngariae Rege impellente aduenerant, ad inuadendum eos exercitualiter processerunt, certam praedam et victoriam, suam multitudinem, hostium vero paucitatem metientes animo, occupaturi. Vniversitasque de Sancti Gereonis exercitus regius venire aduersum se hostem in graui multitudine habens pro comperto, Thomam Scholygam de Vurzissna de stirpe Rosa, Succamerarium Siradiensem, et Nicolaum Dambski de stirpe Griffonum, speculatum hostium quantitatem et numerum transmittunt. Qui parum sensate et longius quam sat erat progressi, ab hostibus eos insequentibus, ad quoddam lubricum lutum remorati comprehenduntur, statimque diligens ab eis per hostes inquisitio, qualis et quantus esset in oppido Coronow exercitus regius exacta est. Qui subdole finxerunt illic gentes esse confusas agrestes et inexpertas, et faciliter, si quis inuadere praesumat, vincendas. Quos dixisse vera hostes rati, properantius versus Coronow contendunt, quo cum comminus peruenissent, omnes de equis descendunt, pedestri itinere oppidum irrupturi. Milites autem Regii prandio quod sumere coeperant neglecto, hostium viso aduentu, singuli in Monasterium, quod sub monte ad fluenta fluminis Dobra situatum est, se tumultuando recolligunt, armisque celeriter induti, per secretos et hostibus ignotos meatus congressuri, glomerata acie se euoluunt. Quorum conspectu hostes deterriti, vehementer equos velocissime, antequam a Polonis occuparentur, reascensis, retrorsum quanto amplius possunt festinatione abeunt, trahendo quanta retrograda dum iter ad spatium milliaris integri, ea quidem arte et dolo, ut Regiis gentibus in distantia remota ab oppido Coronow, agentibus, non posset ex oppido a pedestri milite

milite sub certaminis necessitate praestari succursus. In huiusmodi tamen retrogrado processu, Sagittarij ex regio exercitu telis frequentibus illos obruunt, infestant, vulnerant, et in hostilem exercitum crebra irruptione insilientes, plures de illis prosternunt. Si quando vero hostes in Sagittarios ad dimicandum gradum verterent, Sagittarij ad currus suorum reversi et ab eis tutati, impetu eorum frustrato, noua irruptione hostes lacessebant. Huiusmodi quoque praeludio, integro milliario inter gentes regias et hostiles certatum est. At ubi saevitias ulterioris progressus hostes capit, monte, quemadmodum castra in circuitu editiori occupato, prope villam Monasterij Coronowiensis dictum Lanczsko, sito, gentium regiarum in eo, ad detinendum instructi, operiebantur adventum, ratis se ex loci opportunitate maximum ad victoriam adiumentum habituros. Verum gentes regiae ne simul et cum hoste et cum loco pugnare cogerentur, recto itinere versus hostes omisso, in partem montis decliviorem secedunt. Erant in utroque exercitu copiae, ut neque numero, neque genere hominum, neque usu rei militaris contemnenda viderentur, maximisque animis descendebant in pugnam, Priusquam tamen venirent in congressum Conradus Nyempcz Sigismundi Ungariae Regis miles Slezita, ante acies, privatum petens certamen, progressus, a Joanne Sczy tezsky milite Polono de domo Doliwa superatus, prostratus et ex equo deiectus, quo utrinque exercitus fortunae exclusiva fore monstravit. Acies post haec maximo ab utraque parte clamore sublato congrediuntur, unaquaque parte strenue excipiente impetum, et fortissime dimicante utroque exercitu pari animositate, atrocior paruus Marte hores aliquot pugnabatur. Et aliquandiu praelium dubium fuit, certamenque in parte utraque gerunt hominum armis probitate et exercitatione paene aequaverat, in suo enim quisque gradu urgendo adversarium sine respiratione pugnabat. Bello itaque asperrimo fervente inter utrosque, et neutra parte inclinata,

aut

aut referente pedem, tam vehementi labore et pugna utraque lassata est, ut pugna quasi ex composito fuerit intermissa. Acclamatur itaque ab utroque exercitu, ut pugnandi parumper observentur induciae, quas utroque exercitu acceptante, digrediuntur acies, et abstersis sudoribus respirant, pausant gesta nonnulla et actus militares, velut familiaritate et conversatione noti, memorant. Facta respiratione et pausa aliquali, sublatis induciis, acies eadem congrediuntur, eademque qua et prius in utrisque animositate manente, plures quoque mortales hinc inde aut caderent aut caperentur Lassitudine utrosque invadente et nondum fortuna monstrante, qua dativa foret vires, Vice altera ad resumendum inducias ab utroque exercitu est acclamatum, quibus acceptis et exercitibus digressis, nova requie bellatores strenuissimi potiti, suos et equorum sudores abstergunt, vulnera ligant, pausant, sermocinantur, commutant captivos, equos interceptos sibi hincinde vicissim restituunt, pro quibus recognoscendis turbat hostilem adire exercitum, vina ad sitim propellendam mutuum mittunt, ex equis inter praliantium deiectos, vulneribusque et consurgere non valentes, afflictos, ex palaestra loco, ne conculcarentur, subducunt, ut merito non hostiles, sed amicissimae acies a rerum ignaro credi possent. Dato post haec requie et pausa spatio, tertio fortius quo possent decertant. Non aliud certamen vehementius fuisse memoriae proditum est, duorum nobilissimorum exercituum, in quibus et exercitatos et veteranos milites constat convenisse, et pro victoria quousque vel occiderentur vel caperentur summa vi summoque conatu adnixos esse. Usque ad tertium autem congressum anceps gerebatur inter utrosque certamen, tenorque pugna par utrisque erat. Sed interim miles regius Joannes Kalosiar de Ostrowcze, de Bipennium domo, hostilem primipilarium sternit ex equo, et hostili vexillo adempto sella

sua

suae contorquens illud apponit, et illico Polonorum exercitus superior loco, hostilis vero pavore perculsus, signo amisso, dete rior esse coepit. Polonicus itaque miles gravius in perculsos et fugam spectantes invectus, gravi hostes caede premit, et singulis manipulis hostilibus aversis, omnem exercitum hostilem pro picatione divina, vincente pudorem metu, superat, et plena vi ctoria potitus hostes sternens aut caedit, aut capit, aut agit in fugam. Cessit enim hostis gradum, acriter inferentibus signa Polonis, deinde terga vertit, et cum institissent fugienti bus victores, octo millia hostium caesa, fugientesque, quantum eorum vires ad persequendum, dextra quoque ad caedendum va lebant, insectabantur. Raro ullum certamen clarioribus deco ris cum hoste peremptore constat fuisse, si dies quievisset in tem pus longius extendi, sed nox superveniens fugientes ne ad integrum caperentur, contexit. Fusi fugatique hostes et caesi, edita passim per agros funera, decantata per ora virum vi ctoria. Inter disciplina militaris peritos, congressus praesens, et triumphus magis celebris, magisque gloriosus et magni ficus prosper utrorumque constantem et pertinacem pugnam, quam conflictus magnus eo anno in die Divisionis Aposto lorum apud Grunvald habitus, censebatur. Praelium enim atrocius quam pro numero pugnantium, adeo utraque acies animos ad vincendum obstinaverat, edebatur, utrisque pudem animus ad moriendum destinatus, et in praelio potius quam in fuga mortem oppetere, nec immerito, utraque enim acies habe bat milites celeberrimos, frequentibus praeliis exercitatos, cor pore strenuos, et animo fortes, quales difficile foret in quocunque altero congressu pari virtute adaequatos reperire, omnes ad supremum certamen accensos, Ab utroque exercitu sub uno tantum signo pugnatum est, et exercitus quidem regius gi minatam crucem puniceam in alba sindone insutam pro si gno habuit, cuius Petrus de Kitherz miles de domo B... ... num erat gestator, Exercitus Cruciferorum album et rubeum campum diametraliter se contingentium gerebat pro insigni, Cuius ferentarius erat Henricus Franckus genere in fuga capitus, quae processu dierum fuit sibi a suis contribulibus frequentius exprobrata, habitus quoque fuisset pro infami, nisi illum litera Regia ab huiusmodi nota, pro quibus perso

naliter

naliter Regem adibat, vindicassent. Rarum quoque certa
men adeo clarum inter Catholicos et barbaros gestum fuisse
in memoria nostrae aetatis proditum est, in quo tanta fortitu
dine, tanta constantia, a parte utraque pugnantes pro victoria
essent adnixi. Et quamvis praefatus Coronoviensis trium
phus re quidem minor fuit, quam Grunfeldensis, verum
existimatione pericli et fervore constantiaque certaminis,
et illa dimicantium palma, etiam Grunfeldensi anteferendus.

Capti autem fuere in ea clade atque
fuga Michael Kochmeister advocatus novae Marchiae, Ca
pitaneus exercitus Cruciferorum principalis, Conradus Kyempcz
de Slesia, et multi Sigismundi Ungariae Regis Curienses, Con
radus Ellinger, Conradus Cruhlsziesz, in Magistrum San
cti Joannis de Lagow postea promotus, Balthasar de Sluwno,
Hermannus Lebel, et multi alii Franconis, Slesitae, Bavari,
Duringi, Bohemi, Renenses, Misnenses, Saxones, Suevi.
Exercitus quoque Regius ex equis, armis, pecuniis, ceterisque
spoliis vehementer ditatus. Successum autem tam trium
phalem et felicem exercitus Regius, Vladislao Poloniae
Regi celerrime curavit per Zalisham de Gorzkow militem
significare. Qui nuntiata tam insignia percepta, in singultus,
suspiria, et fletus ruens, gratias in Deum egebat im
mensas, et praedictum Zalisham de Gorzkow bona et fe
licia sibi nuntiantem, quingentis Marcis remunerat.
Sabbato in crastino conflictus, Poloniae milites notabiliori
bus captivis assumptis, in certaminis locum descenderunt, et
propriorum atque hostium interfectos collectos, curribusque im
positos, in Monasterium Coronoviense deduxerunt, et solemnibus
exequiis celebratis, omnibus captivis praesentibus, et suo
rum atque suam cladem magno ululatu deflentibus, ho
norificam condiunt sepulturam. Erat inter desideratos adeo
bessanus notabilis Cruenus Eylingar adeo locuples, et pro
redemptione sua parum illi foret sexaginta florenorum
millia exsolvisse. Cuius mors a captivis singulariori defle
batur luctu, et quem obtinuerunt singulari Sumari sepulchro.
Die Dominico ante Sancti Hedwigis duodecima Octobris exer
citus Regius de Coronow, ducens in suo comitatu captivos
et spolia, discessit, et in Bydgostiam veniens, tribusque diebus
illic

illis quæsiuis, hostilia spolia belligerantium more ex æquo par
tiebatur. Post hæc feria quarta in die Sanctæ Hedwigis Dimiula
dislawiam ad Regem in grandi equorum et curruum multitu
dine venit, quem longus captiuorum ordo, qui aut in sexagin
ta quadrigis ob eam rem per Regem transmissis aut equis vehe
bantur, aut pedites ibant, velut athletas sequebatur. Appa
rari autem Vladislaus Rex pro captiuis splendidam cœnam,
eorumque mederi et alligari vulnera iubens, certos milites, qui
illis ad tabulam sedentibus deseruirent, adiunxit. Ad omnes
denique suos milites vulneratos Vladislaus Rex propria in
persona, nocte illa cum candelis visitaturus eos in loca apud
quæ hospitabantur, descendit. Neminem neglectum relinquit quin
foueret antidotis et extolleret verbis, priuatum non Regem
crederes ad colligendam gratiam priuati hominis in morem
nihil negligentem. Et omnibus militibus suis pro fortibus
actis eorum in præfato prælio ostensis, dona regalia libe
ralissime est largitus. Eodem præterea die, cœna finita
Vladislaus Poloniæ Rex, quam magna credenti iustitia,
et æquitati sua, quam vero ingenti iniquitati et iniustitia
Cruciferorum, causa referta sint, apud captiuos longo sermone
disseruit, et post hæc argutos, non recte illos egisse; quod pro
causa iniqua arma pro Cruciferis assumerent, responsum
a captiuis accepit. Non se unquam si Ordinis iniquitatem
et Regis æquitatem nosse potuissent, ad infaustum bellum
descendisse, et pro Ordine contra Regem arma tulisse. Feria
quinta in crastino Sanctæ Hedwigis captiuorum nominibus,
conditionibus, et dignitatibus conscriptis, Vladislaus Po
loniæ Rex data repræsentationis termino et loco, singulos
captiuos pia benignitate remisit, solo Michaele Kochmei
ster aduocato nouæ Marchiæ excepto, quem Rex in castrum
Chencinense vinctum relegauit. Milites autem, qui tam in
signem retulerunt de hostibus triumphum, hos constat fuisse,
Sandivogius de Ostrorog Palatinus Posnaniensis de armis
Nalencz, Matthias de Labiszin Palatinus Brzestensis de armis
de domo bipennium, Petrus de Myedzwyedz Capitaneus
et Dux regij exercitus de antiquo equo, Mszczugius de
Skrzyn de armis cygnorum, Jacobus Cobylenski de Grzi
mala, Nicolaus de Powala multis clarus vulneribus,
Crucwossius de Dalewicze de Strzegomya, Joannes Sarnecy
de

de Carbow de Szulima, Nicolaus Cswangtowski de Strzegomya, Petrus Ritberski, Joannes Nassedan de Ostrowiecze, Joannes Noss de Dobrkow omnes si tres de armis Biponnium, Scarbek de Gory de familia Habdank, Dzik de Nadlub, Nicolaus Bulawski de hozlyarogi, Stanislaus Cieletko de Doliwa, Bartholomeus Plomikowski de domo Vuinnyewa, Zahlika Corzegwiczki de Srokomlya, Cristinus Magero de Goworzirzow, de armis Rawa, Joannes Szczitoczski de Doliwa, Dobeslaus Oliwski de domo Ostoya, Dobeslaus Olnya de familia Vnyenyewa, Joannes Ray de Naglowiczi de armis Oxa, Domaratus Cobylenski de Grimala, Albertus Malski de Nalancz, Dobeslaus Puchala de Vuangri, de Vnyenyewa, Thomas Kalski de Rosa, Dorslaus Wlostowski de Oxa, Alexander Gorayski de Ciolky, Casimirus de Thur-sowiecz alias de Gniwarzicze de domo Szgrala, Grzymala Zyrniczki, Joannes Czeluscska, Martinus de Wroczimowicze de domo Polukoza vexillifer Cracouiensis, Andreas Broczoczski de Ossoria, Swantkopelk de Zawada de vulpibus, Joannes Grzimalka, Joannes Czeluscska, Budek de Zaborze, Slaka de Kucha, Nicolaus Borowiecz, Joannes Lyon. Quos omnis dignitatis et honoris causa, et propter eorum Heroicam virtutem, factaque fortia nomino, celebritatem, famam, decusque insigne, immarcescibilem laudem apud praesentes et posteros et in omnium, qui praesentia nostra scripta legerint, pectoribus, pro singulis, et unoquoque eorum veluti vivus. Quod praelium demum Cruciferorum attriuit, sabstantias superbiam, frementibus contra illos proprijs militibus et ciuibus, quod iniqua et contra fas bella gererent, nullam prosperitatem, nisi regionibus et substantiis, quas abstulerant, Regno Polonico redderent, habituri. Cuius magnitudo et celebritas etiam ex hoc maxime potest perpendi quod post pugnam praefatam Cruciferi et eorum Duces nunquam contra Polonos iustam pugnam conserere, aut aciem instruere, in annos multos, tumultuarijs tantum contenti praelijs audebant.

Sequuta fuit secundas res ad Coronow

gestas

gestas adversa fortuna, Sabato siquidem in crastino Sancti
Hieronimi, altera videlicet die post conflictum, Cruciferi castrum
Tucholya obsidentes, plures homines armis indutos, et Idiomatis
Poloni gnaros, et signanter Dobrzinensem quendam militem
Nawir, qui proprio Rege deserto ad Cruciferos transfugerat,
coram Janussio Brzozoglowy et ceteris in castro Tucholya
obsessis, producunt, et ostentant, asserentes se de exercitu Regis
ante Coronow insignem triumphum retulisse, et in signum victo
riae prefatos armatos quasi illic comprehensos adduxisse. Or
nabant insuper, ut fides relationi eorum vafrae, astrui
posset, prefatum Nawir Dobrzinensem militem rotundo et ex
margaritis texto, quod Poloni Pantslik appellant, crinali,
et quod fervente certaminis Coronoviensis progressu, a Nico
lao Powala ex equo deiecto et pene iam capto Almanus qui
dam detraxerat. Ostentant itaque Cruciferi predictum Nawir
huiusmodi crinali et armis ornatum Janussio Brzozoglowy,
fingunt illum Nicolaum Powalam esse. Verum etsi Janussius
Brzozoglowy crinale quod monstrabatur Nicolai Powale
Powala Regii militis fuisse per signa cognovisset, quaerit
tamen a Nawir et quis esset, quaque fortuna foret, ederet,
Qui se Nicolaum Powala et exercitum Regis a Crucife
ris devictum esse, mentitus, Janussium Brzozoglowy, et in eo
rum omnium credulitatem, quae Cruciferi commentaverant,
et in grandem pavorem impellit. Caeterum denunciatione
perculsus et ignarus casus de Cruciferis facti, quae sibi
nocte superveniente, a Capitaneo Regio, alia occupatione
mentem distinente, difficulter poterat intimari, cum hostibus
de dimittendo castro Tucholya tractatum ingressus, paci
scitur, et impletis pactis castro dimisso cum omnibus qui
secum obsidionem toleraverant ad Regem in Junivladi
slaviam venit. Intelligens autem exercitum Regium ma
gnificum de hostibus retulisse triumphum, et se hostium do
lis circumventum, in flebiles singultus prorumpens, et ma
nu violans disrupensque capillos sui caesariem, pudore et
dolore nimio angebatur, quod vir alioquin in bellis exerci
tatus et disciplina militaris peritus, tam facile et tanta
vafricie, se permisisset circumveniri, et castro firmissimo per
collusionem et fraudem spoliari. In omni vita sua et subse
quenti

quuta et transacta, in nullam tam foedam et sibi turpem a fortuna, quae illi plurimos largiebatur successus, praecipitatur.

Collegerat post haec Prussiae Magister Henricus de Plawen, magnum mercenariorum novorum militum ex varijs nationibus et linguis numerum. Inter quos Ebrardus Herbipolensis Episcopus, Ioannes Dux Monsterbergensis, alias Sambiensis, de Slesia praecipui habebantur. Qui curruum, bombardarum, caeterorumque bellicorum apparatuum multitudine freti, ordinatione Prussiae Magistri et Cruciferorum, in Tucholam deducti, ad invadendum Poloniae Regnum grassabantur, mutatam praesidijs oram petituri. Qua novitate per exploratores Vladislaus Poloniae Rex comperta, terras maiores Poloniae, item Vieluniensem, Posnaniensem Lanciciensem Cuiaviensem Siradiensem Dobrziniensem movit in expeditionem. Ipse de Iuniwladislawia die Dominica ante Sanctorum Simonis et Iudae egressus facit nocturnum, feria vero secunda in vigilia Sanctorum Simonis et Iudae venit Bydgostiam, quo cum copia suorum militum ex terris praedictis convenerant. Deliberatione quid agi expediret inita, Rex in Bydgostia se continens exercitum qui convenerat, adiunctis illi suae curiae militibus et praeficiens exercitui sub duodecim signis militanti Petrum Schafraniecz Succamerarium Cracoviensem in Capitaneum et Ducem, in terras hostilis transmittit. Feria itaque tertia in die Sanctorum Simonis et Iudae exercitus regius, equitum peditumque haud contemnenda cohors, maiorem quam pro numero speciem gerens, ex Bydgostia, Vladislao Rege illum ad spacium medij miliaris cum suspirijs et lachrimis prosequente, egressus, omnibus quadrigijs et impedimentis, quos exercitus ferit ad singula, in Bydgostiam remissis, celerrimo cursu vastando et incendendo hostilia, die eodem usque in Tucholya pervenit. Et collocato exercitu in apto insidiarum loco sexingentos Balistarios ad irritandum hostes in Tucholya consistentis transmittit. Quibus praedas et spolia in prope agentibus, hostes ex Tucholya gravi agmine facto, in sexingentos Polonorum stipendiarios, trepidationem et fugam simulantes, propero cursu, non pluries quam se ostenderant

derant rati, invecti, usq ad insidiarum locum pertrahuntur Contra quos Regius exercitus signis extensis ex insidijs consurgens ad decernendum properabat. Hostes vero quamvis numero superiores, conspectu Regij exercitus territi, admodum omnes, in praecipitem dilabuntur fugam, quos fugientes Petrus Saffranicz militiae Regiae Capitaneus, licet quam multiplicibus a militibus rogatus, pares quas struxerat insidias et ipse veritus, longo tempore prohibuit, nec nisi discusso metu, videns hostis effuse nimis cursum in Oppidum agere exercitui regio ad persequendum signum dedit. Qui licet tarde, animose tamen usq ad portas Oppidi Thurzolya persequuti, multis caesis atq captis, etiam quinq hostium Capitaneos, videlicet Joannem Holowrots de Czernohusz, item Zawrz, Joannem Henricum Malowecz Bohemos, Hedwarts Reydburg de Slesia, et Henricum de Reben de Lusatia comprehendunt. Castris insuper hostilibus et omnibus curribus coram ante Oppidum consistentibus, qui per trepidationem et festinationem pressura etiam fugientium impediente in Oppidum nullatenus poterant inferri, exercitus Regius potitus, magnam praedam illic repertam diripuit. Creditum fuit a multis, peritiam rei militaris habentibus, quod si in bono tempore Petrus Saffranicz Capitaneus, persequendi fugientes licentiam dedisset, clade nimia omnis ille hostilis exercitus, paucis evadentibus, fuisset deletus. Spectabant, dum praemissa agerentur, Conradus Nyempcz Regius, et Joannes Junior Powala Cruciferorum capitanei, nonnulliq alij, ex castri Thurzola muro, visoq Conradus Nyempcz banderio Regio geminatam crucem caeruleam in campo caelestino habente pro insigni, fertur ad circumstantes dixisse, Ex quo hoc signum et hac placata, prolabi in fugam ignara, prodijt, e vestigio continebantur, pulcherrimum certantium praeludium, videns tandem suos nullo congressu facto fugisse, adiecit, Succensetur nobis quod clade Coronowiensi ad extremum victi in manus venimus victorum, quanto magis hic succensendum est, qui solo hostili conspectu territi, nulla necessitate acti, verterunt terga. Nos quidem ut viros decuit ad Coronow pugnavimus, virtutisq nostrae egregia dedimus, semel, et secundo, et tertio congressi, experimenta, si vero neq pugnae initium libaverunt, experte quoq profiteri possunt si quid muro et gladio soli valent

lent. Fugit tunc inter alios Dux Joannes Mongterburgensis et omnes notabiliores, quidam vero, cum se oppidum ingredi desperassent, equis relictis, undis se crediderunt, ubi eorum magnus numerus suffocatus interijt, pluresq. extabant a quibus quam gladio desiderati. Multi denique neque in Turbolya se securos rati, versus Choinczam velut locum munitiorem diffugerant, sed et in illa quoque fuga a Polonis persequentibus castigabantur.

Nocte adveniente, exercitus regius totus diei labore, fatiga, et esurie pressus, a Turbolya discedere capit, sibi et equis victualia in aliquo loco reperturus. Hostium autem spolijs et quadrigis sarcinatus, et nullo regulatus ductore, noctem illam caliginosam nimis, cum neque Luna pernox esset, neque Sydera lucerent, sine inde errans errabat. In diluculo vero agnoscens se non nisi medium milliare tota nocte illa confecisse, et a Castro Turbolya conspectu nondum abijsse, vehementi timore ne quid hostes, in fatigatos, lassos, et famelicos auderent, perculsi, atque in Bydgostiam regredi capit. Nebula autem ad multam diei adeo densa ut lucis quoque eriperet usum, perdurans, metum cuiuslibet periculi submoverat, nam illius latebra Regius exercitus tectus, incolumis Bydgostiam appulerunt. Vladislaus interim Poloniae Rex per Annuwossium de Dalewicze militem ab exercitu ad eum misso, post felices successus quibus in hostium pavida fuga, potitus est exercitus suus, etiam illum agnovisset propter hybernum tempus, et spolia hosti[bus] castris detracta, reversurum, equo concenso a [illegible] tunc ex Juniwladislawia versus Labiesin et Schubino gradiebatur, exercitum suum et retracturus a reditu, et ad obsidendum, qui in Turbolam fugerant, hostes, conversurus. Quamvis autem properanter ivisset, tardius tamen venit, exercitu iam in varias partes dilabente, nec ullatenus poterat illum multis licet desudans adunare. Quapropter regredi unde venerat diffiniens, prandio in die Omnium Sanctorum in Schubino, et nocturno in Labiesin facto, die Dominico in crastino Omnium Sanctorum Juniwladislawiam regressus est. Ad cuius conspectum

Spectum multitudo omnis captivorum ante Turbolam capto
rum, feria secunda post Omnium Sanctorum adducta est. Apud
quam Rex eandem causam habere semper iustissimam, cum pars
adversa Cruciferorum iniqua utitur, astruxit. Conscriptisque
captivorum nominibus et dignitatibus, universos ad simplicem
militarem sponsionem consignatis eis repraesentationis die et lo
co dimittit, cum uno tamen ex illis Joanne Zaiecz Bohemo
verba facit. Curiensem te inquit et familiarem nostrum infi
ciari non vales, quo pacto pro hostibus meis Cruciferis con
tra me arma tuleris edissere, et facinus quo in nos usus es
refelle. Ad haec Zaiecz. Non abnuo, piissime Rex, me tuae
Maiestatis et Curiensem et servitorem esse, sed quod te ne
glecto ad hostes tuos Cruciferos transiverim, conditio animo
sitatis meae, qua vir audax et impavidus alias habitus sum,
et estimor, transire honestius duxi ad partem devictam et
prostratam. Audivi enim triumphos tuos celebres, frequen
ter de Cruciferis hostibus relatos, et si me contulissem in tuum
solatium, consolatrix mea, Sophiam Reginam Bohemiae Ven
ceslai Regis consortem notans, improperiis me obruisset,
quod mitem pugnam, ad te, cui cesserunt hactenus felices vi
ctoriae, declinassem. Dum itaque ad vos, quibus parum secun
dae res erant, animositatem meam, quemadmodum evenit,
demonstraturus, quam Theutonicis fugientibus, ego fuge
re turpe ratus, in tua militia manus dedi, fac igitur
mecum, ut libet. Interrogatus deinde a Rege, quid de se ca
ptivo et Curiensi et familiari, victorem, dignum censeret
statuere, quod, inquit, tibi tua suadet clementia, qua in dedi
tos usus, victoriam vinceris in tuum favorem obligasse.
Tam facta responsione Rex pellectus, cum et caeteros ad
sponsionem militarem dimittit

Interea milites Curienses Regij qui
cladem in hostes apud Turbolya ediderant, scribunt Duci
Joanni Monsterbergensi et omnibus Cruciferorum Stipendia
rijs in Turbolya agentibus, gravibus et disertis
verbis Epistolam, eamque per Heroldum transmittunt,
requisitione illos monentes, quatenus iuxta ius et observanti
am militarem, omnia arma, equos, et insignia bellica, et si
gnanter pallia, arma tegentia quae Wapenrokij vocantur,

cum

cum quibus in aciem prodierant, ubi viderant, ad eos ve-
lut victores devolutos, ex quo in campum ad decernendum
progressi, et nullo certamine edito in fugam versi, plusquam
victi debeant existimari. Nec fugacem arma decent, sed vi-
rum, audens quoque armatus prodire in aciem, teneatur inve-
si fugiat arma tradere victori. Acceperunt autem ab illis
responsum, quod pro omni tempore cura fuit eis proprius ho-
nor, neque unquam credunt illum se aliquibus fugae turpitudi-
ne contaminasse, defensuri militari more honorem suum
in Regum et Principum curiis, et inculpationem suam atque
vituperium manu armata purgaturi. Offerebantque pro
sua innocentia declaratione, in distantissimis locis curias
pugnae atque duelli, tanquam si qui fugam suam aliter nisi
arrogantibus et inanibus verbis honestare non poterant, Po-
lonorum militibus eos in Alexandri Ducis Magni Lithua-
niae, item Ducum Masoviae, Semoviti, Janussii, et Boleslai
curias evocantibus, et omnem pollicentibus securitatem
Illis e contrario Franciae, Angliae, et Hispaniarum atque
Napuliae Regum curias Poloniae militibus nominantibus,
ut pudorem suum qualicunque colore cohonestarent. Quas
etsi Poloniae militi acceptatum iri contigisset, non ser-
vassent tamen Cruciferorum stipendiarii oblata, sed novo
excusationis fuco opposito illa corrupissent

Henricus de Plawen Prussiae Magister
animadvertens conatus suos, quibus cum exercitu stipen-
diariorum et suarum gentium, terras Regni Poloniae inva-
dere destinaverat, propter fortem et constantem Polonorum
resistentiam recidisse in irritum, exercitum ex Pomerania
amovens, in Prussiam ire pergit. Et castrum Stum quod
per Andream Brochorzki tenebatur obsidet, damna in-
gentia, et continuas infestationes, et molestias quae ca-
stro Mariemburgensi propter vicinitatem, gentes Regiae
inferebant, ex eo accersiturus. Quod dum sex hebdomadis
continua impugnatione, nulla spe mollitioni respondente,
vexasset, contigit casu ne incertum est an tradimento, tur-
rim castri maioris supra portam sitam, cum pulveribus,
telis, propugnaculis, et victualibus, quae in ea condebantur,
conflagrari.

conflagrari. Ex quo apud obsessos, desperatione indies crescente, de castro dedendo, non aliter imminens periculum euasuri, tractatum cum Magistro ineunt, non secus tamen illum, nisi Rege consulto et iubente consumaturi. Duobus itaque militibus Canimiro, et Roliian sub Magistri Prussiae consensu et conductu ad Regem in Innowladislawiam missis, quis infelix casus in turres et propugnacula eorum exustione acciderit, qualeque eos periculum, si resistere perseuerent, maneat, exponunt. Permittente autem et iubente Rege, pacti prius, ut eis cum equis armis et quibuslibet rebus in voluminibus abire liceat, non castrum tantummodo Stum, sed et castrum Morung, cui par periculum imminebat, Magistro et Ordini resignant.

Nouos et magnos ausus Henricus de Plawen Prussiae Magister, ex duorum castrorum cessione adeptus, tertium castrum videlicet Radzim simili obsidione coarctat, et sex hebdomadis illud continua bombardarum prouectione impugnat. Gentibus autem Regijs probe illud defendentibus, coactus est ab eius obsidione cum pudore resilire, magnam suorum vulneratorum quantitatem in Oppido Radzim medendi gratia relinquens. Non poterat hoc milites Regios, qui castrum Radzim obseruabant, latere, quapropter nocte subsequenti velocem ad alias regias gentes in praesidio castri Brodnicza consistentes, nuncium, rogantes, quatenus eis veniant celeriter in succursum, destinant, Oppidum Radzim et substantiam crucis cum gentibus, quae in eo a Cruciferis erant tum pro defensione tum pro medela derelictae, facili inuasione occupaturi. Quorum petitioni gerendo milites ex praesidio Brodnicensi, videlicet Albertus Malski, Dobeslaus Puchala, et alij plures, morem, in tempore et hora, de quibus inter eos conuenerat, adueniunt. Quorum comperto aduentu milites ex castro Radzim propere descendentes, oppidum Radzim in valua quae respicit ad castrum inuadunt, et militibus Brodnicensibus coniunctis, vicissitudinarijs viribus, portam et valuam ciuitatis, ciuibus et gentibus Cruciferis nequicquam resistentibus, concutiunt, et disrumpunt. Posita autem erat in ore valuae magna

bombarda

bombarda, quam Sacerdos unus, civibus suis, quorum magna pro repellendo imminenti periculo concurrebat ad portam multitudo, succursurus, praeoccupato alterius officio, incendit. Qua suo impetu in medium civium veniens, quatuor et viginti ex civibus, ex gentibus vero regijs tres tantummodo extinxit. Eo malo cives et gentes Cruciferorum deterriti, defensionem intermittunt, et gentes Regiae civitatem occupant, et omnibus eius fortunis et spolijs potiuntur, spoliatam in cinerem redigunt, et multis mortalibus ex stipendiarijs Cruciferorum et civibus Radziminensibus captivatis, laeti atque incolumes ad castra sua revertuntur

Confecerat Prussiae Magister Henricus de Plawen, sub tempore quo ad castri Radzim obsidionem steterat, cum civibus de Thorun et Gdansko, ditionem, obedientiam, et fidelitatem regiam professis, de reddendis sibi praefatis civitatibus clandestinum tractatum, et suasit in eo proximis diebus sibi praefatas civitates persuasit, Castri itaque Radzim obsidionem solvens exercitum versus Thorun traducit, utraque civitate iuxta diffinitum potiturus. Cives interim Thorunenses et Gedanenses, dolos et perfidiam suam palliaturi, ad Vladislaum Poloniae Regem legationem mittunt, Thorunenses quidem per Albertum Rosch civium Magistrum, et Petrum Seselygam, Cives vero Gedanenses per literas, significantes Prussiae Magistrum Henricum ad obsidendum eos prope diem venturum fore, et petentes sibi et civibus defensionem impendi. Quibus Vladislaus Poloniae Rex benigne respondens, bono et constanti animo eos esse, bene quoque, omni circumscripto pavore, sperare iussit, offerens se efficax suffragium et defensam utrique civitati tempestive praestiturum, Stetis, inquiens, vos in vestris aedibus pacifici, mihi tantummodo et meis militibus turres et moenia linquite. Crastina die de Sincz egressus ad vos, cum quinque, octo, et decem millibus, et quantis opus fuerit, equitum, prospere contendo. Navium interim

quibus

quibus Vislam superem, agitate curam. Ea responsione
Thorunenses accepta a Rege discedunt, et ad suas reuersi
regiam optime dispositam referunt mentem. Rex autem
dando responsioni suæ veritatem, in crastinum cum omni cu
ria sua in Grudentz venit, quem priores Thorunen
ses Nuncij ibidem conueniunt. Quibus visis scilicet a
re sollicite ab eis cepit, habeant ne pro eo et gentibus
suis naues paratas, qui quæstione silentio absoluta asse
runt se nouam legationem ad eum detulisse. Quibus di
cendi potestate facta, Venimus, inquiunt, Rex Illustrissime,
ad te Ciuitatis nostræ nomine tibi significaturi, nos ea
angustia pressos esse, ut si ad crastina diei Solis occasum
laboranti ciuitati nostræ succursum non tuleris, scias
nos ciuitatem Magistro tradituros. Cui legationi respon
dendo Rex, antequam, inquit, crastini Solis veniat occidu
um, suffragaturum me vobis, dummodo vos præstetis
nauigium, polliceor. Tum illi non amplius perfidiam
suam intelligentes posse celatum iri, iam certa, inquiunt,
pacta cum Magistro, quæ rescindere fas non est, inii
mus, die crastina sibi ciuitatem tradituri. Quamuis et
tam patens perfidia alium in ingentem bilem, Vladislaus
tamen Rex nihil ea motus, pia mansuetudine, exprobrare
tantummodo legatis contentus, illos corripit, Haeccine,
inquit, est fides vestra, hoccine iusiurandum, hæccine
sponsiones, quibus vos mihi addixistis, quorum omnium
obliti, non erubuistis pacisci cum hoste meo. Illi facinoris
conscij, nedum aliquid respondere, sed neque mutire ausi,
etiam gestu et oculis in terram deiectis scelus fatebantur.
Et quamuis a Consiliarijs suaderetur Regi ut Thoru
nensium legatos, velut perfidos et fedifragos damnare
capite iussisset, documentum non inulta perfidia futuros,
at Rex ut erat benignus et mitis, negat se iudicem su
am sequutos legatos violari debere, præstantibus asse
rens Thorunensium et Gedanensium sibi quam suam
ctis iudicem defuisse. Redeuntibus Nuncijs, Thorun et
Gedansk in ditionem Magistri, nulla necessitate ciues impel
lente tradita sunt, qui e vestigio castrum Thorunense
quod

quod a praesidio Regio tenebatur circumuallat, mili
tibus tamen Regijs virili constantia illud tuentibus,
et crebras excursiones et strages in obsidentes eden
tibus, nulla tenus potuit illius conquisitione potiri.

Thorunensium et Gdanensium
ciuium perfidia Vladislaus Poloniae Rex illusus,
ex Gniewkow in Juniuladislauiam reuersus est. Vo
to autem suo, quo se pro honore diuinissimi Sacramenti
Monasterium Posnaniae visitaturum ante conflictum
magnum obstrinxerat, satisfacturus, et Juniwladisla
uia per Strzelno, et Kwyeczyszow in Trzemesnam per
uenit. Abinde vero pedibus pro Dei et Sancti Adal
berti reuerentia Gnesnam adijt. Ex Gnesna in Lobu
dzisko venit, abinde quoque pede iter usque ad Posna
niam ad Monasterium Corporis Christi confecit. Quo
cum feria secunda in vigilia Sanctae Catherinae perue
nisset, tribus diebus illic exactis, religione et voto
cum magna deuotione perfunctus, per eandem qua
venerat loca, Juniwladislauiam sua praesentia Re
gnum Poloniae ab hostibus protecturus rediit, nouaque vo
catione terras Maioris Poloniae, item Siradiensem,
Lanciciensem, Cuiauiensem, Dobrzinensem, in Pruteni
cam expeditionem commouit. Ad cuius imperium
dum exercitus praedictarum terrarum Juniwladislauiae
conuenisset, in Pomeraniam illum, praeficiens exercitui
Sandiuogium de Ostrorog Palatinum Posnaniensem
transmisit. Quam ingressus, oppidum Nouum conqui
rit, vastat, et incendit. Vniuersa deinde Pomerania
conquisitione castrorum et ciuitatum hostilium, et quae
defecerant, intermissa, in longum et in latum spolijs et
incendijs peruastata, dum hostis pugnandi copiam non
facerent, onustus et grauis hostilibus spolijs ad pro
pria incolumis rediit. Cum autem hybernali bello pars
utraque lassata quiescere optaret, Treugas interponi pla
cuit. Ad quas componendas cum Petrus Szafraniec
Succamerarius Cracouiensis in Thorun missus, illas
confecerit.

conferre requiret, pro die tamen Sanctae Mariae Conceptio
nis in oppido Raczansz conventum Regis et Magistri pro
stabiliendis Treugis et ordinat et indicit.

Sub idem tempus Stiborius de Stiborzi
cza Transilvanensis Palatinus, cum duodecim Banderijs
gentium, Sigismundi Ungariae Regis, ex Bohemis, Mora
vis, et Australibus collectarum, Ungari siquidem foede
ris, quod illis cum Polonis quasi sacrosanctum et sempi
ternum est, memores, neq cogi neq pelliei in arma poterant,
fines Regni Poloniae per Szczawnicze, gentibus regijs, quae
Novam Sandecz observabant, tardo et longa quiete in
ades proprias dilapsis, ingreditur, et oppidum Vete
ris Sandecz, novae vero suburbium cum aliquot villis
exurens et spolians citato agmine in Ungariam, per flu
vium Popród, versus Muszinam via montuosa et diffi
cili regrediebatur. Ideo autem Sigismundus Ungariae
Rex innabovem Poloniae Regni per Stiborium fieri pro
curaverat, ut pro quadraginta florenorum millibus
a Magistro et Ordine receptis declararet se sua dif
fidatione Regi et Regno Poloniae facta, satisfecisse, et
Magistro et Ordini eum vehementer pro defensione,
et in Regnum Poloniae hostilitate stimulantibus, ostenderet
se sua sollicitatione duodecim Banderiarum contra Polo
niae Regnum expeditione perfunctum esse. Non tulit tan
tum gens Regia ad tumultum fines Regni relictae pro
brum, sancq iniuriam, sed praecipiti concursu conveniens
Stiborium et eius exercitum sequebatur. Fuerunt au
tem in gente Regia se principalis Stiborius Episcopus
Agriensis cum germano suo, item Spytek Jaroslawski
ex proprijs gentibus habens Banderium, item Joannes
Sczekoczki Castellanus Lublinensis, Joannes Valach de
Bardow et alij qui mediam Alpes transgressum prope
se superiorem invadit. Certatum est aliquanto pugna
acerrima, et multitudine contra paucitatem praevalente
Stiborio in fugam Poloni ceperant, nisi Bosunich Caspar
et

et Dalibor, qui ducebant ordines, praelijs in aliquot
locis restitutis, turpem fugam inibissent. Praelio itaque
reintegrato, quamvis Stiborius numero, Polonus robo
re superior foret, ad extremum tamen Stiborius confli
ctus et debellatus in Bardiow refugit, exercitu suo in
parte maiori aut capto, aut caeso.

Sabbato in vigilia Sancti Andreae
Apostoli Vladislaus Poloniae Rex ex Iuniwladisla
wia discedens, die Dominico in Brzescz pervenit. Quo
illic degenti, insignis et memorabilis et famosa de Crucife
ris provenit victoria. Magister siquidem Livoniae Her
mannus de Vethinsemes, forti et numeroso ex varijs
nationibus collecto exercitu, Magistro Prussiae solatia la
turus, Prussiam advenit. Robore autem totius exercitus
sui in Golub, ut facilius Dobrzinensem terram ex vici
nitate posset affligere, transmisso, ipse in Mariemburg cum
paucis divertit. Quo gentes regia, pro praesidijs in Bo
browniki et Rippin locata, cognito, deductis ex utroque
praesidio militibus, parvum iustum congerunt exercitum.
Quem Dobeslaus Puchala nobilis de domo Wyenyewa
ducendum et regendum suscipiens, versus Golub fre
quentiam hostilem sciens illic consistere, intrepidus ire
pergit. Quo cum pervenisset, dispositis in loco apto
Dobeslaus Puchalya insidijs, agmen militum, ad infe
rendum damnum, pecusque abigendum versus por
tas oppidi transmittit. Id dum universum gre
gem ex oppido in pascua egressum, patratis da
mnis et incendijs abigeret, Livonitarum exercitus
in armorum splendore, et frequens in numero et vir
tute de oppido exaliens, Polonorum agmen pavorem
et fugam simulans, quousque ad insidiarum locum
perventum foret, insectabatur. Continuo autem Re
gius exercitus ex insidijs prodiens, et in terga ho
stilia ruens, hostes caedit, prosternit et profligat.

Neque

regis nimio pavore perculsus, resistentiam qualemcunque oppo
suit, sed in fugam continuo dilapsus, in oppidum redire festi
nabat, regio exercitu in suis tergis haerente. Nec minor erat
in oppido et muris trepidatio, ex qua verentibus civibus, ne
in oppidum victores cum victis irrupissent, nondum medietate
suorum ingressa, portas occluserunt. Cadebant autem plures ex
hostibus cum fugiendo propellerentur a solum, et se ipsos
mutuo obruebant. In ipsis denique portis gravior orta est
compressio, et unoquoque alterum premente et praevenire co
nante impediebatur hostium fuga, et frequentior provenie
bat collapsorum interitus. Quapropter maior Livonici exer
citus multitudo ab ingressu oppidi exclusa, in exercitus
regij captivitatem, quamvis illo quadruplo superior existeret,
precibus etiam adiectis se ultro subiecit. Capiuntur
itaque fratres de Ordine plurimi, item milites insignes, et ar
mis detractis, ducuntur a Regijs militibus vinculati. Vix
credibile dictu, captivi eos qui capiebant numero quadru
plo excesserant, adeo omnium sensum, territos exturbante
fortuna, ut nec hostium paucitatem, nec suorum multitudi
nem satis prospicerent. Ceperat siquidem hostes ante
et post cladem ea credulitas, alium capitaliorem exercitum
Regis, silvis et nemoribus clausum esse, et eum, a quo
capti erant, comitari. Eoque respectu delusi, et in fugam abie
rant, et precario se captivitati subiecerant. Unde cum per
gentes Regis versus Rigam ducerentur, quonam locorum ca
pitalior exercitus Regis consisteret, et an se secuturus
foret, assidua quaestione suos ductores pulsabant. Regij
vero Regiae periculum, si verum faterentur, a captivis veri
ta, fortem et capitalem exercitum in propinquo suo comitatu
semper esse, et fuisse, captivis astruunt, et ex certis respecti
bus nondum in publicum prodiisse, talibusque terroribus
et figmentis captivos districtos in Rigam perduxerunt. Tum
quoque primum captivis in vincula coniectis non ampliore
fuisse exercitum Regium, quam qui eos profligaverit, et
vinctos duxerit edicunt, quo audito captivi, in miserabi
les singultus et lachrymas prorumpunt, publica et sonora
voce professi, non nisi propter mustum, ad quod venissent, bellū,
in

in tam miserandam sortem vos prolapsos fuisse, et ultionis
divinae gladium ob injusta bella vobis occurrisse, postquam tanta
eorum multitudo paucitati vix ferendae succubuisset, quam
poterat, et ad valvas Oppidi Golub, et expost cum duceretur
sua numerositate et hostium paucitate decussa, trucidasse, Ex Rissin deinde omnes captivi in Vladislai Regis conspectum in Brzescie adducti sunt, qui de tam sublimi dono gratiarum actionibus in Deum exolutis, omnes
milites et fratres de Ordine, item omnes Cursones, quod homines ambiguae fidei estimabantur, turribus inclusit, Caeteros vero militares hominis, Sacramento ut se repraesentarent adstrictos, ad simplicem dimittit sponsionem.

Conceptionis Sanctae Mariae die Vladislaus Poloniae Rex ex Brzescze egressus, conventum cum Prussiae Magistro acturus, in Raczansz advenit. Cumque et Magister Prussiae Henricus de Plawen, habens in comitatu suo Hebreardum Episcopum Herbipolensem, et Comitum atque militarium magnam catervam, a Vladislao Poloniae Rege comiter exceptus, cum omnibus suis ad coenam invitatus, et magnifice tractatus atque honoratus est. Ubi praedictus Magister Henricus inter coenandum in familiarem sermonem cum Vladislao Rege resolutus, ea verba cum illo habuit. Contulerat, inquit, tibi Illustrissime Rex Deus et fortuna vice triplici tempus, licet illo uti nescieris, aptissimum, in quo castrum Marienburg conquirere, et terras Ordinis perpetuo possidere facile potuisses. Primum quidem erat dum praedecessorem meum Ulricum Prussiae Magistrum et omnes eius copias caede magna usque ad internecionem conflixisti, nam si die altera aliquot gentium banderia ad castri Marienburgensis obsidionem transmisisses, fuisset e vestigio ditioni tuae cum paucissimae ut hae infimae et imbecilles gentes apud illud consisterent, consignatum. Secundum, si Oppido Marienburgensi conquisito, castrum quoque impugnatum iri perrexisses, quoniam per foramen inter villam et castrum positum, nondum a nobis per trepidationem obstructum, gentes tuae castrum irrumpere potuissent. Tertium, si obsidionem castri

castri Marienburgensis continuasses, tantummodo diebus
quindecim, ea enim eramus inedia et fame afflicti, quod pro
ea multitudine, qua castrum turbatur, non nisi duos Muto
nes vivos et tres pernas lardi habebamus, panis insuper
defectu oppressi, et obid Dyssenteria languore admodum ve
xati, nullatenus ulteriorem obsidionem si perseverasses
tulissemus. Vladislao autem Rege respondente, Nihil posse
apud mortales absq; Dei nutu, universa, provida guberna
~~tione~~ ordinatione, gubernantis, accidere, caena soluta est.
Habiti deinde fuere in crastino super Treuga indicenda
varij tractatus, quae cum concludi non posset, soluto conventu,
et Vladislao Rege in Brzesczie, Prussiae vero Magistro Hen
rico in Thorun redeuntibus, novo tractatu per Petrum Saf
francz Succamerarium Cracoviensem interposito, Treuga
ad unius tantummodo mensis spacium accepta est. Qua
confecta Vladislaus Poloniae Rex ex Brzesczie egressus, per
Przedecz, Lanciciam, et Lowicz, in Wishitli pervenit, et
a Semovito Duce Masoviae et consorte sua, germana regia,
Alexandra, et quinque filijs eorum nominibus, Semovito, Vla
dislao, Alexandro, Troydeno, et Casimiro, magna charita
te et honore exceptus et habitus est. Post dies autem qua
tuor, quibus ferarum venationi operam dederat, ex Wishitli
digressus, per Oszurdow, Bardlow, et Stromiecz Scolnam
perveniens, Nativitatis Christi illic festos dies egit

Annus is non apud Polonos solum, sed
et apud finitimos socios hostesq; memorabilis, Cruciferorum
magna caede, qua et vires illorum et superbia domita
est, diesq; triumphi quotannis habetur celebris, et propter
plures alios triumphos ex eodem circa Coronow, Tucholya,
et Golub, et de gentibus Sigismundi Ungariae Regis
circa Bardyow relatos.

Petrus Vises Cracoviensis Episcopus post
peractum apud Pisas Concilium, Sepulchro Christi visitato,
Cracoviam languens propter nimiam laxationem et exinani
tionem, apud Venetias, sumptis medicinis contractam, rever
sus est, necab illo tempore integrae sanitatis vigor po
terat illi refundi.

Alexander

Alexander Papa quintus natione Graecus
ex Candia, Ordinis Minorum frater, cum parvo tempore
et vix anno uno in Papatu sedisset, apud Bononiam moritur,
et in fratrum minorum Monasterio Bononiae sepelitur. Post
cuius obitum Cardinales conclave ingressi Baltasarem
de Cossa Cardinalem, a stipendiarijs, qui sub ductu et au
spicijs eiusdem Baltasaris Cardinalis militabant, rogati,
requisiti, et minarum terroribus, quibus illis, si secus facerent,
extrema omnia proventura scirent, impulsi, in Papam eligunt,
qui Joannes vicesimus tertius appellatus est. A plerisque
quod praedecessorem suum Alexandrum veneno sustulerit,
insimulatus, cum Gallicana, et Hispanica Ecclesia, Petrum
de Luna pro Papa tunc teneret. Mors autem praefati
Alexandri eo ordine scribitur provenisse. Nam dum
Officiales Ladislai Siciliae Regis, per Baltasarum Car
dinalem Sancti Eustachij, et Paulum de Ursinis, ex urbe
depulsi forent, et Roma Alexandro subdita esse coepis
set, Alexander ipse et Cardinales omnes novo huius
modi ad se dum Pistoriae agerent perlato, Romam redire
aestuabant. Quod Baltasar Cardinalis callidissimo
ingenio avertens, ipsum ex Pistorio per asperos montes, gla
ciebus et nivibus oppletos, in frigido tempore Bononiam de
duxit, atque suos domesticos pro Cubicularijs Alexandro, licet
nolenti foret, contradicere non audenti, deputavit. Ex quo
non multo post in gravem aegritudinem incidens, quam
nonnulli illum ex austeritate hyemis, nonnulli ex veneno
clam propinato contraxisse attribuebant, tertia die mensis
Maij hora quarta noctis diem obijt, dum mensibus de
cem, diebus undecim sedisset. Slavonicae linguae peritus,
et Vladislao Polonorum Regi familiari notitia, dum
in minoribus ageret, coniunctus. Quintadecima autem
mensis Maij Cardinales Conclave ingressi, Baltasa
rem de Cossa tituli Sancti Eustachij Diaconum Cardina
lem, natione Neapolitanum in Papam, ut praemisimus,
elegerunt, qui extunc Joannes vicesimus tertius appella
tus

tus, vicesima quinta Maij coronationis suae accepit insignia. Piratarum dum adhuc adolescens esset cum quibusdam fratribus suis exercens vitam, per Bonifacium nonum, primum in Archidiaconum Bononiensem, deinde in Cardinalem promotus, ad regendam Bononiam missus est, ubi multa spolia et oppressiones hominum innocentum asseritur commisisse, incestibus, stupris, adulterijs et caeteris detestabilibus facinoribus ante et in pontificatu infamis, Simoniam publice practicans et exercens. Qui ex Bononia Romam reversus curiam suam illic tenuit, facta tamen prius concordia cum Ladislao Siciliae Rege, quam ipse Ladislaus Rex pauco tempore observans Romam obsedit, cepit, et spoliavit. Propter quod Joannes Papa castro Sancti Angeli non confidens in Sutrium et eadem nocte in Viterbum, post vero in montem Flasconum, et Senas, de Senis vero in Florentiam fugiens devenit, ubi ex tunc aliquot mensibus habitavit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS UNDECIMUS.

Festo natalis Christi apud Jedlnam Vladislaus Poloniae Rex exacto, Sabato in die Sancti Joannis Evangelistae de Jedlna egressus, per Ilsam et Cunow transitum faciens in Opatow venit. Quo etiam Anna Regina reditum et Domini et Regis et victoris triumphum exceptura, sequente eam longo captivorum ordine, qui pro die Sancti Martini, repraesentationi apud Cracoviam facta, ad Regem remissi erant, advenerat. Ex Opatow dato altero ad repraesentandum termino per Lagow, et Chelcze, in Radoszycze perveniens, festis Epiphaniarum illic exactis, et Anna Regina in Cracoviam remissa, Pruthenicam expeditionem ex integro acturus, per Sulejow, Pabyanicze, et Lanciciam in Brzescie in die Sancti Marcelli advenit. Quo etiam iussu suo exercitus de terris totius Poloniae Regni confluxerat. Advenit et postea Alexander Dux magnus Litthuaniae cum exercitu suo Litthuanico, cum quo Vladislaus Rex in die Conversionis Sancti Pauli, apud veterem Vladislaviam copias coniunxit. Cumque Vladislaus Poloniae

Poloniae Rex suorum Consiliariorum deliberatione fretus, flumine Visla, qui frigore nimio gelatus superari non egebat, transito, et quoniam plura quadrigarum Polonicalium centena transfuerant, terras Prussiae spolijs et incendijs et oppidum Thorunense, cum se Magister Prussiae cum suis incluserat, vallare statuisset. Ea tamen deliberatione quamvis salubri omissa, aliam rursum Duce Magno Alexandro in pacis artis magis, quam belli proclivi, instigante, accipiat, et ex Vladislavia in Przypust, abinde vero aciebus ordinatis in Borram, unum a Raczansz milliare distanti, movens castra in praedicta Borra ad flumen illic decurrentem, et ut exercitui suo ligna pro focis sufficerent, stativa locavit, quae in eodem loco usque ad Purificationis diem habita sunt. Sub eo autem tempore in insula prope Thorun pax perpetua per Consiliarios partis utriusque, Treugis interpositis, tractari cepta est.

Contigit autem sub tempore quo pax perpetua in Thoruniensi insula tractabatur, veterum Treugarum tempus finitum esse, et per Consiliarios partis utriusque, prius quam laberentur prorogatas esse. Jannussius tamen Brzozoglowy veteres expirasse, novas autem nondum indictas esse perpendens, refertus ab exploratoribus, equos nobiliores Magistri Prussiae, et suorum mercenariorum militum, in antemurali castri Papow esse inclusos, ex Bydgostia apud Solyecz Vuisla quia iam dissolutus erat, superato, tum quadraginta tantummodo militibus illuc ire pergit, Illuc quoque perveniens, antemurali, quod negligentius infra pacis tractatum asservabatur, disrupto, magnam equorum nobilium multitudinem, tam Magistri quam suorum Stipendiariorum aufert et abducit, Et antemurali succenso, equorum nobilium gregem versus Vislam traducit. Quem mercenarij milites ex Thorun, damno Magistri et suo urgente persequi inglomerata multitudine ceperunt, qui persequentium manus evasurus, equorum grege cum suis praeire, et Vislam

superare

superare iusso, ipse cum duodecim tantummodo hostis duri
se ad insidias veritus, tamen resistendo et fugam simu
lando, donec ad naves, quae eius adventum operieban
tur, pervenit. Quibus conscensis, persequentibus se, et
tum primum metu depulso, in eum irruere satagentibus,
avectus, incolumis et hostilibus gravis spoliis Bydgo
stiam evasit, omnibus equis Magistri et suorum mer
cenariorum militum apud Papow captis, ad plenum po
titus. Quae res Henricum de Plawen Magistrum Prus
siae maximo afficiebat dolore, quod et ab hoste tam de
bili tam facile et notorie invasus et violatus fuerit, et
tam ingenti damno affectus.

Post varios tractatus pro perpe
tua pace in Thorunensi insula per Consiliarios utriusque
partis interpositos, propter Alexandri Ducis Magni
Litthuaniae, ad reintegrationem tantummodo sui Ducatus
Litthuaniae, et ad rehabendam terram suam Samogitiae,
de qua per Cruciferos expulsus fuerat, magnopere et fervide
aestuantis, sub conditionibus parum Regno Poloniae aequis
et utilibus conclusa firmata et inscripta est. Praecipua
rum autem conditionum ea fuit continentia, ut Poloniae
Rex omnia castra in terris Prussiae iure belli quaesita
Magistro et Ordini restituat, et de illis excedat, Item
ut omnes Magistri et Ordinis in quibuscunque confli
ctibus captos homines solvat in integrum et relaxet. Item
quod Magister et Ordo Vladislao Poloniae Regi et suo
Regno pro tribus terminis, festo videlicet Sancti Joannis
Baptistae, item festo Sancti Michaelis, item festo Sancti
Martini anni tunc currentis, centum millia sexagenarum
latorum grossorum Pragensium exsolvat, cum Vladislaus
Rex a solis captivis decem centum millia exigere potuis
set. Item quod terra Samogitarum Ducatui Magno Lit
thuaniae debebat relinqui, post mortem Vladislai Po
loniae Regis et Alexandri Ducis Magni Litthuaniae
ad Magistrum Prussiae et Cruciferorum Ordinem rever
sura, prout haec omnia in literis foederis perpetui tunc
ictae latius continentur. In ipsa autem pacis perpetuae
tunc confectione, neque Vladislaum Regem Poloniae neque

Vitaudum

Vult Saudum Ducem Magnum Litthuaniae, nec quicquam
alium extimasse eam Regni Poloniae, quam in abstractione
terrarum suarum, quarum tunc recuperatio sequi poterat
iniuriam, nisi Regnum ipsum, quod sub se naturalibus ter-
ris, et quarum restitutio circa obsidionem Mariemburg
offerebatur, orbari debebat, sensisse. Nulla autem Vladi-
slaus Poloniae Rex terrarum Regni sui Poloniae, videlicet
Pomeraniae et Culmensis, atque Michaloviensis recupe-
randarum movebatur cura, quam circa obsidionem
castri Mariemburg sibi ultro oblatam sprevit, in prae-
senti vero pacis tractatu omisit. Sufficere vnici cum
Alexandro Duce Magno Litthuaniae sibi ratus, si Du-
catus Magnus Litthuaniae integrationem acciperet,
quamvis Regno Poloniae, cuius prior et potior haben-
da fuerat ratio, mutilato. Cuius etsi enormem intel-
ligerent Consiliarij Poloniae mutilationem, nihil tamen
adversum illam proloqui, ne Regem et Ducem offende-
rent, audebant. Vanissimo itaque consilio tam Regis,
quam Ducis et Consiliariorum, magnifica illa et memo-
rabilis Cruciferorum victoria in irritum et pene
ludibrium recidens, nullum Regno Poloniae, magnum
vero Ducatui Litthuaniae attulit profectum

Sexta Decembris die Joannes Laro-
pisto Wratislaviensis Vratislaviensis Episcopus
et Opoliensis Dux, Praetorium Vratislaviense ingres-
sus, dum parum laeta et modesta verba funderet, per
Consules Vratislavienses, Leonardum Reyssart, Ni-
colaum Limbech, Jacobum Swortz et alios captiva-
tur. Ob cuius captivitatem Vratislaviensis Episcopus
Venceslaus, Consules patratae captivitatis reos, ana-
thematizat, Civitatem vero Vratislaviensem Eccle-
siastico subjicit interdicto, quod fuit usque ad feriam
quartam magnam assidue continuatum. Tandem re-
conciliatio per mediatores facta fuit, ea conditione,
quod Consulatus Vratislaviensis perpetuis temporibus
in

in Ecclesia maiori Vratislauiensi ante Sacrarium vnam candelam quatuor talenta cerae continentem teneat accensam. Captiuitatis autem suae ea vel praecipua fuit causa, quod germani sui Boleslaus et Bernardus Opolienses Duces aliquot currus oneratos varijs fortunis et mercibus Vratislauiensium per vim acceperant, cuius facinoris Joannes Crosnensis Vuladislauiensis Episcopus expers, iniuste captiuitati addictus erat.

Pace perpetua inter Vuladislaum Poloniae

Regem, Alexandrum Magnum Litthuaniae Ducem, et eorum Principatus, et dominia, ab vna, et Magistrum atque Ordinem Prussiae partibus ab altera, confecta, et literarum robore firmata, Henricus de Plawen Prussiae Magister in splendido et singulari comitatu Vuladislaum Poloniae Regem accedens personaliter, in cuiusdam campi ex opposito Zlotoriae siti, planicie, in quo tabernaculum Regium locatum erat, cum praedicto Vuladislao Poloniae Rege et fratre suo Alexandro, Duce Magno Litthuaniae, magnas militum cateruas habentibus, conuenit. Vbi articuli pro pace perpetua ordinati stipulatione manuali partis vtriusque et accepti et firmati sunt. Vuladislaus siquidem Poloniae Rex castra et ciuitates quae pro sua Serenitate in Prussiae terris tenebantur, sub certis terminis se dimissurum Magistro Prussiae promittit, Captiuos etiam tunc omnes, adiecta tamen conditione, si illi per Magistrum et Ordinem, centum millia sexagenarum latorum grossorum Pragensium solutio impensa fuerit, manu et verbo a captiuitate absoluit. Henricus vero Prussiae Magister se centum sexagenarum latorum grossorum millia Vuladislao Regi et suo Poloniae Regno soluturum obligat, pro quo notabiliores captiui se ponunt sponsores, in pristinam captiuitatem, si solutionem negligi contingeret, redituri. His et pluribus alijs ordine legittimo consumatis, Prussiae Magister Henricus duodecim sciphos argenteos singulos tamen deauratos pulcherrimo opere elaboratos Vuladislao Poloniae Regi donatione obtulit personali. Cui Vuladislaus Poloniae Rex vicissitudinem referens, Schubas aliquot zebellinarum pellium remisit. Cangatus apud suum conuentum Alma vnus quidam Cruciferorum miles mercenarius de Nicolao Powala de Thaczow, quasi ab eo in conflictu ante Coronow Sabito deuictus et captus, repraesentare se illi iuxta sponsionem a se praestitam, honoris sui parum memor, neglexis

sit

sed Nicolao Powala inficiante, et testificaturum se offe-
renti, ad iudicium militare revectus est. Quod cum ex fre-
quenti milite partis utriusque lectum consessum fuisset, actor
Almanus replicata querela Nicolaum Powalam se vi-
cisse, et cepisse constanter astruens, dici libellum a Iu-
dicibus et ad faciendam captivitatem compelli deposce-
bat. Nicolaus autem Powala Almanum adversarium
suum, ipsius armis, et verbis victurus, quaerit ab eo, ha-
beat ne aliquod documentum vel signum, quo temeraria
propositio sua vera esse posset convinci, Habeo, inquit, actor.
Et nihil moratus, sertum margaritarum quod Nicolaum
Powalya capite in praelio gestasse constabat, producit, Hocci-
ne, inquit, est insigne; quod te victo et capto tibi detraxi.
Tum Nicolaus Powalya adversarium in id quod gesti-
bat prolapsum esse vehementer laetatus, Mos, inquit, In-
dicis gentium fuit et est in militaribus actibus, hastilu-
dijs, et pugnis, diutius et usque in tempora nostra observa-
tus, ut quotiens serta, ornamenta, et quaeque nobilia insignia
pugnantibus deciderint, non militares homines et pugnae in-
tenti, qualem se hic vult videri, sed latrones, nebulones,
et homines ignavissimi rapere et intercipere consueverunt.
Signum itaque ab adversario productum non solum me non
vicisse; sed adversarium pugna omissa, decidentium insi-
gniorum collectioni, cum caeteris eiusce generis, quibus ava-
ritia non militia curae est hominibus, concludit verissime.
Si enim me obtinuisset victum, alia devictionis signa
militibus non latronibus consentanea, in vestrum medium
detulisset. Actoris et rei propositione et responsione Iudi-
ces diligentius examinata, pronunciatione concordi Nicola-
um Powalya Regium militem neque captum neque ad repre-
sentandum se obligatum fuisse declararunt, et ab instantia
actoris absolvunt. Sed et Iudices fraternum libellum impro-
perijs insectantur, Poteras, si nostris consilijs contentiosum
iudicium tibi dissuadentibus obedisses, probris publice in-
te ab adversario depromptis, caruisse. Sentis iam in quid
te spretis nostris monitis tua levitas perduxit, cum adver-
sarius cum suo amplissimo honore gravi te infamia perstrin-
xerit, et tuo te mucrone confodiens reliquerit infamatum.
Vladislao deinde Poloniae Rege et Alexandro Duce Ma-

Ino Lithuaniae ad exercituum suorum stativa, Magistro vero Prussiae in Thorun divertentibus conventus solutus est.

Crastina die, quae hunc conventum sequuta est, illucescente, Vladislaus Poloniae Rex terram insignem et portionem Regni Poloniae, Podoliam, Petro Wlodkowicz de Charbinowicze milite Subdapifero Sandomiriensi, qui illius regimen et Capitaneatum annis pluribus gesserat, destituto, Alexandro Duci magno Lithuaniae, Praelatis et Baronibus Regni Poloniae inconsultis, et ob id plurimum exacerbatis, parum perpendens futura discrimina quae propterea Poloniae Regno forent proventura, dat in tenutam. Dux quoque eodem die loco stationum suarum universo exercitu suo tam Polonico quam Lithuanico licentiato digressus, in Juniwladislavia noctem unam egit, abinde vero per Lanciciam, Piotrkow, et Opatow, Sandomiriam adveniens, dies Carnisprivii cum consorte sua Regina Anna, quae accersita illuc venerat, Sandomiriae exegit. Ut autem Regni sui Poloniae limites ex parte Ungariae Regni forent provisi, ad tenendum illuc praesidia transmittit. Qui fines Regni Poloniae tunc non contenti Regni Ungariae oppida, civitates, et villas, multis spoliis et incendiis lacessendo invadebant. Posuit autem se Zawissius niger de Garbow miles, inter dissidentes Reges, cum utriusque curialis et familiaris existeret, mediatorem, et frequentibus itineribus hinc inde gerendo usus, disgratiatos Regum animos prudentia singulari componebat. Diebus Carnisprivii apud Sandomiriam exactis Anna Regina Cracoviam reversa, Vladislaus Poloniae Rex in terram Chelmensem descendit, et apud Lubomlya et Luboszya usque ad Quadragesimae medium commoratus, venationibus assiduam operam dabat. Confecerat interea Zawissius niger post varios tractatus, pacis sufferentias in festum Sancti Martini duraturas inter Reges. Quarum certificatione Vladislaus Rex accepta, cum Ungariae Regis Sigismundi hostilitatem haberet semper suspectam, et longius progredi perniciosum estimaret, tum primum Lithuaniam cuius videndi dudum flagraverat desiderio, ex terra Chelmensi post medium Quadragesimae egressus, securiore mente liberior divertit, et illic totum veris et aestatis tempus, terras Lithuaniae et Russiae, a Duce Magno Alexandro ubique comitatus, peragrando absumpsit. In Vilno

quidem

quidem nave conscensa, venit in Kowno, et abinde in Indborg descendens, aliquanto tempore venandi illic occupabatur voluptate.

Haliciensi Ecclesia Metropolitana ex obitu Jacobi Archiepiscopi Fratrum Ordinis Minorum vacante, Nicolaus de Sandomiria Regni Poloniae Vicecancellarius ad eam, promovente illum Wladislao Poloniae Rege, per Joannem vigesimum tertium quarto decimo Calendarum Julij Romae, Schismate pestifero durante, suffectus est. Natione Polonus, genere nobilis, de domo Tubarum, tres tubas nigras in albo campo pro insigni deferentium, ex patre Wilhelmo, omnibus beneficijs suis videlicet praepositura Sancti Floriani extra muros Cracovienses, et praebendis in Gnesnensi, Cracoviensi, Calisiensi, Sandomiriensi, Sancti Georgij in Cracoviensi arce, Sancti Viti in Crusficensi castro, et altera in Ecclesia Cracoviensi, propter tenuitatem Ecclesiae Haliciensis reservatis.

Quinto Idus Maij ad Ecclesiam Camyenecensem, sive Podoliensem, per mortem Alexandri sui Pontificis immediati vacantem, Andreas ad petitionem Wladislai secundi Poloniae Regis, per Joannem de Cossa Papam vigesimum tertium in sua obedientia appellatum, durante Schismate provisus est.

Venationes apud Indborg Wladislaus Poloniae Rex tractando, ad curam rursum publicarum rerum mentem vertens, Andream Lyaszkary de Goslawicze Praepositum Wladislaviensem, Martinum de Wrocimowicze Vexilliferum Cracoviensem, et Sbigneum de Olesznicza Secretarium suum in urbem ad Joannem Papam vigesimum tertium obedientiam illi praestituros destinat. Dona magnae excellentiae videlicet quatuor scutellas aureas, item duos ciphos rarae quantitatis aureos, item tres Schubas ex pellibus Zebellinis, item tecturam largam pro lecto, pellibus de vario ab una, et Armellinis ab altera partibus contextam transmittens. Praefatis itaque Nuntijs Regijs feria sexta ante Nativitatem Sanctae Mariae Romam ingressis, magnus honos a Praelatis et Curiensibus universis, obviam illis ad extremum lapidem euntibus, impensus est, et introitus eorum exceptus cum omni decentia et honore. Data autem legatis Regijs audientia, quatuor principalia Wladislao Regi a Joanne Papa concedi petiverunt. Primum ut declararet commissum bellum cum Magistro et Ordine Cru

ciferorum

cruciferorum agitasse, Secundum, ut Rex omnia in Ecclesijs qui
buscunq; apud Prussiam recepta, licite retinere, et alijs Ecclesijs
in Poloniæ Regno donare potuisset. Tertium ut Regi contra Tar
taros Crucem et generale Passagium largiretur. Quartum ut
indulgentias, quas Ecclesia Sanctæ Mariæ Sendomiriensis,
Diœcesis Cracoviensis, a vetusto tempore secunda Junij præ
dicat, et celebrat, roboret Apostolicis literis et confirmet. Et
quoniam Poloniæ Rex Wladislaus iuste a Papa Joanne
petere videbatur, Papa precibus suis deferens, tria illi solen
niter concessit. Justum videlicet illum cum Cruciferis gesse
bellum, et iuste quæ in Ecclesijs Prutenicis recepta fuere
retinere, et Ecclesijs Polonicis donare posse declarans. In
dulgentias quoq; apud Sanctam Mariam Sendomiriensem,
Cracoviensis Diœcesis hactenus maximo hominum concursu
et religione secunda Junij prædicatas, quod eo forte die Polo
norum sanguis civitati a Tartaris conquisita, abunde fusus
est, confirmat, roborat, supplet, et innovat. Quartum, Passa
gium contra Tartaros, impedientibus Nuncijs Sigismundi Un
gariæ et Romanorum Regis et Cruciferorum, nullatenus
concedendum duxit, asserens alius passagium contra Ladi
slaum de Durasso Napuleæ Regem instituisse, quod ex altero
contra Tartaros concedendo et accresceret et diffluerct. Respon
sio hæc, in colorem, ne Wladislaum Regem et suos Orato
res maxima dona mittentem offensum iri contingeret, magis
quam pro rerum veritate cocta, Nuncij Regis Poloniæ novem
Ebdomadis in urbe exactis, in Regnum Poloniæ salvi, licet mul
ta illis in via tensa fuissent insidia, pro festis Natalis Chri
sti Cracoviam revertuntur

De Indborg Wladislaus Poloniæ Rex in
Vilnam applicans, aliquot diebus exactis, in Polorzko, deinde
Witebsko, Smolensko, posthæc in Luzyczow et Zaslaw pro
cessit. Ex Zaslaw navibus per fluvium Dnyepr vectus, in
Kyow descendit, Alexandro Duce Magno Litthuaniæ cum
consorte sua Anna, in locis prædictis comitante, et suæ
Serenitati atq; suis necessariorum et donorum procurante abun
dantiam. Ex Kyow Alexandro Duce Magno Litthuaniæ
illuc relicto, processit Wladislaus Poloniæ Rex per Dnyepr
in Czyrkassy, Smigrod, Sokolecz, Karanul, Braczslaw
et

et tandem in Kamieniecz peruenit, ex Kamieniecz Leopolim, inde in Cliniany accessit. Quo etiam Alexander Dux magnus Litthuaniae, quemadmodum inter Regem et eum, tractatibus secretis conuenerat, ad agendum seuerum de Nicolao Cirowski Gnesnensi Archiepiscopo, quasi in Regiam Maiestatem graui offensa, sollicitando Annam Reginam de stupro, secundum eiusdem Reginae assertionem, deliquisset, iudicium aduenit. Praefatus autem Nicolaus Cirowski, Gnesnensis Archiepiscopus, dum in Cliniany ad iudicium huiusmodi subeundum procederet, ex casu, quem in Czyrgow, lapsus de equo contraxerat, languorem incidens, die Dominico in vigilia Natiuitatis Sanctae Mariae Dobrzeczy perueniens, nocte subsequenti Confessionis duntaxat Sacramento refectus diem obijt, et in Gnesnam relatus Ecclesiasticae traditus est ante Chori ingressum sepulturae. Hic magnas opes in auro, argento, gemmis, castris, praedijs, villis, mittendo frequentius naues cera et frumento oneratas in Flandriam, pro fratribus et nepotibus suis quaesierat. Qua morte sua secuta, fuerunt per fratres et Consanguineos suos, et signanter per fratrem suum germanum Petrum Cirowski, licet Uladislaus Poloniae Rex ad obtinendum eas, magnis conatibus annitens, etiam castrum Vnieiouiense, in quo condita erant, misso exercitu, cuius Nicolaus de Michalow Palatinus Sendomiriensis et Capitaneus Siradiensis ductor erat, vallauerit, occupata et distracta. Fertur Archiepiscopus praefatus, dum in Cliniany vocatus procederet, non ignarus ad quam infestum et inuidiosum pergeret iudicium, non exiguam auri quantitatem secum detulisse, euasurum se credens, datis muneribus insignibus, diuertere aduersum se accusationis inuidiam, Magnitudine opum, quas Petro Cirowski germano suo relinquerat, quam aliquo in Ecclesiam aut patriam pietatis opere insignior.

Ex Cliniany Alexandro Duce Magno Litthuaniae in Litthuaniam remisso, Uladislaus Poloniae Rex Leopolim rediit. Quo illic stante, Capitulum Gnesnensis Ecclesiae ad electionem futuri pastoris procedens, Albertum Jastrzambiecz Posnaniensem Episcopum concorditer nullo discrepante in Archiepiscopum Gnesnensem postulauit. Qui ad Uladislaum Regem Leopolim perueniens, conformem et Canonicam postulationem suam a Rege Uladislao velut patrono admitti et gratificari expetebat. Uladislaus autem

Rex

Rex Poloniae parum iusta ira motus, quod Gnesnense Capitulum
eo inconsulto, postulationem Alberti Jastrzambiecz celebrasset, Ni-
colaum Archiepiscopum Haliciensem, et Regni Poloniae Vicecan-
cellarium ad Ecclesiam Gnesnensem nominat, Alberti Jastrzam-
biecz iustis et legittimis precibus repudiatis. Qui litigare
sibi cum Rege et Principe Ecclesiae Romanae, pestifero vigente
Schismati, grave et difficile existimaverat, prosequi tum Canonicam
suam postulationem omisit, Sed multo post tempore in officio su
ad Ecclesiam Cracoviensem assumptus, indulgentius quam Pon-
tifici conveniebat, quievit. Ut autem nominatio ad Gne-
snensem Ecclesiam de Nicolao Tramba Haliciensi Archie-
piscopo, contra fas et ius facta, celeriorem expeditionem susciperet,
Joannem Szlycz Doctorem et capellam suae Regiae Magistrum
ad Joannem Papam vicesimum tertium cum literis et supplica-
tionibus transmisit. Qui literis et precibus regijs morem ge-
rens, cum nemo foret, qui niteretur in adversum, Romae tunc
agens, secunda Nonas Augusti Nicolao Haliciensi Archie-
piscopo, in Gnesnensem Ecclesiam translato, Joanni Rzeszowski
Praeposito Sancti Michaelis in castro et Canonico Cracoviensi,
nobili de domo Poluliossza utroque beneficio sibi reservato iuxta Re-
gium beneplacitum atque preces de Haliciensi Ecclesia providet,
Processu quoque temporis Metropoliticam dignitatem Vladi-
slao Rege instante ex Halicz Leopolim transtulit, et civita-
tem Leopoliensem, honore geminato Pontificali vidilicet et Me-
tropolitico insignivit

Ex Leopoli Vladislaus Poloniae Rex
in Niepolomicze pro die Sancti Martini divertens, et dies
quindecim illic absumens, Cracoviam pedester in die Sanctae Ca-
therinae, Sanctorum, Stanislai, Venceslai, et Floriani limina
visitaturus, magna Praelatorum et Baronum multitudine, ve-
xilla et signa Cruciferorum in magno praelio capta ferentium
extensa, comitatus, et oppidum Casmiriense primum ingres-
sus, in Rupellam venit. Ubi adoratis Sanctorum reliquijs
in arcem Cracoviensem ad Ecclesiam maiorem, praecedenti-
bus cum vexillis Cruciferorum ascendit, et in Ecclesia ma-
iori Sancti Stanislai Cracoviensis omnia Cruciferorum Ban-
deria, in signum magnificae victoriae deposuit, quae et in hunc
diem illic a dextris et a sinistris pendendo, magnum propriis
et exteris praebendo spectaculum, regium triumphum, et Cruci-
ferorum cladem assidue ostentant. Ex Cracovia Vladislaus
Poloniae

Poloniae Rex Lithuaniam processit, atque illic magnam hiemis partem egit. Unum et quinquaginta hostium Cruciferorum signa templo Cracoviensi, quod nobilius et excellentius habet Polonia, tunc illata, splendorem et decus templo adiecere. Quae in spectaculum memorabile et insigne a Polonis custodienda servandaque sunt, et in locum vetustiorum novorum reponenda, et propter ingentem memorabilemque admirationem et triumphum ex ea relatum, extet tantae victoriae exemplar, et partim illa eadem signa videantur, partim tanquam illa idem essent, appareant. Sancitum autem tunc fuit, et universali decreto a Vladislao Rege ab omnibus statibus Ecclesiasticis et saecularibus concordi sententia et consensu institutum, ut Divisionis Apostolorum dies solenni agatur et feriata in universo Regno Poloniae celebretur; Doceantque patres suos filios, nepotes, pronepotes et successores, ut diem illum observent, colantque memoria sempiterna, in qua benignitas Dei misericordiam suam cum Polonorum natione et stirpe magnificasset. Et ut singulae Ecclesiae tam urbanae quam rurinae, per universum Poloniae Regnum constitutae, et celebretur singulari, et missarum processionumque officiis diem tanti triumphi cum plebibus suis recolant, et agant ingentes Deo pro beneficio Polonorum genti impenso gratiarum actiones.

Prussiae Magister Henricus de Plawen

ea anni hieme fere, Dementer in vexilliferum, et caeteros Chelmenses militares iratus, quasi erga se, et ordinem Cruciferorum parum sinceri extitissent, et perfidiam in ipsum et ordinem fecissent moliti, capite obtruncat, ope cuiuslibet defensionis legitima ipsis denegata, videlicet Nicolaum dictum Nicz, vexilliferum Chelmensem, Janussium Orzechowski, Conradum de Kosthow, milites duos. Insuper Magistros civium Gedanenses, videlicet Petrum Neczko et Bartholomeum Grosz ad se in castrum Gedanense pro prandio invitatos, servis negata confessione extrema et viatico perimit, Eorumque cadavera quasi parum tormenti vivi excepissent, fimo obruit. Quamvis enim crimen eis obiectum nullo fulciretur cadenti argumento, causas tamen crudelitatibus et vinculorum satagens esse iustas, ipsos tam praecipiti morte damnavit.

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS DUODECIMUS

Natalis Domini dies Vladislaus Poloniae Rex orationibus, quas per universum adventus Domini tempus, circa Gomiadz tractaverat reversus, apud Grodno egit. Sub eo autem tempore Arnestus Austriae Dux cum Marsalco suo Swimpeh in parva comitiva et dissimulato habitu Cracoviam latenter adveniens, foedus et affinitatem cum Vladislao Poloniae Rege quo adversus potentiam infestam Sigismundi Ungariae Regis beatior consisteret, iungere gestiebat. Revelato autem suo adventu et per celerem Nuntium ad Regem Lithuaniam perlato, Vladislaus Poloniae Rex properantius ex Lithuania in Poloniae Regnum processit, ducem praedictum Arnestum honoraturus. Dum autem in oppidum Proszowicze attigisset, nocte ex Proszowicze consurgens diluculo, Cracoviam et domum qua Arnestus Austriae Dux hospitabatur, ingressus, Ducem praefatum nondum sopore solutum conveniens, quo pacto Regnum suum et Civitatem absque salvo conductu ingredi praesumpsisset, ioroso sermone territum, magna benignitate et comitate excepit. Habitis deinde per dies sequentes mutuis, quibus et foedus, et affinitas, a Vladislao Rege per Ducem Arnestum petebatur, tractatibus, Vladislaus Rex virginem Cimbarcham neptem suam ex sorore germana Semoviti Masoviae Ducis filiam illi desponsans, dotemque amplam in auro largiens, et foedus, et affinitatem secum ut postulaverat consumat. Celebratis autem ante dies Carnisprivii in magna solennitate, pro magnificentia et tradentis et accipientis uxorem, in urbe Cracoviensi nuptiis, praefatus Arnestus Austriae Dux magnificis et dotalibus et aliis privatis acceptis a Vladislao Rege muneribus, in propria regrediebatur. Cui cum propria familia paucitatis, ne Sigismundi Ungariae Regis insidiis violaretur, vere metuenti, sexingentos milites ex curiensibus suis, praeficiens eis Petrum Safraniecz Succamerarium Cracoviensem in Capitaneum, in solatium dedit, a quibus usque in Novam civitatem Austriae, una cum nova sua sponsa femina Cimbarcha perductus, celebrimque curiam instituit, qua peracta, conductoribus suis remuneratis, eos in Poloniam per Viennam et Moraviam, via, qua venerant, perpetuo beneficiis Vladislai Poloniae Regis se profitendo obstrictum remisit.

Cx

Ex huiusmodi Arnesti et Cimbarczae connubio, durum processu Federicus natus est, qui Romani Imperij annis plurimis tenuit gubernacula.

Dux Venetiarum Michael Steno, specialibus literis et Nuntijs ad Vladislaum Poloniae Regem usque Cracoviam transmissis, maxima prece suam Serenitatem hortatur et observat, ne bellum cum Sigismundo Ungariae Rege captum deserat, neve secum foedus iungat, offerens pro militibus Regijs quingentas hastas explentibus se in auro numerato stipendia, guerra durante, largiturum. Agebatur siquidem pro ea tempestate inter Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem et Venetorum dominium pro Regno Dalmatiae a Venetis occupato durum bellum. Quapropter satagentes Veneti, a bello Dalmatico illum avertere, sumptus liberales et pecunias necessarias iuxta Regis ordinationem pro quingentis lanceis in bellum Pannonicum offerebant. Res tamen haec, quamvis Regi et Regno Poloniae plurimum utilis, Regni Ungariae respectu, accepta non est.

Nuptijs Ducis Austriae Arnesti, et gentibus suis, quae illum Austriam conducerent expeditis, Vladislaus Poloniae Rex ex Cracovia in novam Sandecz cum Anna Regina consorte sua processit, et illuc convenientibus ad eum Semovito Duce Masoviae seniore, et Alexandra consorte sua, item Duce Sigismundo Koributh Litthuaniae, item Ducissa Ratiborensi Helena, et Baronum atque militum magna multitudine, dies Carnisprivij in solatijs et hilaritate exegit. Sigismundus autem Romanorum et Ungariae Rex ex foedere, in quod Vladislaus Poloniae Rex, a Venetorum dominio sollicitabatur, firmandum, res suas in pericula veritus recasuras, et ne a duplici ac forti hoste a tergo et a fronte impeteretur, placare sibi Poloniae Regem quacunque arte decrevit. Et Branda titul. Sancti Clementis Praesbytero Cardinali, ac Stiborio de Stiborzicze Palatino Transilvanensi ad Vladislaum Regem in novam Sandecz missis, hostilitatem, per quam in Vladislaum Regem deliquerat, largo sermone extenuabat, petens secum foedus novum et perpetuum componi, et personalem conventionem teneri, ad quam tenendam asserebant Sigismundum Regem dudum per Barones Regnorum

pro

pro die Sanctae Elizabeths anno transacto in antiqua villa indictae
Conventioni partium, in Szepesiensi advenisse, et in eam diem mora
tum esse. Vladislao autem Poloniae Rege et suas, quibus a Sigis
mundo Rege lacessitus est, aggravante iniurias, et fluxae fidei
hominem Sigismundum Regem differente, Cardinalis et Palati
nus praedicti, dissidentes animos Regum compositum, nunc illum,
nunc alium varia frequentatione adibant. Quo tractatu pen
dente, Vladislai Regis permissu, Anna Regina Poloniae variis
precibus et literis Sigismundi Regis expugnata, visura conso
brinam suam Barbaram Sigismundi Regis consortem, cum splen
dida et notabili militum Poloniae comitiva in Kesmark accessit,
magno honore atque charitate Regis et Reginae excepta, Intercea
opera Cardinalis Brandae et Stiborij Palatini, Vladislaus Po
loniae Rex devictus, agere in Lubowlya oppido personalem vi
sionem cum Sigismundo Rege consentit. Ad quam cum Sabato
ante Dominicam Laetare, Sabenis in suo comitatu Bolislauo
Masoviae, Sigismundum Litthuaniae Duce, et Praelatorum ac
Baronum Poloniae frequentiam, advenisset, Sigismundus Roma
norum et Ungariae Rex in vertice Alpium occurrens, adven
tum suum excepit, et factis mutuis salutationibus et osculis in
oppidum Lubowlya, ubi etiam ab utraque Regina excipiebatur,
deduxit. Quamvis autem diebus septem Reges per se et Consi
liarios suos de pace egissent, non tamen pax inter illos poterat con
venire, Iamque, die Sabbati ante Dominicam Iudica Vladi
slao Poloniae Rege cum suis omnibus ad discessionem accincto,
Sigismundus Rex nova rogatione pervicit, illum, quate
nus faciat secum, omnibus arbitris exclusis, ad secretam
cameram ingressum, ubi cum uterque resedisset, Sigismundus
Romanorum et Ungariae Rex, ut erat ad ingenia et versutias
plenus, sic ad Vladislaum Poloniae Regem orsus est. Cum
et sanguine propinquo, Illustrissime et Charissime frater, et affi
nitate geminata, simus invicem obstricti, habeamus insuper
Regna vicina, et variis inter se necessitudinibus ex tempore
vetusto coniuncta, dissgredi de hinc pace non stabilita foedum
et turpe utrique nostrum existimo, praesertim cum inimicitiae no
strae non in longum progressa, facile possunt, dummodo bona
mens adfuerit, resciri, ego quoque cum tua Excellentia, tuisque do
miniis in pacis amaenitate consistere, summe exopto. Sed quo
niam

niam a me, pro Cruciferum acceptum est cuius iam taedet me
pœnitetque bellum, pollicebor itaque tibi et Iureiurando, si in per
petuæ pacis fœdus mecum redire sincere consenties, Sacra
mento firmabo, et Cruciferos me a Deo Dari et in sempiternum
deserturum, et cum omnibus meis potentijs pro eorum ex
terminio personalia solatia, me tibi, ea tamen conditione in
terposita, præstiturum repromitto, ut postquam propria di
uinitate eos vinci et exterminari contigerit, terræ Culmenses,
Michaloviensis, et Pomeraniæ, quas proprias et naturales
Regni tui Poloniæ profiteor, ad te et Regnum tuum semper
et plenarie recidant, Terram autem Prussiæ inter nos eo
sorciamur pacto, ut alter ex nobis maiorem illius partem
accipiat, qui maioris exercitus in guerram conduxerit.
Credidit Princeps simplex et rectus Vladislaus Poloniæ
Rex Suæ vafro, calidoque Sigismundi Regis promisso, existi
mans apud illum æque ut apud se religionem iurisiu
randi fore debere intemeratam, et sacrosanctam, voluntati
et desperationi Sigismundi, in singulis, ultroneum, consilia
rijs suis ignorantibus, præbuit consensum, Et altero in ma
nibus alterius, super lignum vivificæ Crucis de observan
do et adimplendo huiusmodi tractatu, et contractu, præstan
te iuramentum, fœdus perpetuum, gravitate suarum iniu
riarum non discussa, non digesta, iniit. Magnitudine insu
per pollicitationis a Sigismundo Rege factæ, Vladislaus
Poloniæ Rex pellectus, non solum omnium iniuriarum et da
mnorum, quibus illum gravi et infesto bello occupatum, Si
gismundus percrebrat oblitus est, sed etiam ad nonnullos
articulos Regno suo Poloniæ, et in præsens, et futurum, perni
ciem adferentes et allaturos, se a Sigismundo Rege pertrahi
dedireque, consensit. Nam licet Poloniæ Regnum a vetusto
tempore certa iusta legittima atque pacifica terrarum Russiæ
et Podoliæ frueretur possessione, Vladislaus tamen Poloniæ
Rex certi clarum et certum ius Regni sui in contractu
huiusmodi et fœdere, in dubium permisit, Omnem quæstionem
quæ tamen nunquam suscitata erat, ratione terrarum præ
dictarum, inter Regna Poloniæ et Ungariæ, usque ad obitum
suum, et eiusdem Sigismundi Regis, et ex post ad spacium
quinque annorum suspendi, terram vero Valachiæ, quæ et ipsa

Polonis

Poloniis feudalis et tributaria est, civitates ex illa tyrannis, par
tirent inter Poloniae et Ungariae Regna ex aequo consensit. Et dum
fines Regni sui propagare nititur, in ambiguitatem convertit propa
gatos. Sigismundus siquidem Ungariae Rex perspectam habens
Vladislai Poloniae Regis simplicitatem, abditis et secretis tra
ctatibus, omnibus arbitris exclusis, secum reconciliari et foe
derari volens, singula ex sententia sua et voto ab illo, quemad
modum evenit, consecuturus, quae scribat se si Consiliarij Polo
niae in remet tractatum adhibiti forent, nullatenus obtenturum.
Foedere per conclusionem secretam inter
Reges icto, Conclavi ambo egressi, ad locum, quo Reginae con
stiterant, procedunt. Quo cum ventum foret, Sigismundus
Romanorum et Ungariae Rex, caput mitra nudans, Vladi
slaum Poloniae Regem rogare sollicite coepit, ut postquam in
Lubowliensi oppido, ad quod petitionibus suis motus descende
re dignatus fuisset, iuxta status et dignitatis suae Regiae exi
gentiam honorari nequiverit, Cassoviam non dedignetur, oppi
dum magis populare et politicum accedere, ampliori cultu
honorem illic et charitatem suscepturus. Vladislaus autem
Poloniae Rex nulla cum suis deliberatione praemissa, petitioni
annuens, ire cum Sigismundo Rege in Cassoviam repromisit.
Argutus autem illico per Joannem de Tharnow Palatinum
Cracoviensem, cur tam faciliter ire ad hostem sine securi
tate exacta, parum deliberatus consensisset, silere Palatinum
Rex velut rerum ignarum iussit, facilitatem suam arcano co
gnito laudaturum. Excipit deinde eodem die Vladislaus
Poloniae Rex Sigismundum Regem et Reginam suam Bar
baram, atque omnes natu maiores Ungariae Barones, honore
mensae, et magnificis epulis contractat. Prandio vero expleto,
Vladislaus Poloniae Rex cum singulis praelatis, principibus,
Baronibus, et militibus suis, qui cum eo in Lubowliam ac
cesserant, in Cassoviam, Sigismundo Rege eum comitante, pro
cessit, et primum nocturnum in Sobniow, alterum die Dominico
Judica, in Aperiales egit, tertio vero, feria quarta secunda
post Dominicam Judica in Cassoviam perveniens, cum suis
omnibus, magnificis procuratus necessarijs octo dies mansit.
Regibus apud Kassoviam agen
tibus, vocat uterque Consiliarios quatuor ad consilium secretū,
Vladislaus quidem Poloniae Rex Nicolaum Gnesnensem Ar
chiepiscopū

Archiepiscopum, Albertum Posnaniensem Episcopum, Joannem de Tarnow Palatinum Cracoviensem, et Sbigneum de Brzezie Regni Poloniae Marsalcum, Sigismundus vero Ungariae Rex Joannem Archiepiscopum Strigoniensem, Hermanum Comitem Ciliae, Nicolaum de Gara Palatinum Ungariae, et Simonem de Roszgon iudicem curiae suae Regalis, usque servitas Conclusiones in Lubowlya sabbato aperiunt. Et quamvis Praelati et Barones Poloniae pacta Regum non probarent, velut Regno Poloniae plurimum periculosa et noxia, non volentes tamen Regis sui decretum quodlibet irritare, inviti pactis assentiunt. Dum autem iuxta conditiones pactorum, minutae literarum forent confectae, et articulus primus de exterminio Cruciferorum, quorum Nuntii pro eo tempore ad Sigismundum Regem venerant, et de Prussiae terrae divisione, tanquam principalis, propter quem caetera inconvenientia fuerant admissa, positus notatusque fuisset, Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex tali calliditate eum obtinuit, apud Wladislaum Poloniae Regem, ex literis principalibus aboleri. Petiuit siquidem Wladislaum Regem, quatenus Anna Poloniae Regina in Cracoviam remissa, ex Cassovia secum in Varadinum, deinde Budam, Wyssegrod, et alia Regni Ungariae insigniora procederet, silvarumque in venationis feris opulentas, quibus solebat Wladislaum Poloniae Regem delectari, traducturum, et omnibus necessariis splendide tractaturum. Quem cum sensisset ea oblatione inescatum, alteram rursum petitionem adiecit. Nosti, inquit, Illustrissime et amantissime frater, me in Romanorum Regem assumptum, noviter esse, et nondum sedem Imperij ad integrum confirmasse. Rogo itaque te, quatenus Conclusionem de Cruciferorum exterminio, et terrae Prussiae Divisione, stipulatione manuali et corporali iuramento inter nos firmatam, literis foederum communibus non permittas mitti, gravem indignationem, ex qua mea non ignominia tantummodo, sed et Imperij depositio, apud Imperij Electores, Cruciferis propter genus et ditionem faventes, mihi conflaturam. Faveas itaque sicut frater amantissimus honori meo, et articulum praedictum, per quem ego apud Electores et alios Principes Imperij, magnis odijs et opprobrijs me insimulatum iri non dubito, aequo animo ex inscriptionum foedere detrahi permittas. Ego enim articulum illum, quemadmodum tibi iuramento

pollicitus

pollicitus sum corporali, et omnes alios, iuxta quos foedus sancitum est, sincere pure et integre observabo, perinde ac si foret in literis foederum plene notatus et expressus. Annuit iterum Vladislaus Poloniae Rex Sigismundi Regis aliudque petitionem, et articulum de Cruciferorum exterminio, et Prussiae donatione rescindi ex literis permittet, huiusmodi quoque vocabulo se lu debiari neque turpe neque ingloriosum duxit. Conscribuntur itaque, ordinantur, et sigillantur literae, articulo potiori et meliori abrogato. Tenor autem foederis extat talis

Litera foederis

NOS Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomiriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum. Inter bonas sollicitudines, curasque multiplices, quae ministerio Regiae dignitatis incumbunt, de salubri et pacifico statu Regnorum nostrorum sollicite cogitare nos conveniunt, ut Regnis ipsis ac subditis nostris vigeat tranquilla beatitudo quietis, et solidae pacis gratia nutriatur. Summopere igitur occurrendum est, ut non crescant iurgia, sed iuxta Magistram bonorum omnium charitatem, quae nihil sapit extraneum, nihil asperum, nihil confusum, imo aequitate nutrit concordiam, dissociatos coniungit, pacem et unitatem consolidat. Cupientes itaque omnium displicentiarum, odiorum, iniuriarum, damnorum, et guerrarum materias et fomites inter nos ab una, et Serenissimum, ac praeclaros Principes Dominos Vladislaum Regem Poloniae, et Alexandrum alias Witoldum Magnum Ducem Litthvaniae, fratrem eiusdem Regis Vladislai, partibus ex altera, ac Regna et subditos cuiuslibet nostrum quoquomodo hactenus exortas et attentatas tollere, et sufforare, ac ad statum debitum mutuae charitatis et fraternitatis, unione laudabili deducere, ad huiusmodi coniunctionis, pacis, et fraternitatis, et concordiae inconcussae duraturam devenimus unionem. Primo nempe, ex certa nostra scientia, et in virtute fidei Catholicae perfecta et puro corde, ac verbo Regio, accedente etiam ad hoc Praelatorum et Baronum ac Procerum Regni nostri Ungariae consensu pariter et assensu, assumimus et pollicemur, quod ab hoc die et hora in antea, puram, veram, et sinceram fraternitatem, cum eisdem, Domino Vladislao Rege, et Alexandro Duci

pro quo

pro quo præfatus Vuladislaus Rex nobis fecit cautionem,
quod idem Dux Alexander vicevrsa nobis eandem fra
ternitatem iugiter obseruabit, et per suas autenticas et
privilegiales literas firmabit, exhibebimus, et seruabimus.
Ipsosq contra omnem hominem viuentem, eos hostiliter
inuadere volentem, totis nostris viribus adiuuabimus,
et quod auxilium vel consilium nunquam dabimus nec
consentiemus contra ipsorum statum seu personas, neq in
periculum seu necem personarum ipsorum, per nos, vel per
alium, seu alios, aliquatenus machinabimur, aut machi
nari volentibus consentiemus, sed potius conseruationem
sanitatis et vitæ ipsorum utriusq, honoris quoq eorum
pro posse procurabimus, Et quod de Regno, Ducatu, terris,
dominijs, vasallis, et subditis ipsorum, nullo vnquam tem
pore quicquam attentabimus, damnum quoq et periculum
status et personarum et honoris ipsorum auertemus, pro
ditoribus et rebellibus ipsorum nec consentiemus, imo fra
ternitates eorum in talibus ubi sciuerimus, premuniemus, eis
intimando, defendemus, ac ipsis asistemus, ac omnia alia et
singula, erga eorum fraternitates generaliter et specialiter atten
demus, et efficaciter obseruabimus. Quæ vero et sinceræ frater
nitatis vinculum exigit, et quæ in præsentibus literis nostris
per distinctiones, continentias, eorundem in suis punctis, clau
sulis, et articulis, sententijs quoq et capitulis vniuersis com
prehenduntur, promittimus firmiter inuiolabiliter et effectua
liter attendere, et tenere, prout præfati Domini Vuladislaus
Rex, et Vuithaudus Dux fratres nostri charissimi, vicaria
et reciproca vicissitudine hæcine nobis tenenda et obser
uanda repromiserunt. Verum quia super terris Russiæ,
Podoliæ, Moldaniæ, inter nos et ipsum Dominum Vuladisla
um Regem Poloniæ, et occasione earundem, inter cætera dis
sensiones materiæ vertebantur, in facto dictæ terræ Russiæ
inter nos et præfatum Dominum Vuladislaum Regem concor
datum extitit, hoc modo, vt dicta nobis et sibi insimul co
mite, vsq ad diem obitus vnius ex nobis, quem videlicet
prius natura diuino exemi contingat ab humanis, inter nos et
ipsum Dominum Vuladislaum Regem, nec non præfatum Ducem
Vuithaudum, pacis et treugarum fœdera habeantur, et incon
cussa obseruentur, modo infrascripto. Quibus treugis duran
tibus

tibus prafatus Dominus Vladislaus Rex Poloniae terram ipsā Russiae pacifice teneat, prout tenet sine impedimento nostro, vel Regni aut subditorum nostrorum aliquali. In terra vero Podo liae promittimus eundem Dominum Vladislaum Regem per nosmetipsos non impedire, nec per nostros subditos facere impe diri, neq; alium ad illam impediendam, consilium, fauorem, vel auxilium praestare Treugis durantibus infrascriptis. Item in casu, quo nos Regem Sigismundum, memorato Domi no Vladislao Rege fratre nostro, vocatione diuina praemori contingat, extunc post obitum nostrum, praedictae Treugae infra quinq; annos immediate sequentes debent perdurare, Et e conuerso si praedictum Dominum Vladislaum Regem prius nobis decedere accidat, foedera huiusmodi Treugarū similiter infra quinquennium, inter Vngariae et Poloniae Regna post eius decessum debent firmiter obseruari, et infra prae dictos quinq; annos Treugarum, videatur de iusticia et iu re partium, secundum seriem et continentiam literarum, aliās per Praelatos et Barones vtriusq; Regni, Vngariae videlicet et Poloniae, primum in Iglo, alio nomine in noua villa, et al tera vice in antiqua villa confectarum, quarum contenta habentes hic sufficienter pro insertis quo ad haec, in suo ro bore volumus permanere. Praeterea de terra Moldauiae, vt sequitur, inter nos et eundem Dominum Regem Poloniae fratrem nostrum charissimum est mutuo concordatum. Ex quo enim Magnificus Alexander pronunc Vaiwoda Moldauiensis, ad beneplacita et mandata ipsius Domini Vla dislai Regis fratris nostri, se dignoscitur obligasse, quam obligationem nos Sigismundus Rex praelibatus, ob amorem purae et sincerae fraternitatis, praefati Domini Vladislai Re gis nolentes turbare, vel impedire, ideo dispositum extitit et firmatum, vt quotiescunq; Turci et infideles terras coronae Vngariae, cum valido exercitu hostiliter inuaderent, ac easdem depopulare et deuastare molirentur, aut quan documq; nos Sigismundus praefatus Rex contra praedictos Turcos et infideles mille lanceas vel plures armaremus, et contra ipsos in expeditionem extra fines Regni nostri Vn gariae destinaremus, extunc ad nostram intimationem et significationem idem Rex Poloniae frater noster charissi

mus

mus mandare debet supradicto Moldvano, ut ipse propria
in persona cum sua tota potentia, nobis et nostro exercitui
succurrat, et obsequia praestet fideliter et constanter. Salvo,
si Moldvanus ipse infirmitate notabili et gravi, eo tunc es
set praeventus, quo casu nihilominus potentiam suam cum
Rectore exercitus sive idoneo, transmittere debebit, vel si
saltem in servitio memorati Domini Vuladislai Regis,
fratris nostri charissimi, cum sua potentia protunc foret
occupatus, Quod si de mandato memorati Domini Vula
dislai Regis, ut praelibatur, in succursum contra Turcos,
vel infideles personaliter, vel infirmitate praeveniente,
mittere suam potentiam recusaret, extunc nos ambo, vi
delicet Sigismundus et Vuladislaus Reges simul debebi
mus terram Moldaniae, non obstante praedicta obligatione,
potenter invadere, et ipsum Vuoivodam Moldvanum
ab eadem amovere, et ditioni nostrae subiugare, obtentamque
inter nos Reges dividere, et per limites seu terminos infra
scriptos distinguere et celebrare tali modo, Quod Sylva
maioris Bucovina dicta, incipiendo a montibus seu Alpi
bus Regni Vngariae, inter eandem terram Moldaniae,
et terram Sepeniczensem situata, prout se protenn
dentes se ad aliam Sylvam minorem Bucovina dictam,
usque ad fluvium Pruts, debent per medium dividi seu
dimidiari, Et quod forum Jasnasater in sinistra parte
situm, maneat pro eodem Domino Vuladislao Regi Polo
niae, Forum vero seu villa Berlets in dextra parte sita
maneat nobis Sigismundo Regi et coronae Regni nostri
Vngariae. Transeundo autem fluvio Pruts, residua
Sylva directe procedendo per campos desertos, usque ad
mare, pari modo cum eisdem campis desertis per medium
dividantur, ita quod Ferernar alias Belegrod cum
aequali medietate pro suprascripto Domino Vuladislao
Regi Poloniae etc. et Kilia cum alia aequali medietate
pro nobis Sigismundo Regi et corona Vngariae mane
ant taliter dimidiata et divisa; et pars illa quae ex tali di
visione cedet Domino Vuladislao Regi praedicto, remaneat
in

in manibus eiusdem, sub forma pacis et Treugarum super
terra Russiæ superius expressarum. Ubi autem præfatus Mol
duanus constanter et fideliter mandata per præfatum Dominũ
Wladislaum Regem sibi iniungenda, in nostrum subsidium
et succursum adimplebit, tunc prædicta totalis terra Mol
daniæ remanebit apud eundem, etiam post obitum alteri
us nostrum Regum prædictorum, ad quinquennium sub fœde
re Treugarum prædictarum, salvo iure partis utriusq. Item
si aliquis vel aliqui ex subditis cuiuscunq. Regnorum nostro
rum aut terrarum, aliquas vastationes, prædas, rapinas, vel
incendia, vel quæcunq. maleficiorum genera in Regnis et ter
ris alterius commiserit, vel commiserint, quod per hæ Treugæ præ
missæ non infringantur, sed quod iidem malefactores ad satisfa
ctionem iudicialiter compellantur, ita quod damna per ipsos
facta de bonis eorum resarciantur, et si iudicio parere conte
mnerent, uterq. nostrum ipsos tanquam maleficos persequi et
impugnare tenebitur et debebit. Et, ut præhabetur, nullo dissensio
nis, displicentiæ, controversiæ et maleficij genere supervenientibus quo
cunq. et accidente, interrumpi possit et debeat quomodolibet
vel dissolvi fœdus Treugarum et inscriptionum prædictarum,
Sed ut in talibus delicta non remaneant impunita, disposuimus,
ut ubicunq. contingat in talibus delinqui, aut excessum fieri,
recurratur et intimetur per iniuriam et damnum patientem,
ad alterum oppidorum, ut pote de incolis Regni Ungariæ ad
oppidum Sandecz, et de incolis Regni Poloniæ ad oppidum Lewcze,
quæ quidem oppida tenebuntur Iudicibus hinc inde ex utraq.
parte deputatis aut deputandis casum, delictum et excessum
intimare, et ipsos invocare ut in termino competenti Iudices
quatuor numero, videlicet Comites Comitatuum de Sarus, Sti
pisien, Wiranen, et Sewrzbienen pro tunc constituti, et per nos
deputati, ad instantiam et querelam incolæ de Polonia, in
antiqua villa, et ex adverso totidem Iudices per præfatum
Wladislaum Regem constituti, et in literis suis nominatim ex
pressi, ut pote Szandecensis, et Woinicensis Castellani, Iu
dex, et Succamerarius Cracovienses etiam pro tempore consti
tuti, in villa Sczamowicz, aut in eisdem locis minor pars Iu
dicum eorundem, prout rei qualitas deposcerit, conveniant,
ac iudicium et iustitiam faciant simpliciter et de plano, nec
non

non subterfugijs cessantibus, in delinquentes digna animadver
tant. Et in corroborationem, fidem ac testimonium cautelae
uberioris, Sigilla Praelatorum, Baronum, et Procerum Regni no
stri, quorum nomina singulariter inferius describuntur, penes
Sigillum nostrum Regale, praesentibus sunt appensa. Nos
quoque miseratione divina Joannes Archiepiscopus Strigoni
ensis, Comes perpetuus, in Strigoniensi et Colocensi provincijs
Primas, et Apostolicae Sedis Legatus, et aulae Romanorum
Regis Cancellarius, Stiborius Agriensis, Stephanus Tran
silvanus, Joannes Jauriensis, Philippus Vaciensis, et La
dislaus Chanadiensis Episcopi, necnon Hermannus Comes Ciliae,
Nicolaus de Gara Palatinus Regni Ungariae, Stiborius
Vaivoda Transilvanus, Comes Simon de Rozgon iudex Curiae
Regiae, Philippus de Ozora Comes Themosiensis, Zuborius
Thesaurarius, Joannes Rozgon Comes de Gara, Ladislaus
Frank Waiwoda, Georgius Comes de Bozen, bona fide et
Christianitate, nostris et fratrum, Regnicolarumque universo
rum vice, et nominibus, assumimus, pollicemur et fideiube
mus, quod omnia et singula superius scripta et expressa,
praefatus Dominus noster Sigismundus Rex attendet et
observabit, nosque attendemus et servabimus, suamque
Serenitatem toto conamine inconcusse observandam, pro possi
inducemus, dolo et fraude in praemissis omnibus et singulis
procul motis. Datum Lublio Anno Domini Millesimo quadrin
gentesimo duodecimo, Die Martij quindecima, Regnorum
nostrorum anno Ungariae et vicesimo quinto, Romanorum
vero secundo.

Multiplicibus instantijs Sigismundi
Romanorum et Ungariae Regis Vladislaus Poloniae Rex
sollicitatus, ut se inter eum et Venetos mediatorem ageret, Tho
mam de Dyalko Canonicum Cracoviensem Venetias trans
mittit, Duci et dominio Venetorum persuadens, quatenus
bello omisso ad quietis consilia animos inclinent. Quae ut
facilius confici posset, Nuncios suos cum plena potestate Bu
dam pacem eo mediatore tractaturos, transmittant, sperare
se afferens aequis conditionibus pacem confectum iri

Fina

Feria sexta ante Dominicam Ramispalmarum Anna Poloniae Regina ex Cassovia in Poloniae Regnum revertitur, Praelatis, Principibus et Baronibus Regni Poloniae secum unaredeuntibus, comitata, Quam cum Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex egredientem conduceret, ex equo cui insidebat collapsus, et graviter collisus, a suis pro semivivo collectus est. Crescente autem de vita eius desperatione, omnis nobilitas et vulgus Ungariae secretas deliberationes coquebat, non se alium pro Ungariae Rege in Sigismundi mortis eventum, quam Vladislaum Poloniae Regem habiturum. Volente tamen Deo, Sigismundus Rex brevi ad perfectam sanitatem rediit. Feria secunda in crastino Dominicae Ramispalmarum ambo Reges de Cassovia egressi faciunt nocturnum in Tolchay, feria tertia transvadato flumine Czissa, in rure, feria quarta in Dobrzeczani, feria quinta Vladislaus Rex Poloniae limina Sancti Vladislai Ungariae Regis, cuius corpus in Varadino requiescit, honoraturus, pedibus iter conficiebat, Sigismundo Rege Ungariae cum equestri itinere praecedente. Quindecim diebus Reges ambo apud Varadinum morati, Paschalia Domini illic agunt, quo Nuncius Venetorum Theologiae Magister Frater de Ordine Augustinensium Heremitarum, eloquentia et prudentia rarus, adveniens, salvum conductum pro Nuncijs Venetorum, ad tractandam pacem venturis, iuxta formam et plenitudinem quam petebat, accipit. Ante festum Sancti Adalberti egrediuntur ambo Reges Varadinum, et in campos vastos et solitudinem spirantes ultra villam Berszmyary facto descensu, venationibus operam navabant. Capta autem sub brevi multitudine ferarum venerunt in Mosaidined in Dzurdz, post in Agriam, ubi Rogationum et Ascensionis Domini diebus expletis, venerunt descensum in Budam, in qua, solemnitate Pentecostes dierum peracta, ad Czepel insulam se contulerunt, agitationi ferarum et caedi intenti. Feria tertia post Sanctae Trinitatis Budam reversi, maximo cultu, maxima veneratione circa honorandum festum Corporis Christi fuere versati. Continuabat autem uterque Rex in diem usque Sancti Ioannis Baptistae mansionem suam Budae, Et in crastino Corporis Christi curia militibus ad Hastiludiandum missa, Arnesti et Alberti Austriae, Ludovici Bregensis, Conradi Olsnicensis,

Iannussy

Jannssy Ratisbonensis, Joannes Lubensis, Szandal Bosnensis
Ducum, etiam centum militum in palaestra sub ludus a mane
in vesperam pugnantium frequentia nobilitata est. Ad quam
milites de Sex nationibus constabat confluxisse, videlicet Gra-
ecos, Italos, Gallos, Polonos, Bohemos, Ungaros, Australes,
Misznenses, Rhenenses, Franconês, Litthuanos, Ruthenos,
Bosnenses, Bulgaros, Valachos, Albanos, Rascianos.
Ex Polonis se fuere milites, Dobeslaus de Olesznicza Ca-
stellanus Vuoinicensis, Msczuyus de Skrzyn, Zawissius
niger et Joannes Pharuey germani de Garbow, Domarat
et Jacobus germani de Cobylany, Nicolaus Powalya, Al-
bertus Malski, Petrus Cebrowski, Martinus Rytwianski,
Andreas Balicki, Joannes Coli de Strzalkow, Marti-
nus Sczedrowski, et Stiborius Hinderzyn de Stiborzicze,
qui ad ingrediendum primi, ad discedendum ultimi, caeteris
a pugna quiescentibus, ipsi in septos ludum et pugnam edebant
Et quamvis Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex
Zelotypiae odio in Arnestum Austriae ducem iratus, cum
pelli ex circo huiusmodi iussisset, Arnestus tamen publicum
faciens ex Buda egressum, certamen athletarum clandesti-
nus introivit, et in illo usque in finem versabatur. Rex Bo-
snensis Charunen sua et suae consortis praesentia ludum
hunc celebriorem effecerat, cum et sui milites alta et procera
statura strenui et animosi in pugna spectarentur

Imperatoris Tartarorum Zoltan Zeledin
Nuntij Budam usque ad Vladislaum Regem Poloniae per-
ducti, tribus Camelis panno coopertis, Vladislao Regi
ex parte sui Caesaris, et alijs muneribus praesentatis, in le-
gatione sua, nomine sui Caesaris Vladislao Regi facta,
Caesarem suum cum omnibus potentijs suis contra quoslibet
suos hostes impensurum solatia offerebant, quae legatio natio-
nibus exteris erat magnae admirationi et terrori. Satagens
autem Vladislaus Poloniae Rex, Sigismundo Romanorum et Un-
gariae Regi, contra, honoris et benevolentiae vicissitudinem respon-
dere, eosdem, qui ad se ex parte Tartarorum Caesaris venerant,
iubet, et parem legationem apud Sigismundum regem resumunt.

De quo

De quo praedictus Sigismundus Rex supramodum laetatus,
et ipsam in magnum gloriae et famae suae cumulum referens,
hostes suos Venetos, legatione ipsa territabat.

Veritus Sigismundus Romanorum et Un-
gariae Rex ne Poloniae Rex Vladislaus illum iuxta foedera
percussa et iuramento firmata, de subsidio contra Crucife-
ros ferendo requireret, iam siquidem Magister et Ordo
Cruciferorum pacis perpetuae foedus cum Poloniae Rege
ictum, solutione pecuniarum pro primo termino facta, pro
residuis vero duobus, Sigismundo Rege mandante ne-
glecta, praevaricati fuerant, et bellum sibi ex integro in-
ferri per Poloniae Regem, licet etiam residuorum duorum
terminorum solutionem implevissent, ob solum temporis ne-
glectum et tarditatem formidabant, ea arte Vladislaum
Regem circumveniens, a bello Cruciferis movendo abdu-
xit. Persuadet siquidem ei ut postquam Magister et Or-
dinis Cruciferorum Nuntij pleno mandato plenaque authori-
tate suffulti, Budam venissent, et omnes differentias hactenus
ventilatas suo arbitrio crediderint, non cunctaretur et ipse
Poloniae Rex suum iudicium et decisionem subire, et potestati
suae causam credere, frequenti et ingeminata sollicitatione
spondens se pro Poloniae Rege velut suo amicissimo confoede-
rato, favorabilem sententiam pronunciaturum. Vladislao
autem Poloniae Rege tam operosae affirmationi Regis Sigi-
smundi fidem dante, et pro arbitro atque iudice Regem Sigi-
smundum acceptante, instauratur solemne iudicium, et Si-
gismundo Rege cum Praelatis et Baronibus Regni Un-
gariae in eo praesidente, pars utraque suas propositiones, re-
sponsiones, iura, et munimenta producit. Et quamvis Sigismun-
dus Rex poterat tunc creditam sibi a parte utraque cau-
sam expediuisse, ut tamen dilationibus Poloniae Regem
a guerra distineret, et Cruciferorum crumenam pro libito
emungeret, causam in longius tempus continuat, et repen-
tino in Italiam descensu pro guerra cum Venetis pro Regno
Dalmatiae ordinanda se occupatum iri praetendens, ad
audiendum partium ulteriora producta Joannem Strigoniensem
Archiepiscopum, Nicolaum de Gara, et alios Ungariae Barones sur-
rogat, et ipsis causam inter Regem Poloniae et Cruciferos tra-
ctandam et ad plenum expediendam demandat.

Veniunt

Veniunt interim Si duo Venetorum ad Vladi-
slaum Poloniae Regem in Budam nuntij, videlicet Franciscus
Mozenigo, exinde in Ducem Venetorum Mortuo Steno as-
sumpto promotus, et Antonius de Lauredano, super Regno
Dalmatiae cum Sigismundo Romanorum et Vngariae Rege,
Vladislao Poloniae Rege mediatoris vicem gerente placi-
taturi. Verum post varias propositiones, oppositiones, responsa,
postq varias altercationes in audientia Poloniae Regis per
vtramq partem habitas, Venetorum Nuntijs nullo pacto ex
Dalmatiae possessione, nuper Regi et Regno Vngariae detracta,
cedere velle asserentibus, et non nisi album equum purpu-
ra tectum pro tributo annuo sibi et suis successoribus Vnga-
riae Regibus solui, a Venetis, pro Regno Dalmatiae et eius
donatione, si ipsam illis facere contigerit, offerentibus, Sigi-
smundus Rex non placitatum se sed irrisum et ludificatum
vt dolens, in magnam iram exardescens, quinq Veneto-
rum signa bellica, per Capitaneum suum Pyponem de Flo-
rentia, caeso Venetorum exercitu apud Forum Julij, ante
annum vnum capta, per plateas Oppidi Budensis, et cir-
ca aedes apud quas Venetorum Legati hospitabantur, le-
gatis ipsis Venetorum inspectantibus, et Sancti Marci
sub forma Leonis imaginem, item Ducis sui et aliorum
arma recognoscentibus, per terram ignominiose trahi, et
in gyrum circumferri, ad extremum in Budense castrum
referri, et in strata magis trita vt conculcarentur a transe-
untibus, et vt opprobrio cunctis fierent, iussit. Et dum
taliter strata et deformata consisterent, contigit simul
vtrumq Regem illac transire. Vladislaus itaq Rex
Poloniae ludibrium signis mutis et innocuis inferre non
sustinens, in obliquum cum omni militia, signa pedibus
obterere fastidiens, flectit iter, Sigismundum vero Regem
illa percalcantem pia correptione obiurgat. Non conuenit,
inquit, tibi frater charissime, tuis insultare hostibus, et
eorum ignominiose attrectare signa, sed coram Deo humili-
tatem, actione, et spiritu gratitudinem referendo monstrare

Ego

Ego siquidem documento tibi esse possum, qui infestis hostibus meis caede magna apud Prussiam devictis, omnem benignitatem praestiti. Signa ipsorum in urbem Regiam et Regni ac populi mei Metropolim Cracoviensem, pedibus etiam cum militibus meis conferendo, inferens ad sacras aedes pro honore divino, cuius brachio cepisse me illa profiteor, pendere ordinavi. Omnem gloriam relati ex Crucifixis triumphi, soli Deo attribuens, et ab omni me continens superbiae fastu.

Feria quarta in vigilia S. Joannis Baptistae Wladislaus Poloniae Rex de Buda egressus, in albam Regalem pervenit, et die Sancti Joannis Baptistae cum aliquot sequentibus illic exactis, Iavara, et die altero in Langdorff villagium ad flumina Danubij situm perveniens, crassiusculis casejs ex lacte bubalo recenter coagulatis se replens, et indigesto cibo, balneis, postremo vero undarum Danubij fomentis prope hostijs duabus se reficiens, febrim acutam tertianam contraxit. Et nihilominus die altero in Morotz locum venationum Strigoniensis Archiepiscopi, duos illic physicos a Sigismundo Rege pro curando aegro corpore missos, offendens, ex Morotz, Strigoniam venit. Quo cum diebus quinque, Joanne Strigoniensi Archiepiscopo, illum omnibus necessarijs splendide tractante, lenimen suae aegritudinis sumpturus, stetisset, sexta demum die navali itinere Wissegradum introijt, grassantique morbo septem diebus illic immorari coactus est. Sub quibus Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex Wissegradum visitandi Regis Wladislai et solandi suum languorem gratia perveniens, omnes suos ex castro descendere iussos, Wissegradum in Regis et suorum militum potestatem commisit. Exinde per Regem utrumque, per Marussam, in Varpnir venationum locum itum est, et aliquot illic dies resumendi virium respectu absumpti. Intelligens autem Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex animum Wladislai Poloniae Regis anhelare in reditum, iam siquidem illi pristinae sanitatis refusus erat vigor, sibi per Andream Roszen de Rosznow militem suum tunc familiarem, de domo Griffonum, Coronam materialem auream Regni Poloniae, qua primi Regis Polonorum Boleslai Magni Ottho Imperator tercius tempora insignuerat, item gladium Sczyrbiecz quem gruem vocant, item sceptrum et pomum aureum reddidit et praesentavit. Quae omnia et alia plurima Re

gem

gni Poloniæ decora, Elisabeth Senior Regina germana Casimi
ri Poloniæ, et mater Ludovici Vngariæ, Regum, in Vngariam Lu
dovico Rege utrumque regnum administrante; verita ne in filij
sui Ludovici Regis negligentius omnia publica Regni Poloniæ
agentis negotia, deberent Poloni alium sibi Regem ordinarent,
extulerat. Donat insuper præfatus Sigismundus Romano
rum et Vngariæ Rex Vladislao Polonorum Regi, varia San
ctorum Ossa, et reliquias in Monstrantia argentea deaurata
annulo olim Ludovici Vngariæ Regis signatas. Item tria sta
mina axamenti simplicis, item tria stamina panni Florentini;
item tres Spadones, Portitorem autem Suum more munerum
Andream Roszen militem Vladislaus Poloniæ Rex duabus
villis in Regno Poloniæ et Sandecensi districtu largitione per
petua sibi inscriptis, et centum Marcis latorum Grossorum
remunerat. Sigismundo autem Romanorum et Vngariæ Regi
in vicissitudinem et recompensam, dona alia insignia et splen
dida, Schubas videlicet pellicias et Diplondes pellibus Zi
bellinis, Marderinis, Emerlinis et Grisieis superbas. Item
equos ambulatores et Lontzy. Aves quoque rerij generis
ad venandum instructas remittit

Feria quinta in die Beatæ Mariæ
Magdalenæ, Reges una simul ex Vasnum egressi, in Mona
sterium, quod appellatur Nostra, Fratrum Heremitarum primi
Heremitæ situm in solitudine, pervenerunt. Et sermonibus mul
tifarijs atque amplexibus in magna charitate atque dulcedine
celebratis, ac alteruter honore alter in alterutrum impenso, discus
sionem fecerunt. Vladislaus secundum Poloniæ Rex in Regnum
suum Poloniæ reversurus, per Trinczin, Myedzyrzecz, Brunow,
et Clobuk Moraviam perveniens, a Laczkone Barone Mora
viæ submisse et magna devotione exceptus, et victualium neces
sitati bene procuratus est. Ex Moravia per Herzin, Przeborow,
Tschechen, in Regnum suum perveniens, die Dominico ante San
cti Laurentij Cracoviam ingressurus, Coronam materialem
Regni sui Poloniæ, gladium, pomum, et sceptrum, apud Vnga
riam sibi per Sigismundum Regem reddita, ante suum conspe
ctum iussit in patulo deferri. Cui in obviam Anna Poloniæ Re
gina consors sua, Processionis quoque omnium Ecclesiarum ef
fusa, reditum suum iocundissima prestabantur hilaritate. In

festo

festo deinde Assumptionis Sanctae Mariae Vladislaus Rex apud Parochialem Ecclesiam Sanctae Mariae in Cracovia Missarum Solennia audiens, coronam materialem, gladium, pomum, et sceptrum supra locum suae stationis in stallis publice iussit exponi, pro populi laetitia et admiratione.

Feria secunda in crastino Assumptionis Sanctae Mariae Vladislaus Poloniae Rex de Cracovia egressus, apud castra oppidaque sua et civitates, videlicet novam civitatem, Sandomiriam, Przisszow, Sczebrzeszyn, Lublin, Chelm, Hrubyeszow, transitum faciens, feria quarta in die Sancti Mr. Bartholomaei supra flumen Bug, uno miliari a Hrubyeszow cum Alexandro Vitholdo Duce Magno Lithuaniae personaliter tenuit conventum, et universa quae cum Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege egerat, quaeque foedera secum inierat, qualesque eventus in Ungaria habuerat, certo ordine exponit, et fere singula munera quibus a Sigismundo Rege et Pannoniis fuerat honoratus, sibi largitur. Ad venerat in eam Dietam Petrus Wysz Cracoviensis Episcopus, grandem iniuriam suam satagens posse rescindi. Obtinuerat siquidem Vladislaus Poloniae Rex apud Joannem Papam vicesimum tertium, exposito quod debilis foret, et Lathargo similis, illum a sede Cracoviensi in Posnaniensem transferri, et in Cracoviensem Albertum Jastrzambiecz Posnaniensem Episcopum surrogari, quasi Posnaniensis Ecclesia tam miserabilis conditionis existeret, ut a debiliori regi posset. Et provisionum bullis allatis vir optimus Petrus Cracoviensis Episcopus excedere de sua Ecclesia, brachio regio impellente, stringebatur. Supplicabat itaque et per se et per internuntios suos, et signanter Andream Lyasthary Praepositum Vladislaviensem, Vladislao Regi, ne illum sedere sua pelle pateretur, faceretque, ut liceret sibi suam iustitiam iuris remediis defensare. Sed dum Vladislaus Rex inexorabilem se ad singulorum, iustam huiusmodi causam promoventium, suffragia, ostenderet, omnes insuper fratres et amicos eiusdem Petri Wysz Episcopi gravi indignationis atque obiurgationis correptione percelleret, iusta reprehensione a seculis apud praesentem et succedentem aetatem non evasurus, praefatus Petrus Wysz Episcopus Cracoviensis desertum se a fratribus, cognatis, et familiarissimis suis in dignoscens, de Cracoviensi Episcopatu cum ingenti lacrimarum effusione, et tam vehementi amaritudine et dolore, ut singulis circumstantibus fletum excuteret, in Posnaniensem Episcopatum descessit, ultio

nem

nem destruendam suae erectionis authori ingeminato clamore frequentius ab alterutro domino imprecatus. Quae quidem translatio magnum in Clero et populo parturivit scandalum, Larvas quoque induerat plus solito Ecclesiasticis infestioris. Sed neque in illum sane eius poterat ad legendum amaritudo aboleri. Sed et Mroczek de Poszadow alias de Lapiechow miles maioris Poloniae, propinqua cognatione per lineam directam Petro Wysz Episcopo iunctus, deiectionem suam ignominiosam molestius ferens, aptum observabat tempus, quo Albertum Jastrzambyrz Episcopum occideret, Dieta quoque generali apud Gnesnam instituta pro Pentecostes die, ad quam Albertus Jastrzambyrz Episcopus certo certius ferebatur venturus, Mroczek praefatus cum quingentis armatis hospicium illius invadere, et Albertum Episcopum obtruncare iureiurando se astrinxerat, Verum Alberto Jastrzambyrz dictam Synodum declinanti, facinus cogitatum executioni mandatum non est

Quantus autem pudor fuerit, quanta Dei iniuria et Ecclesiae Cracoviensis contumelia, quantum perniciosi et detestabilis rei exempli, quantum Regiae maiestatis et totius Regni dedecus, ut Rex alioquin devotus et Catholicus et Princeps Illustris ac magnificus ad unius Episcopi devotionem sedaverit, et contra virum bonum et simplicem, esto verum sit, in amentiam lapsum, extenderit potentiam suae fortitudinis atque maiestatis, qui quanto donis potioribus sic a Deo insignitum meminerat, tanto scrupulosiori diligentia et solertiori cura invigilare debuerat, ne gloriam sui nominis tam foeda macula cum Regnorum suorum atque principatuum pernicie atque dedecore fuscaret, saluti suae derogatura atque famae. Maior enim praefato Pontifici Petro Wysz, si delirus fuerat debebatur miseratio, sub cuius Sacerdotio pax Regno Poloniae et triumphus ille famosus ex Cruciferis apud Grunfeld relatus, provenerat, libertas quoque Ecclesiis, concordia plebibus, moribus disciplina, eo vero amoto, magna deformitas in clero et populo grassari coepit. Eius tamen deformitatis nullus alius causa fuisse, nisi Albertus Jastrzambyrz insimulabatur, qui primus apud Polonos tam pestiferi exempli, deponendi Pontificis, et sibi succedendi author extitit, insignem ambitionis titulum occupaturus

Conventione

Conventione supra flumen Bug pro die Sancti Mi
chaelis tenta, expedita Vladislaus Poloniae Rex in Medikam
processit. Quo illic diebus quindecim commoranti, Sigismundi Roma
norum et Ungariae Regis legati videlicet: Joannes Strigoniensis Ar
chiepiscopus, et Michael Hoesmeister Novae marchiae advocatus
in die Sanctae Hedwigis ad suam Serenitatem pervenerunt. Hi da
ta audientia orant, precanturque quatenus Vladislaus Poloniae
Rex ad prosequutionem Imperialis fastigij, Sigismundo Regi
quadraginta Sexagenarum latorum grossorum Pragensium mil
lia, quae propter dictum Magister et Ordo Prussiae Poloniae Regi iux
ta condemnationem iudiciariam, pro poena, damnis, et interesse,
quod in constitutis diebus capitalem summam, centum videlicet
millia solvere neglexerat, soluturus erat, mutuaret. Offerentes
in pecuniarum praedictarum summa, terram Scepusiensem
Regni Ungariae, Regi et Regno Poloniae dare in obligationem
et pignus. Vladislaus autem Poloniae Rex participato suo
rum Baronum consilio, et ut Sigismundum Regem maiori ne
cessitatis et amicitiae vinculo obstringeret, et ad implendum foe
dus de Cruciferorum exterminio, iuramento utrinque firmatum
arctius obligaret, mutuare Sigismundo Regi praefata Qua
draginta Sexagenarum latorum Grossorum millia, terra Scepu
siensi in pignus recepta, consentit: Praefatoque Michaeli Hoes
meister novae Marchiae advocato, personaliter demandat,
ut praefata quadraginta Sexagenarum latorum grossorum
millia in potestatem et manus Sigismundi Regis consignet,
Magistrum et Ordinem Cruciferorum de Prussia, speciali
bus literis quietans de eisdem. Joannes itaque Archiepiscopus
Strigoniensis, legatione sua votive perfunctus, plurimisque
et notabilibus donis per Vladislaum Poloniae Regem hono
ratus, in Ungariam revertebatur. Ex Medika in Przemysl ad,
Vladislaus Rex habens in suo comitatu Strigoniensem Ar
chiepiscopum, et Michaelem Hoesmeister processit, et sub eorum
conspectu infamiae suae notam inusti sibi ab Almanis, quasi
Schismaticorum fautor et praecipuus receptator foret,
purgaturus, Ecclesiam Cathedralem pulcherrimo opere ex
petra quadrata fabricatam, in Przemisliensis castri medio
sitam, ritu Graeco Sacrisque per Pontificem Ruthenorum admi
nistrari et officiari solitam, eiectis et exhumatis primum
Ruthenorum

Ruthenorum cadaueribus, et cineribus, consecrari in Catholicam
et Latini ritus Ecclesiam ordinauit. Quod ad singularem
sui ritus contumeliam et opprobrium, Ruthenorum Sacerdotes et
populus deputantes, amaris singultibus, vociferationibus, et
fletibus eam prosequebantur. Qua processu temporis sub anno
videlicet Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo, sub Pon
tificatu Nicolai Przemisliensis Episcopi ruinata, singuli eius
quadri lapides in fabricam Cathedralis Ecclesiae in ciuitate
sitae conuersi positiq; sunt

Nuntijs Sigismundi Romanorum et Unga
riae Regis licentiatis, Vladislaus ex Przemislia discedens,
gratiis pluribus oppidis, castris, et Curijs suis, videlicet Grodek,
Visznia, Leopoli, Gliniany, Bobrka, Nadziyczycze, Me
dynicze, Drohobicz, Ossimini, Sambor, Medika, pro festo Omni
um Sanctorum iterum Przemisliam rediit. Quo illic exacto,
per Szanok, Crosznam, Bycz, Bochniam, Wojnicz, pro die San
cti Martini in Nepolomiczi aduenit. Ubi diebus quindecim
cum Praelatis et Baronibus Poloniae, qui ad illum confluxerant,
exactis, per Przemankow, Wisliciam, Schydlow, Opatow, V
rzandow, Lublin, Bogiscev, Bielsko, Litthuaniam adueniens,
fere totum hyemem illic absumpsit. Et residua Ungarica mu
nera, quibus fuerat a Sigismundo Romanorum et Ungariae
Rege a Charissimo Bohemiae Rege, caeterisq; Praelatis, Princi
pibus, et Baronibus honoratus, in fratrem suum Alexandrū
Ducem Magnum Litthuaniae, et in filiam eius, Anastasiam, Du
cis Mosquitarum Basilij consortem, quae Regem et Ducem visi
tatura Litthuaniam accesserat, liberalissime erogauit. Nuntius
etiam alius Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis Benedi
ctus de Malva, Ungaricus miles, Litthuaniam aduenit, ter
minos et limites terrarum Litthuaniae et Prussiae quibus dis
terminentur fluminibus aut locis coram conspecturus aduenit,
et parte Regis atq; Cruciferorum praesente, singulos terrarū
praedictarum situs diligenter circuiens, inuestigans, et exa
minans, atq; in scriptum redigens, muneratus a Rege Vla
dislao et ~~Ungar~~ Alexandro Duce in Ungariam viua fi
rens testimonia rediit, pro causa quae cum Cruciferis transi
gebatur decisioni facilior.

Labem

33

Labem Sareetam et plures pestiferos errores a Joanne Husz natione Bohemo in Pragensi civitate superseminatos, Joannes Papa vicesimus tertius extirpaturus, Joannem tituli Sancti Petri Diaconum Cardinalem, Bohemiam transmittet. Qui processu legittimo contra Joannem Husz Synodo apud Pragam in die Sanctae Lucae indicta instaurato, ipsum propter erronea sua dogmata, et ad populum frequentius pronunciata, et manu sua conscripta, anathematis processibus percellit. A quibus ille ad iudicium summi Dei provocans, appellationem in valuis pontis Pragensis affigit. Et illa se extimet Principes protegens, fervens in dehonestationem Sedis Apostolicae et suorum Cardinalium serendo pestifera dogmata grassabatur, maius periculum brevi partura, Quam Venceslai Bohemiae Regis inlibrata ad omnia levitas non secus quam calamus ventis surgentibus agitatus roborabat.

Anni huius hyems calidissima, et absque exemplo, ab omni horrore pruinae aliena, adeo ut frigidissima regio Litthuaniae circa Purificationis Sanctae Mariae festum, olera et flores, de quibus usus communis habebatur, produceret, vulgo pene in miraculum atque ut dici solet in religionem iverit.

Joannes Papa vicesimus tertius Florentia egressus Bononiam duodecima mensis Novembris intravit. Circa finem vero Novembris, cum Cardinalibus et Curialibus suis transiens apud Laudam et Cremonam, cum Sigismundo Romanorum et Vngariae Rege conveniens, Concilium generale apud Constantiam civitatem Germaniae, ad reuniendam Ecclesiam Dei multipliciter scissam celebrari consensit. Reges quoque et Principes Christianitatis, ut illi per se vel Nuncios suos interessent invitavit. Interim vero Ladislaus Siciliae Rex corrupto Capitaneo castri Sancti Angeli Castrum praedictum per proditionem conquirit, maximoque exercitu collecto circa principium mensis Junij persequi Papam et apud Bononiam obsidere illum disponebat. Verum medio tempore Ladislaus ipse, cuius tremor et pavor tam Papam et Cardinales quam suos omnes Curiales, vehementer pervaserat, igne sacro in membro virili priusquam dimidia rei dies suos tactus obijt, et exinde Joannes Papa quietus, in Bononia mansit quattuor

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS TREDECIMUS.

Natalis Christi, sacratos dies Vuladislaus Poloniae Rex apud Lithuaniam in Vilno exactis, sub quibus mutui pacta Regi Romanorum et Ungariae, quadraginta sexagenarum latorum grossorum Pragensium millia, per Vuladislaum Poloniae Regem, solventibus et Magistro et Ordine Prussiae effectualiter, mutuata sunt. Et terra Scepusiensis, castrum videlicet Lubowlya, cum quatuordecim civitatibus terrae Scepusiensis Regi et Regno Poloniae in pignus et possessionem data, et in manus Pauli Gladysz, cui propter linguae Ungaricae peritiam Rex Vuladislaus tradi illam conservat, consignata, non prius reddenda, donec praefata quadraginta sexagenarum millia per Regis et Regnum Ungariae fuerint Regi et Regno Poloniae ad plenum exoluta. Venit Vuladislaus Rex pro Septuagesima in Parczow, pro Carnisprivii in Scolnam, et ex Scolna Cracoviam. Abinde vero in maiorem Poloniam per solita castrorum et statuum suarum loca divertit. Dum autem infra Octavas Corporis Christi Posnaniae devenisset, magnitudinem iniuriae, qua Petrum Vissz olim Cracoviensem tunc Posnaniensem Episcopum e sede sua Cracoviensi pelli, et in Posnaniam detrudi procuraverat, severa estimatione prospiciens, eo in capellam accito, flexis genibus prostratus, et facinus suum confessus, noxam illam petebat, ubertim lachrymas effundens, sibi ignosci. Quem Pontifex Petrus coram prostratum Regem diutius sustinuit, sed illico illum e terra erigens, omne scelus in se admissum dimisit, praefatus atrocitatem suae exclusionis non aliter provenituram fuisse, nisi illam aemulus suus Albertus Jastrzembiecz conflasset. Ex maiori Polonia in terras Cracovienses rediit, et festum Assumptionis Sanctae Mariae apud Wislicam egit. Exortam tandem in Regno Poloniae generalem epidimiae pestem, vitaturus, in sylvas et nemora, versus Przyssow, abinde vero in Lublinen. et Chelmen. terras, quodlibet oppidum et villam nequid infectionis contraheret, multis et notabilibus suis curiensibus pestis nihilominus cadentibus, praetergrediens declinavit,

ad

ad tenendam generalem cum fratre suo Alexandro Vuithaudo Duce Magno Lithuaniae dudum indictam Dietam, in oppidum Hrodlo supra fluvium Bug, secunda mensis Octobris venerunt, quo tum et ipse Dux Magnus Lithuaniae Alexander, et Praelatorum, Baronum, et militarium Regni Poloniae et Ducatus magni Lithuaniae universitas in frequenti multitudine accersita confluxerat. Satagentes siquidem praedicti duo insignes et nobilissimi Principes Vladislaus Poloniae Rex et Alexander Magnus Lithuaniae Dux terrarum et Principatuum suorum rectores optimi, Lithuaniae Samogitiaeque terras dudum Poloniae Regno incorporatas annexas inviscratas et unitas geminato funiculo difficile solubili eidem Poloniae Regno arctius solidiusque conglutinare, et populos Polonicos cum Lithuanicis et Samogiticis foedere iungere sempiterno, suadente illo Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege, conventum praefatum instituunt, et familias domosque Regni Poloniae per arma, insignia, et cognationes distinctas, cum familijs et domibus primorum Baronum Lithuaniae iungunt, glutinant, et uniunt, arma et nobilitatis insignia, quae nobiles Regni Poloniae a vetustissimo tempore ex parentibus et progenitoribus suis, propter actus honoros et merita conquisita habuerant, concedendo dictis Lithuanis, et armis Polonorum eos nobilitando, insigniendoque, qui ante neque conditionem nobilitatis norant, neque insignia seu nobilitatis arma gestare consueverant. Largiendo insuper Lithuanorum Baronibus iura et libertates optimas, et eis quibus Poloniae Regnum insignitum est, conferendo, remittendo illis tributa, servitutes et onera, quibus non secus quam emptitij et Sczawi premebantur, quod latius tenor literarum superinde confectarum, qui talis est, protestatur

In nomine Domini Amen

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitores sumus spiritualis alimoniae salutaria illis pocula ministrare, quibus, praesidentes, temporalium commodorum praestitimus suffragia, ut quos ad corporis necessitatem sustentamus, salutis etiam ipsis, quantum nostra sufficit facultas, ministeria porrigamus, ne dum temporalibus insistimus

profectibus

profectibus, vitae commoda negligere videamur, et unde dona benedictionis et bravium expectamus sempiternum, inde vitae detrimenta sentiamus, et praemiis destituti a deo placatis, nulla laboris nostri commoda consequamur, Expedit perquirere, et debita rationis attendere, ut dum hominibus impartimur carnis beneficia, meditemur, qualiter ipsis coelestia praebeamus alimenta, et quos in hoc saeculo transitorys rerum condimus opibus, illis viam aeternae beatitudinis demonstremus, quatenus et hic nostrae munificentiae cognoscant praesidia, et tandem futurae gloriae compendia, per exercitia virtutis nostrae apprehendant. Proinde nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae nec non terrarum Cracoviae, Sendomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Litthuaniae Princeps supremus, Pomeraniae, Russiaeque dominus et haeres etc. et Alexander alias Vithaudus Magnus Dux Litthuaniae nec non terrarum Russiae dominus et haeres etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, praesentibus, et futuris praesentium notitiam habituris, quomodo terras Litthuaniae et earum incolas nostro subditos dominio, in quos saepe liberalitatis nostrae dexteram extendimus, et profectui ipsorum intendentes, multa frequentia statum et conditionem eorum semper studuimus facere meliorem, ferventi desiderio cupientes in assumpta fidei devotione iugiter solidare, et fundare, ut ipsos altissimus, quo praestante lumen fidei per nostram operam receperunt, ad laudem et honorem sui nominis, et eiusdem fidei Catholicae augmentum, gratiae suae charismate confirmaret, cum eos saepe munificentia nostra donis reficimus, summopere affectamus spiritualibus gratiis refovere, et per quaeque legittima studia et labores ad firmius mancipare. Qui ut hi in fidei constantia commodius exerceant, et crescant de virtute in virtutem, iugum servitutis, quo hactenus serviunt compediti, et constricti, de cervice ipsorum deponentes et solventes, ex innata nobis benignitatis clementia ipsis libertates, immunitates, gratias, exemptiones, et privilegia, dari Catholicis solita, iuxta continentiam articulorum subscriptorum, tenore praesentium concedimus et largimur. Et primo, quamvis eo tempore quo almo spiritu inspirante, fidei Catholicae recepta claritate

claritate, Coronam Regni Poloniae assumpsimus, pro Christianae
religionis incremento et bono statu et commodo terrarum nostra
rum Litthuaniae praedictarum, ipsas et cum terris, ac dominijs
ipsis subiectis et connexis, praefato Regno nostro Poloniae appro
priavimus, incorporavimus, coniunximus, univimus, adiunxi
mus, confoederavimus, de consensu unanimi nostro et aliorum
fratrum nostrorum, et omnium Baronum, nobilium, procerum, et
Boiarorum eiusdem terrae Litthuaniae voluntate accedenti et as
sensu. Volentes tamen terras praedictas Litthuaniae propter ho
stiles insultus et insidias Cruciferorum et eis adhaerentium,
ac aliorum quorumcunque inimicorum, qui praefatas terras Lit
thuaniae et Regnum Poloniae demoliri nituntur, et in ipsorum
destructionem machinantur, in certitudine, securitate et tute
la meliori reponere, et eis perpetuum commodum procurare, eas
dem terras, quas semper cum pleno dominio ac iure mero et
mixto habuimus et habemus usque modo a progeni
toribus nostris, et ordine geniturae, tanquam domini legittimi,
Baronum, nobilium, Boyarorum voluntate, ratihabitione, et
consensu exhibitis, praedicto Regno Poloniae iterum ipsas cum
omnibus earum dominijs, terris, ducatibus, principatibus, di
strictibus, proprietatibus, omnique iure, mero et mixto, Coronae
Regni Poloniae perpetuis temporibus irrevocabiliter et irrefraga
biliter semper esse unitas. Caeterum omnes Ecclesias terra
rum Litthuaniae praedictarum, tam Cathedrales, quam Collegia
tas, Parochiales, et Conventuales, ubilibet ubicunque et
caeteras in eis erectas, erigendas, fundatas, et fundandas,
in omnibus ipsarum libertatibus, immunitatibus, privilegijs,
exemptionibus, et consuetudinibus universis conservamus, Sa
rum servi mediante, iuxta consuetudinem Regni Poloniae. Ba
rones etiam, Nobiles, Boyari terrarum nostrarum Litthuaniae
praedictarum, donationibus, privilegijs, et concessionibus ipsis da
tis, impartitis, et collatis, duntaxat Catholici et Romanae Ec
clesiae subiecti, et quibus Clenodia sunt concessa, gaudeant,
participent, et fruantur, prout Barones et Nobiles Regni Po
loniae suis potiuntur et fruuntur. Item Barones et Nobiles
praedicti bona ipsorum paternalia pari iure obtineant, sicut
Barones Regni Poloniae sua noscuntur obtinere, et donatio
nes nostras, super quibus literas obtinent, a nobis effectuales
et facultates perpetui roboris firmitatis, similiter obtinebunt, et
liberam

liberam habebunt ipsa vendendi, commutandi, alienandi, donandi, et in usus suos convertendi facultatem, nostro tamen consensu ad hoc specialiter accedente; sic tamen, quod ipsa alienando, commutando, vel donando, coram nobis vel nostris officialibus iuxta consuetudinem Regni Poloniae resignabunt. Item post mortem patrum liberi non debent bonis haereditariis privari, sed ea cum suis successoribus possidere, prout Barones et Nobiles Regni Poloniae sua possident et in usus convertunt beneplacitos. Similiter uxoribus suis dotalitia in bonis et villis, quas ex successione paterna, vel concessione nostra perpetua habuerint, vel fuerint habituri, poterint assignare, prout in Regno Poloniae assignantur. Filias autem, sorores, consanguineas, et affines suas, praefati Barones et nobiles terrarum Litthuaniae copulare poterint viris duntaxat Catholicis, et tradere coniugio iuxta beneplacitum eorum voluntatis, et iuxta consuetudinem Regni Poloniae ab antiquo observatam. His autem libertatum concessionibus non obstantibus, Barones ad constructionem et erectionem castrorum, vias expeditionales facere, et tributa dare iuxta antiquam consuetudinem astringantur, hoc specialiter expresso, quod omnes Barones et nobiles terrarum Litthuaniae, fidelitatem, et debitam ac Christianam fidei constantiam nobis videlicet Vladislao Regi Poloniae et Alexandro alias Vithaudo magno Duci Litthuaniae et successoribus nostris tenere debebunt et servare, prout Barones et nobiles Regni Poloniae suis Regibus tenere soliti sunt et servare. Super quo Barones, Boiari, et Proceres terrarum Litthuaniae praedicti, iuramentum nobis eam praestiterunt, prout clarius in literis ipsorum, quas cum Baronibus Regni Poloniae sibi invicem concesserunt, continetur. Pari modo sub fidei sacramento et sub bonorum suorum amissione, nullis principibus aut Baronibus, vel aliis cuiuscunque conditionis hominibus, terris Regni Poloniae adversari volentibus, consilia, favores, et auxilia ministrabunt, vel praestabunt, sed eos tanquam hostes terrae et dominiorum Litthuaniae, totis viribus persequentur, et ad nullum alium respectum habebunt, nisi ad nos et ad nostros successores, prout hoc ipsum Barones et nobiles praedicti pro se et suis posteris, per fidei sacramentum, cautionem praestiterunt et fecerunt

vunt. Item Dignitates, Sedes, et officia, prout in Regno Polo
niae instituta sunt, instituentur, et locabuntur, in Vilna scili
cet Palatinus et Castellanus Vilnensis, et demum in Troki et
in alijs locis, ubi nobis videbitur expedire, iuxta nostrae bene
placitum voluntatis, temporibus perpetuis duraturis Et hu
iusmodi Dignitarij non eligantur nisi sint fidei Catholicae
cultores, et subiecti Sanctae Romanae Ecclesiae, Nec etiam ali
qua officia perpetua vt sunt Dignitates Castellanatus &c
nisi Christianae fidei cultoribus conferantur, et ad consilia no
stra admittantur, et eis intersint, dum pro bono publico tractatus
celebrantur, quia saepe dispares cultus diversitatem indu
cunt animorum, et consilia patent talibus divulgata, quae
traduntur secrete observanda. Item omnes quibus huiusmodi
libertates et Privilegia conceduntur, nunquam nos Vladisla
um Regem Poloniae et Alexandrum Vitoldum magnum
Ducem Litthuaniae quoadusq vixerimus, et nostros succes
sores Reges Poloniae et Duces Litthuaniae a nobis et nostris
successoribus statuendos et locandos deserant, vel recedant
ab eisdem, sed sub fidei et honore pariter iuramenti fideli
ter et firmiter nobis et successoribus nostris adhaerebunt,
favoribus, consilijs, et auxilijs, perpetuis temporibus et in aevu
Hoc etiam addito, quod Praedicti Barones et nobiles Litthua
niae post mortem Alexandri alias Vitoldi magni Ducis
moderni nullum habebunt aut eligent pro magno Principe
et domino Litthuaniae nisi quem Rex Poloniae et eius succes
sores cum consilio Praelatorum et Baronum Poloniae et ter
rarum Litthuaniae duxerint eligendum, statuendum, et
locandum. Sic similiter Praelati, Barones, et nobiles Regni
Poloniae, Rege Poloniae sine liberis et successoribus legitti
mis decedente Regem et dominum non debent sibi assu
mere sine scitu et consilio videlicet Alexandri Magni
Ducis, Baronumq et nobilium terrarum Litthuaniae
praedictarum iuxta tenorem et contenta priorum literarum.
Praeterea praedictis libertatibus, Privilegijs et gratijs tan
tummodo illi Barones et nobiles terrae Litthuaniae debent
uti et gaudere, quibus arma et Clinodia nobilium Regni
Poloniae sunt concessa, et cultores Christianae religionis Ro
manae Ecclesiae subiecti, et non Schismatici vel alij infideles

Item

Item omnes terras, quascunq Regno Poloniae et terris Litthua niae ante octo vel septem annos, ac post, vel circa coronatio nem nostram concessimus et dedimus, tenore praesentium confirmamus, ratificamus, approbamus, et robur perpetuum imponimus, easdem, habentes ipsas, praesentibus pro insertis, hoc etiam addito specialiter et expresso, quod praefati Baro nes et nobiles Regni Poloniae et terrarum Litthuaniae, conven tiones et parlamenta, quando necesse fuerit, in Lublin, vel in Parczow, et alias in locis aptis, de consensu et vo luntate nostra celebrabunt, pro commodo et utilitate Regni Poloniae et terrarum Litthuaniae praedictarum meliori. Prae terea nos Alexander alias Vuithaudus de consensu Sere nissimi Principis Domini Vuladislai Regis Poloniae fratris nostri charissimi eligimus ad arma et Clenodia nobilium Regni Poloniae, terrarum nostrarum Litthuaniae nobiles infrascriptos, quos ipsi in Regni Poloniae nobiles simul cum omnibus qui ex eorum stirpe originem suam ducunt, ad fra ternitatis et consanguinitatis consortia receperunt Et primo nobiles Leliwa, Moniwid Palatinum Vilnensem, item Zadora Jawinum Palatinum Troconensem, Rawa Mingel Castella num Vilnensem, Lissy Smigal Castellanum Troconensem, Ja strzambczy seu Lazanki alias Bolisty Nagora vocati Nemir, Trąmby Hosteconem, Topory Butrini, item Labencz alias Skrzinskoy Golygunt, Poraye Nicolaum Bilimin, Dąmbno Corrwam, Odrowansch Vuyssigrod, Warcinicz Petrum Mondi gord, Drya Nicolaum Tawtigerd, Habdanecz Joannē Gastoldi, Abdank Vuolczkorem Culwa, Gryffones Ru towdum, Szreniawa Jawats, Pobodze Galonem, Grzi mala Joannem Rimowidowicz, Zaramba Gouts Contzewicz, Pirzchala Daroxa, Nowina Nicolaum Bovinar, Dzalossa Vuolczkonem Kolutowicz, Copacz Getsowot, Rolya Dan gel, Srzeniawa Jacobum Mingel, Cattus marinus Vuoy snar Vuylkowicz, Powala Georgium Sangaw. Item Pomyany Saka, Doliwa Naczkonem, Scharza Tuurbuts, Dolenga Monstundo, Bogoria Stanislaum Vuyssigin, Jamna Vuoysini Danyeyczowicz, Bychawa Monstoldo, Swinka An dream Dzuwlinctowicz, Holda Minimund Sessnczowicz,

Sulima

Sulima Rodywil, Item Xalancz Woczanum, Lodzia Mikuschs,
Kelitowicz Gerdud, Worczalowicz Czuppam, Biala Vuoydi
lonemKusolowicz, Vuanzik Conczanum Sukowicz, Czolek
Joannem Gunild, Godzamba Stanislaum Kurowtsowicz,
Osmorog aliàs Geralts Surgutis de Kesgelim etc. Quibus
quidem armis, Clenodys et proclamationibus praediti no
biles, Proceres, et Boiary terrarum Litthuaniae ex nunc et
inantea perpetuis temporibus ubilibet gaudeant, potiantur,
prout ipsis praefati nobiles Regni Poloniae uti sunt consue
runt et potiri. Ut autem corroborationis et cautelae uberioris
omnia praemissa accipiant firmitatem, praesentes fecimus si
gillorum nostrorum munimine roborari. Praesentibus et con
sentientibus ac ratum habentibus Reverendis in Christo Pa
tribus dominis Nicolao Gnesnensi Archiepiscopo, Alberto
Cracoviensi, Joanne Vuladislaviensi, Petro Posnaniensi, Jacobo
Plocensi, Nicolao Vilnensi, Joanne electo Leopoliensi Me
tropol., Matthia Premisliensi, Michaele Kiyoviensi, Gre
gorio Vulodimiriensi, Sbigneo Camenecensi electo, Caspario
Episcopis Chelmen. et Ceretten. Ecclesiis vacan. Nec non
Magnificis, validis, et strenuis Cristino Cracoviensi Castelano,
Joanne de Tarnow Cracoviensi, Nicolao de Michalow San
domiriensi, Sandiwogio de Ostrorog Posnaniensi, Matthia
de Vuansosche Calisiensi, Jacobo de Conieczpolye Sira
diensi, Joanne Ligensa Lanciciensi, Matthia de Labischin
Brestensi, Janussio de Koscielecz Juniwladislaviensi Palatinis,
Michaele de Bogumilowicze Sandomiriensi, Joanne de Szcze
koczyny Lublinensi, Dobieslao de Olesnicza Vuoynicziensi,
Floriano de Korytnicza Visliciensi, Cristino de Kozieglowy
Sandeciensi, Martino de Krolikowo Gnesnensi, Cle
mente de Moskorzow Radomiensi, Domarato de Kobylany
Bieczensi, Moscicio de Stalesow Posnaniensi, Janussio
de Tuliszkowo Calisiensi, Martino de Calinowo Siradi
ensi, Petro de Vuloszczowa Dobrinensi, Alberto de Koszczol
Brestensi, Joanne de Larkoschon Lanciciensi, Cristino
Cruswiciensi, Joanne de Lazurdow Zawichostensi, Mar
tino de Lubnicza Bydgostiensi, Stanislao Gamrats Po
laniecensi, Joanne de Bogumilowicze Zieczowiensi, Mat
thia Kots Xaliensi, Grotkone de Janowicze Malogosti
ensi, Iwano de Obichow Sremensi, Janussio Firmian Medz
yrzecensi.

rzierensi Castellanis, Sbigneo de Brzezie Regni Poloniae Mar-
salco, Petro Saffraniecz Succamerario, Martino de Wrorzi-
nowo Vexillifero Cracoviensi, Paulo de Bogumilowicz Craco-
viensi, Nicolao de Strzeltze Sandomiriensi, Nicolao de Czarn-
kow Posnaniensi, Iaca Calisiensi, Andrea de Lubranz
Cuiaviensi, Petro de Wadowa Siradiensi, Nicolao de
Gurzkol Lublinensi, Petro de Thur Lanciciensi Iudici-
bus. Actum in oppido Hrodlo circa flumen Bug in Par-
lamento seu congregatione generali die secunda mensis
Octobris, sub anno Domini millesimo quadringentesimo
tredecimo. Datum per manus Reverendissimi in Christo
Patris Domini Alberti Episcopi Cracoviensis Regni Poloniae
Supremi Cancellarij nobis sincere dilecti. Scriptum vero per
manus Czolkonis Canonici Sandomiriensis Secretarii no-
stri Notarij

Foedere perpetuo atque glutinio inter Poloniae et Litthuaniae Barones saluberrima ordinatione con-
fecto, Vladislaus Poloniae Rex in Litthuaniam, comitante
cum Alexandro Magno Litthuaniae Duce cum Anna Re-
gina, et filia Hedwigi proficiscit. Ingenti autem cruciatus
afflictusque molestia quod terrae suae naturales Samogitiae
non sine suo probro circa gentilitatis in tam diuturno detine-
rentur errore, omnes conatus suos pro illustranda gentis pra-
eclaritate, fidei et religioni Christianae intendebat. Et id sibi
primum agendum existimavit, ut a populis Samogitiae
idolatriae spurcitias depelleret. Assumptis itaque viris
literatis et religiosis zelum Dei habentibus, circa Sancti
Martini festum, Samogitiam navali itinere, destinato ani-
mo exequuturus iter pergit. Et Anna Regina apud Kowno
cum impedimentis relicta, per flumen Nyemyen descen-
dendo, usque ad flumen Dubissa, abinde vero flumen
Dubissa ascendendo ad terram Samogitarum pervenit
Convocatoque utriusque sexus universo Samogitico populo, do-
cet foedum et turpe esse, universis Litthuaniae tam princi-
pibus, et militaribus, quam popularibus, veri et unius Dei
cultum agnoscentibus et tractantibus, Samagittas veteribus
superstitionum erroribus detineri. Aras deinde idolorum
destruit, lucos subvertit, et ad praeceptum Samagitiam nu-

num

men, ignem videlicet, quem sacrosanctum et perpetuum putabant, qui in montis altissimi iugo, super flumen Nyewyasza sito, lignorum assidua appositione a sacrorum sacerdote alebatur, aggrediens, turrim in qua consistebat incendit, et ignem disiecit et extinguit. Succidit deinde per milites suos Polonicos, sylvas, quas non secus quam sanctas et Deorum suorum habitacula Samagittae iuxta illud Poetae Habitarunt Dij quoque sylvas, venerabantur, in eam tali dementia prolapsi, quod et sylvae praefatae, et aves, feraeque in illis consistentes sanctae forent, et quicunque in illas fecisset ingressum, ut sanctum deberet censeri. Nec ergo Samogitarum aliquis in sylvis praefatis ligna audebat concidere, aut alites vel feras venari, violanti enim nemus, feras, vel alites, manus aut pedes daemonum arte curvabantur. Vsu itaque longo ferae et alites apud sylvas praefatas moratae, ad domesticarum instar, humanos neque horrebant neque vitabant conspectus. Maxima itaque barbaros tenebat admiratio, quod Polonorum milites nemus ritu eorum sanctum excidentes, nulla laesio qualem ipsi in se frequentius experti erant, sequeretur. Habebant praeterea in sylvis praefatis focos in familias et domos distinctos, in quibus omnium charorum et familiarium cadavera cum equis sellis et vestimentis potioribus incendebant. Locabant etiam ad focos huiusmodi ex subere facta sedilia, in quibus escas ex pasta in casei modum praeparatas deponebant. Medonem quoque focis infundebant, ea credulitate illusi, quod mortuorum suorum animae, quorum illic combusta fuerant corpora, nocte venirent, escasque se exsatiarent, ac medonem foco infusum et dudum ardoribus absorptum biberent, cum non animas, sed corvos, cornices, caeteraque silvestres aves et feras ex assidua assuefactione escas depositas constabat absumpsisse. Prima insuper mensis Octobris die maxima per Samogitis in sylvis praefatis celebritas agebatur, et ex omni regione universus utriusque sexus conveniens illuc populus, cibos et potum quilibet iuxta suae conditionis qualitatem deferebat. Quibus diebus aliquot epulati, Dijs suis falsis, praecipue Deo lingua eorum appellato

Perkuno

Perkuno id est tonitrui, ad focos quisque suos offerendo
libamina, existimantes celebritate et epulatione illa, et pla
casse Deos, et animas suorum necessariorum iuvasse. Est
autem gens et regio Samogitiae magna ex parte ad geli
dum versa Septentrionem, Prussiae, Lithuaniae, et Livoniae
conterminna, sylvis, montibus et fluminibus circumsepta,
parochiam habens solum, in hos districtus distincta, vi
delicet Gragola, Roszena, Mednicki, Chrosty, Vidukly, Wyge
lunya, Koltsini, Cytra, pro ea tempestate barbara inculta
atque ferox, et in omne facinus audax, procera et alta statu
rae, parco et castigato victu, de pane aut carne contenta,
sitim suam raro medone aut cerevisia, sed communius
unda sedare solita, auri, argenti, ferri, aeris, vini, piperis,
et pulmentorum expers et ignara, apud quam licitum erat
viro uni plures habere uxores, et patre mortuo novercam,
fratre quoque glorem in uxorem accipere. Nullus illi stu
dium aut aedificiorum nobilium, sed tantummodo tugu
rij unius usus, ventrem extensum et porrectum, extre
ma vero habens arctata. Ex ligno et culmo structu
ra largius ab imo sursum obliquis incrementis aedificij in
arctius cogitur, in tecturae maxime similitudinem, elabo
rata. In cacumine fenestra una superne lumen reddens,
sub eaque focus, et cibos parabiles coquens, et frigus
quo regio pro maiori anni parte constricta est, repellens.
In ea domo se, uxores, pignora, servos, ancillas, pecus,
armentum, frumentum et omnem suppellectilem condunt.
nec alia aedificia cenacula palacia promptuaria aut
cameras vel stabula norunt, sed ysdem habitationibus
se et pecus suum atque armenta atque omnia animalia do
mestica includunt. Gens agrestis, fera, et inculta,
et ad ritus prophanos, ad divinationes, ad augu
ria proclivis.

Et quoniam nemo ex viris spiritualibus
qui cum Wladislao Rege Samogitiam adveniebant, lin
guam Samogiticam noverat exprimere, Wladislaus Polo
niae Rex apud populum Samogitiae pro fide et religione
m

ne Orthodoxa suscipienda declamare exorsus est. Et primum
quidem eos Orationem Dominicam, post vero Symbolum docuit
et omnes duodecim fidei articulos in Symbolo contentos, credi
prius, quam ad Baptismum perveniatur, monstravit. Multipli
ci deinde sermone astruxit unum coli oportere Deum, in essen
tia quidem unum, in personis vero trinum, mundi totius beni
gnissimum et conditorem et redemptorem, Samogitas diuturno
cuiusdam errore caecatos, falsos Deos videlicet ignem, fulmen,
Sylvas, aspides, nemora pro vero coluisse, cum haec singula
creata sint irrationabilia, a vero Deo producta, neque salutem
sibi ipsis, quanto minus hominibus rationabilibus praestare va
lentia, hominum etiam potestati pro illorum beneplacito et ar
bitrio subiecta, quod et ipsi in praecipui sui numinis, ignis vi
delicet, quem rebantur perpetuum, extinctione, in lucorum, syl
varum, et nemorum succisione, in ararum et simulacrorum
suorum contritione, oculis perviderant. Haec et plurima alia,
quae viri spirituales Regi suggerebant, Vladislao Rege prae
dicante et concionante, Samogitarum gens et numinum atque
sacrorum suorum delectione, et Regia authoritate atque per
suasione permota, fidem et religionem Christianam suscipere,
et unda Baptismatis se ablui, sordibus idolorum abiectis, con
sentit. Consensumque paucis quidem verbis, sed facetis per
unum natu maiorem ad id delectum pronunciatis edit. Ex
quo, inquiunt, Dij nostri quorum culturam et sacra a maiori
bus acceperamus, a te tuisque militibus Rex Serenissime deleti
sunt, et velut inertes et languidi a Polonorum Deo devicti, Deos
nostros et sacra eorum deserimus, et Deo Polonorum atque tuo ve
lut fortiori adhaeremus. Notabiliores itaque eorum in fide docti,
et de articulis fidei plene instructi, inspectante et procurante
Vladislao Poloniae Rege, et Catholica nomina eis adaptante, ba
ptizantur. Universi autem, qui fidem Christianam et Bapti
sma susceperant, Vladislaus Rex pannos optimos, equos, vesti
menta, pecunias, et alia munera in fidei Sanctae favorem libe
raliter largitus est, ut caeteri ad suscipiendam religionem
Orthodoxam forent promptiores. In districtu autem et loco insigniori
terrae Samogitiae Medniki, Cathedralem Ecclesiam sub honore
et titulo Sanctorum Martyrum, Alexandri, Theodori, Eventij
item in alijs locis Parochiales Ecclesias Vladislaus Rex fun
dat, aedificat, et erigit, et illis in dotem sufficientes reditus et
introitus

introductus consignat, et alteris suis inscribit. Contigit autem, dum
Samagittae praedicti per Magistrum Nicolaum Vuanszik fra-
trum Ordinis praedicatorum praedicatorem Regium instruren-
tur in fide, praefatusque Magister Nicolaus Vuanszik per inter-
pretem praedicando, plura de mundi creatione, et lapsu primi
hominis Adae disseruisset, Samagitarum unus existimans Ma-
gistrum Nicolaum Vuanszik tam diffusum de creatione
mundi pronunciasse sermonem, quasi sub sua aetate et memoria
creatio ipsa ab ipso visa contigisset, sufferre ut sylvanus
et agrestis sermonem praedicantis non valens in haec verba
prorumpit, Mentitur, inquit, Illustrissime Rex, sacerdos iste, asse-
rens mundum creatum esse, cum enim non longaeva existat aetatis
homo, quo pacto poterit creationem mundi suae recordationis
testimonio firmare! Sunt etenim inter nos plures numero cente-
narium annum supergressi, eo aetate provecti, qui creationem
praedictam recordari non possunt, sed sub eisdem motibus et
decursibus semper solem et Lunam caeteraque sydera luxisse. Vla-
dislaus autem Poloniae Rex silere eo iusso, declarabat illi Ma-
gistrum Nicolaum Vuanszik de creatione mundi singula vera
dixisse, neque eum asseruisse, quod creatio ipsa sub diebus suis ac-
cideret, sed quod ante sex millia et sexingentos annos, virtute
et ordinatione provenerit divina, subinferens, quod Deus omni-
potens mirabiliter creavit hominem, et in paradiso voluptatis
homine, quem ad similitudinem suam creaverat, delinquente,
et universae ac posteritati suae mortem et damnationem perpe-
tuam immittente, mirabilius redemit, mittens filium suum ex
purissima virgine natum, et dans nova per illum praecepta mundo.

Conversione Samagitiae gentis sollicito
studio, Rex Poloniae Vladislaus feliciter, prospera divinitate
consumata, ex Samogitia recessurus, sciens intelligensque Sama-
gitas fluxae fidei homines esse, eamque nonnullos eos praecipue
qui fidei et Baptismatis charactere insigniti detruncaverant,
pro deletione falsorum Deorum suorum, et ignis, quem sanctum
et perpetuum putabant extinctione, ingenti amaritudine molestos,
ad reaccendendum ignem perpetuum, propterea quod cineres
loci aliqualem calorem spirabant, clandestinis consiliis et ser-
monibus in hunc modum convenisse, Recedente, inquiunt, Rege,
dummodo

dummodo ex vetusto igne reaccendere focum potuimus, Deum
nostrum intelligemus deleri non potuisse, continuant dies aliquot
in superstitionum loco. Infra quos omnibus militibus ex flumine
Nyewyasza afferri copiosam aquam iussit, et focum locumque ignis
prophani aquarum multitudine usque ad os compleri et inebriari.
Kinszgalonem insuper unum ex Litthuaniae Baronibus, virum
timoratum et devotum Samagithiae Capitaneum et Praefectum
constituens, districte illi imperat, quatenus exquisitam curam
circa Neophitos adhibeat, omni cura et conatu ne ad veteres
superstitiones relabatur, provideribus, Sed nec alijs fidei Sanctae
iugum recusantibus, Dijs suis falsis offerre libamina aut sa
cra, et Caeremonias frequentare permittat. Qui iussa Regis sol
licite exequens, et roborabat Neophitos, et gentiles a supersti
tione veteri cohibebat. Quapropter gens Samagitica sub bre
vi dierum spacio plenarie ad fidem religionemque Catholicam
accedens, Dijs quoque suis falsis manus iniecerit, Sylvas quas
sanctas putaverat, in arborum culturam redegit. His peractis
secedit Vladislaus Rex in Litthuaniam, et pro die Sanctae
Elizabeth in Trokhi perveniens, et terram Litthuaniae solitis
stationibus per curias girans, pro festo Natalis Christi Vil
nam redijt, et festos dies Christi cum Alexandro Duce Ma
gno, Annaque Regina apud Vilnam egit

Epidimia pestis cum universum Polo
niae Regnum Zbisiticam quoque oram gravi morbo vexasset, et
plures mortalium absumpsisset, per propitiationem divinam cir
ca festum Sanctae Hedvigis quievit, cum circa festum Sancti
Joannis Baptistae incepisset

Sub eo autem tempore quo Vladislaus Polo
niae Rex degebat in Litthuania, Commendatores et Cruciferi
Prussiae, Magisterium et regimen Magistri eorum generalis,
Henrici de Plauwen, ob invidiam incertum est, an ob profusas
largitiones et expensas perosi, qui confractam et prostratam
et pene exanguem Rempublicam Ordinis, turmeo animosi ca
strum Marienburg et expost conquisita castra per Vla
dislaum Regem et ~~[illegible]~~ possessa reaquirendo, crexerat,
ab officio deponunt, et in locum suum Michaelem Hochmeister
Novae Marchiae advocatum surrogant, Henricum vero de Plawen
depositum captivant, Depositionis autem et captivitatis suae

Sar

Hac et non alia certissima fuit causa, quod praefatus Henricus Plawenski, a nonnullis Commendatoribus res novas molientibus, et praesertim a praefato Michaele Kochmeister officium Magisterij ambiente, insimulatus est quasi cum Vladislao Poloniae Rege contra Ordinem sentiret, et propterea a praefato Michaele Kochmeister caeterisque Commendatoribus, quasi ad consultandum in cubiculum suum nocte intrantibus captivatur, eademque nocte ne sua captivitas seditionem exciuisset, in Gdansk silenter et clandestine per aquam in navi deducitur a duobus Commendatoribus, et turri carceris in castro Gdanensi includitur. Quod cum Ulricus Commendator Gdanensis frater germanus eiusdem Henrici Plawenski persensisset, captivitatem et ipse similem veritus, ex castro Gdansk eadem nocte cum paucis effugiens, ad Vladislaum Poloniae Regem venit. Apud quem annis septem domestico loco habitus, liberaliterque ac munifice tractatus, fidelem et animosam suam operam in omnibus expeditionibus contra Cruciferos navavit. Henricus vero Plawenski Magister, dum et ipse septem annis carcerales perpessus fuisset molestias, a carcere, eodem Michaele Kochmeister obeunte, et Paulo de Ruzdorff in Magisterium succedente solutus est, et in Oppidum Lochstet de prope Oceanum consistens, detrusus, Ubi medio tantummodo exacto anno propter pressuras quas in Gdanensi carcere pertulerat, diem obijt. Eo quidem laudabilior, quod animum eius tanta crudelitas annis septem in ipsum quasi innocentem ordinem et vicinae proximum de prompta nihil ab ordinis pietate avertisset. Praefatus autem Ulricus Commendator Gdanensis, etsi in principio adventus sui ad Vladislaum Poloniae Regem suspectior fuerit, procedente tamen tempore, actionum probitate et morum, facile se fidum et purum insinuavit tam Regi quam Regno

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS QUARTUS DECIMUS

Quadrimestri

Quadrimestre tempus, videlicet Octobris, Novembris, Decem
bris, et Januarij Vladislaus Poloniae Rex apud Lithuaniam
commoratus, luem Epidemiae cessasse in Polonia intelligens, in
Poloniae Regnum, per Russiae terras, Anna Regina, per Pin
sko, Luczsko, Vladimiriam, Hrubiessow, Chelm, alteram tenen
te viam rediit, et Carnisprivij tempus apud Jedlnam agens,
pro Dominica quoque Laetare Cracoviam veniens, in maiorem Po
loniam ex Cracovia divertit, et Pascha Domini apud Calisz
celebravit. Ex Calisz in Cuiaviae oram proveniens conventum
apud Slunsko cum Michaele Koczmeister novo Prussiae
Magistro tenuit. In quo damnorum, quae pace perpetua con
fecta, Regno Poloniae fuere ex Prussia illata, refusione tentata
magis quam obtenta, irritatis animis discessum est. Vladi
slao autem Rege apud Cuiaviensem regionem demoranti,
Henricus de Plawen vetus Prussiae Magister ex Lochstin in
Drzigon seu Coprzywno translatus, clandestinis Nuntijs
ad Vladislaum Regem destinatis, supplicat ei, quatenus
liceret sibi in suam transfugere Regiam, et sub protectione sua
et praesidio in illa immorari, offerens se omnem assistentiam
et operam contra Magistrum et Ordinem Cruciferorum,
enixius navaturum. Quod cum Vladislaus Poloniae Rex
misso ad eum Janussio Stembarski milite, annuisset, et il
lum ad se in Raczansz transfugere iussisset, ipse quoque po
stridie fugam ex Coprzywno maturaturus foret, Vladislaus
Poloniae Rex ex Slunsko revertens, arcanum fugae huiusmodi,
a paucis Consiliarijs scitum et liberiori ingenio quam occulen
da acceperat, Joanni Cropidlo Duci Opoliensi et Episcopo Vla
dislaviensi secum in Raczansz praesenti detexit parum sen
sate et incaute. Qui eodem momento velocissimo nuntio in
Thorun ad Commendatorem transmisso, Magistrum Prussiae
Michaelem Koczmeister et Thoruniensem Commendato
rem de fuga Henrici de Plawen avisat. Quapropter fuga
eius illico interrupta est, et ipse Henricus de Plawen captus
et in loca remotiora perlatus, longo tempore captivitatis a
cerba molestias, maximum rerum Regis et Regni Poloniae
adiumentum, si evasisset, et Rex eius fugam libero sustinuis
set futurus. Percitum enim ira in Ordinem, quem rursum
ab

ab exterminio vindicaverat, spes erat accessione sua rebus Polonicis illum quam maxime profuturum.

Causam deinde suam Vladislaus Poloniae Rex cum Cruciferis et Ordine, iuris decisione potius quam armis experiturus, Lyaszkarium de Goszlawicze Vladislaviensem Praepositum, Magistrum Paulum Vladimiri Decretorum Doctorem, Custodem Cracoviensem, Magistrum Petrum de Wolfram licentiatum in Decretis, et Zawissium, Magistrum de Garbow militem ad continuandum processum litis et causae contra Cruciferos coram Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege et suis Consiliariis coeptum, et ad petendum ferri ex productis sententiam, quam Vladislaus Poloniae Rex et sui Consiliarii parti suae plurimum arbitrabantur profuturam, Budam sumptibus regalibus abunde provisos transmittit. Qui cum Budam in conductu Palatini advenissent, et coram Joanne Strigoniensi Archiepiscopo aliisque Ungariae Baronibus ad tractandam causam deputatis, iuribus evidentissimis causam fulcivissent, Cruciferis pro suo interesse etiam illic praesentibus, et facta sua magis auro et precio quam iustitia prosequentibus, Joannes Archiepiscopus Strigoniensis, ceteris suis Collegis probantibus, ad sententiae prolationem, non quidem secundum suum et suorum collegarum sensum, prudentiam et ingenium, neque testimonium evidens productorum, sed iuxta Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis instructionem et mandatum processit, et illam in scriptis proferens, Vladislaum Poloniae Regem maxima spe exultantem fefellit. Erat enim sententia huiusmodi, non ut Poloni et Rex eorum autumabat crassa, sed sterilis et truncata, non aliud continens, quam ut Poloniae Rex Vladislaus foedus pacis perpetuae cum Magistro et Ordine in Borra ictum, in suis singulis conditionibus observet, et per neglectum solutionis centum millium sexagenarum latorum grossorum, quadraginta sexagenarum latorum grossorum millia, ad quae eiusdem verbo Sigismundi pars Cruciferorum condemnata fuerat, accepit

Sententia

Sententia parum iusta, parumque grata Nuntij
Regij apud Budam obtenta, in Poloniam ad Vladislaum Regem
reversi, qualificationem sententiae, multis fatigis et sumptibus
quesitae declarant. Et licet sententia huiusmodi Vladislao
Regi et suis Consiliarijs fuerit plurimum gravis, et molesta,
induxerat tamen Rex cum Consiliarijs stare illi, et pacem per
petuam cum Magistro et Ordine observare, nisi Cruciferi per
substitutionem novi Magistri Michaelis Kochmeister no
va spe agitati et in solitam pompam relapsi, ad inferendum
intolerandas Regi et Regno iniurias prorupissent. Merca
tores siquidem regios Posnanienses cives, in Gdansk cum
notabilibus mercibus de pace perpetua confisos advenientes,
dum redirent, singulis quae ferebant spoliatos miserabiliter
nec uno quidem reservato interimunt. Et quo furor eorum
foret testatior, canes enecatos funeribus humanis superponunt.
Plures numero Regni Poloniae militares eis confinantes ex qua
cunque occasione, iustitia non petita in domibus captos, et sup
plicijs excruciatos, in portis civitatum et habitationum eorum
suspendunt. Frequenti exercitu cum signis extensis et in
festis terram Dobrinensem invadunt, quam dum urere
coepissent, subito quodam pavore consternati, quod Poloniae
Rex propediem illos invasurus esset, in fugam delapsi retro
cedunt. Dum autem aperta hostilitas eorum furori parum
responderet, in clandestinam versi, homines utriusque sexus
multifario precio corruptos ad urbes oppida et villas in
Regno Poloniae incendendas submittunt, ex quo multarum
civitatum, oppidorum, et villarum conflagratio, proficientibus
incendij autoribus in plerisque locis comprehensis, se a Cruci
feris ad id facinus conductos esse, sequuta est. Et licet Vla
dislaus Poloniae Rex crebris nuncijs et literis Magistrum
et Ordinem ut damna refunderent, et iniurias tempera
rent, et pacem perpetuam arctiori custodia servarent
requisisset, sed Magistro et Cruciferis requisitiones iustas
Regis in ludibrium vertentibus, intellexit Rex pompam
Cruciferorum iterum fore virtute Dei necessario conteren
dam. Quapropter communicato Praelatorum et Baro
num suorum consilio, expeditionem in Cruciferos instituit,

ex

ex omnibus vijs terrarum suarum, Exercitum in Vuolborz die Dominico post festum Visitationis Sanctae Mariae conuenire praecipiens, Alexandrum etiam Vuithowdum Magnum Litthuaniae Ducem solatia sibi cum potentijs terrarum Litthuanicarum in id bellum laturum accersit. Sed et nonnullorum Silesiae Ducis et milites forenses in suum suffragium mercede et donatiuo conduxit

Ex Raczansz Vuladislaus Poloniae Rex digressus, per Iuniuladislauiam, Znino, Gneznam, Pobiedzisko, in Posnaniam pro diebus Penthecostes peruenit. Quo illic agente, Petrus Visz de Radolina, Posnaniensis et olim Cracouiensis Episcopus, in Curia Ecclesiae Posnaniensis Banszim feria quinta post festum Penthecostes, quae fuit dies vicesima sexta mensis Junij moritur, et in Posnaniensi Ecclesia multo honore tumulatur. Capitulum autem Posnaniense electionem de futuro pastore acturum, Vuladislaum Regem precibus conuenit, vt et praesens electioni adsit, et eligentibus eligendi libertatem non adimat, iustam et Canonicam electionem non secundum carnem et sanguinem, sed secundum Spiritum de persona meliori expetens. Qui benigna modestia in vtrumque annuente, solus et vnicus in electionis die Capitulum ingressus, Caesarium venerandam mitra deposita nudans, Praelatos et Canonicos Posnanienses ad eligendum congregatos rogat, quatenus vnam ex quatuor personis videlicet aut Alexandrum Mazouiae Ducem nepotem suum ex sorore, aut dominum Praepositum Sancti Floriani extra muros Cracouiensis, Regni Poloniae Vicecancellarium, aut Lyascharium de Goslawicze Decanum Cracouiensem, aut Joannem Pella de Nyewiesz Praepositum Crusuiciensem per Canonicam electionem in Episcopum Posnaniensem substituant. Praelati itaque et Canonici Posnanienses collocatione inter se de personis quatuor a Rege nominatis habita, conditionibus, virtutibus, et meritis eorum diligenti examine infra vnius horae spatium digestis, et recensitis, Lyascharium de Goslawicze Decanum Cracouiensem nobilem de domo Godziemba, in Vngaria causam Regni contra

tra

tra Cruciferos tractantem Rege Vladislao inter eos praesente,
concorditer nullo discrepante, quod et virtute religioneque caeteris emi-
neret, et Ecclesiae Posnaniensis Canonicus foret, eligunt, et cum Vla-
dislao Rege locum Capitularem egressi, Electionem Clero et populo
pronunciant, et publicant. Vladislao Poloniae Regi eis singulares
habent gratias, quod precibus suis gerendo morem, praefatum Lya-
scharium Decanum Cracoviensem in suum Episcopum elegissent. E ve-
stigio autem Vladislaus Rex Lyascharo Electo, electionem de
eo factam celeri significat versus Budam nuncio, qua audita vir
Dei vehementer expavit, et non in iocunditatem aut risum, sed in la-
chrimas et lamenta conversus, diu Electioni de se factae consen-
sum praestare renitebatur. Vix tandem Regiis et necessariorum
persuasionibus expugnatus, dedit consensum, multiplices enim expost
ut absolvi posset impenderat conatus, in religionem beati Benedicti
si absolvi obtinuisset migraturus. Martino tamen papa quinto vir-
tutis illius et merita ad plenum, dum in Concilio Constantiensi simul
una agerent, dignoscente, votis potiri nequivit. Electus est itaque ad
Posnaniensem Ecclesiam vir iudicio humano ex omnibus optimus,
nihil sanguis, nihil opes, caeteris a Vladislao Rege nominatis pro-
derant, omne suffragium de virtute oriebatur, nec iudicio sano fa-
vor, aut interesse officere poterant. Sancta et felix electio, quae
utinam per omnes regiones et aetates continuaretur, atque malis peio-
res, et prioribus pessimi succedentes, orbem terrarum tradita per
manus iniquitia et superbia non corripuissent. Erubescant igitur
et valde pertimescant, qui aedificant Sion in sanguinibus, qui
non per ostium, sed per absconsita ac furtiva ostiola et ipsi intro-
eunt, et nepotulos ac indignos introducunt in Ecclesiasticos hono-
res, quamvis non sic censet authoritas Canonum, sed saluti
omnium providendum est de bono pastore; transfretantibus de bo-
no gubernatore et experto, et saluti plebium, quae sunt in vinea
domini de optimo doctore, pestilentiam etenim, famem, concussiones
gentium, collisiones Regnorum, et quamplurima adversa terris
provenire, ex eo, quod honores Ecclesiastici ad precium et humanam
gratiam personis immeritis conferuntur

Posnania relicta Vladislaus Poloniae Rex
in Buk veniens, festum Corporis Christi illic egit, Quo cum Hen-
ricus de Plauen, Magistri olim Prussiae Henrici de Plauen nuper
ab officio depositi germanus, Marsalcatu et ipse Prussiae, quem

frater

fratre principanti tenuerat, exutus, ad suam Excellentiam, Prus
siam et Cruciferos effugiens, devenisset, et se in suis necessitatibus
et exilij articulo a Rege in familiarem et Curiensem suscipi su
mmillime flagitasset, Vladislaus Rex comiter eo excepto, et optime
de se sperare iusso, illum suis familiaribus et Curiensibus annu
meraverat, et annis multis illum in curia sua largitionibus li
beralibus tractatum, et provisum tenuit. Cuius etiam fideli in Cru
ciferorum exterminium, in futuris expeditionibus, frequentius Vla
dislaus Rex opera usus est. Ex Bnh Vladislaus Rex in
Kostin, et a Slesiae Ducibus Conrado Seniore Olesnicensi, Ven
ceslao Leganensi adventum suum in Kostin operientibus, et
quasdam iniurias terris suis ex Regno Poloniae datas rescindi
petentibus rogatus, certos Barones facturos iustitiam, et depra
vata correcturos deputavit. Ex Kostin per Srzem, Szroda, Pyzdry,
Slupcza, transiens, die Dominico post festum visitationis Sanctae
Mariae pervenit in Vuolborz, quo iam totius Regni Poloniae
exercituum copiae, contra Prussiam profecturae convenerant.

Movens itaque Vladislaus Poloniae Rex
ex Vuolborsz castra, iisdem pene stativis, quibus in praeliu(m)
magnum itum fuit, utebatur. Circa Zakroczim autem ad Visla
fluvium perveniens, ab Alexandro Vuitoldo Duce magno
Litthuaniae cum potentiis suis Litthuanicis, Ruthenicis, et Tar
taricis ultra iam consistenti, in die Sancti Alexij exceptus est.
Et licet pons navalis ad superandum Visla fuerit ordinatus
et extructus, agitati tamen illa largissimas fundenti pluvias,
flumine inflato, et ripas excedenti, pons propter aquam excre
scentem nullatenus infra dies octo, donec aquae refluerent
in ripas, poterat explicari, infra quos cogebatur exercitus
universus in terris Masoviae subsistere. Visla tandem supe
rato, quartis stativis ad terras hostilis perventum est, et
exercitus ordinatis fuere castra. Erat autem adeo fortis et
numerosus exercitus, qualem neque superioribus expeditioni
bus, neque post habitus, Regem constat habuisse, ut nulla ex
taret campi planities in quo ad integrum posset suis stativis
comprehendi. Praeter gentes enim Regias quae de universo
regno suo in apparatu et numero frequenti convenerant,
item praeter gentes Alexandri Vuitoldi Ducis Magni Lit
thuaniae

tHuaniae, aliquot Tartarorum millia altra gentis proprias se cum habentis, item praeter Duces Masoviae Semovitum, Janussium, et Boleslaum, eorumque gentis eorum, Duces Slesiae infrascripti Bernardus Opoliensis, Janussius Ratiboriensis, Boleslaus Teschinensis, Conradus Kantsner, Olsniensis, Venceslaus Zaganensis Joannes Lubinensis, Conradus albus Cosliensis, Venceslaus Oppaviensis, in solatium cum frequenti et insigni pompa militum advenerant. Item Larzek de Crawar Capitaneus Moraviae notabilem Banderium de gentibus expeditis et exercitatis transmiserat. Conduxerat praeterea Vladislaus Rex magnum ex Bohemis et Slesitis mercenariorum militum numerum tamque ingentis copias pro ea tempestate habent, ut pro vastanda magna parte orbis sufficerent. Aderant Magistri et Cruciferorum Nuntij dum exercitus Regij ordinatio fieret, et summa diligentia omnia quae in Regio exercitu fiebant, Regi permittente summa cura notabant. Legationis eorum non alia series erat, desisteret Rex a bello, arma deponeret, Magistrum et Cruciferos in Vulhelmum Misnensem Marchionem super omnibus quaestionibus plenarie compromissuros. Verum dum evidenter appareret Magistrum et Cruciferos legatione ipsa Regem a prosequutione castrae expeditionis in dolo avocari, redire absque omni pace ipsi jussi sunt. Et si pacem sincero corde vellent, alias qualificationes aliasque conditiones ad pacem afferrent, per quas appareret illos sincere de pace agere, et quia bellum non moluerint.

Ordinato exercitu intrauit Vladislaus Poloniae Rex terras hostilis, et Oppido Nieberg primum conquisito, castrum etiam ei supereminens circumvallat, quod tandem octavo die conquirit, Oportuna plurimum Regi et universo suo exercitui conquisitio, quatenus libera esset ad conducendum, ne tantus exercitus fame contabesceret, commeatibus negociatoribus via. Ex Nieborg Rex progressus venit in Lourstein, et illico civitas et castrum Regi dedita sunt, abinde in Hallstein civitatem et castrum Capituli Vuarmiensis pervenitum, quod quamvis aliquantum Regi restitisset, potentia tamen exercitus expugnatum, et civitas militi in praedam data, de qua universus Regius exercitus spolia sumens cursus suos omni

num

num victualium abundantia impleverat. Et quia habebatur
pro comperto, Cruciferos exercitum regium, quem armis despe
raverant, fame se vincere et debellare posse, singulas fere pi
strinas et molendina, in his praesertim locis, per quae exerci
tum rebantur transiturum, per incendia, ut regius exercitus
farinae inopia laboraret, destruxisse. Quinq; diebus circa Halsten
infra quos in molendinis ostiis supra flumen Halla disposi
tis, exercitus Regius Rege mandante de farina provisio
nem fecit, statim habita sunt Castro Halsten in regimen Der
slai de Wlostowicze militis commendato, ad oppidum mura
tum Butestat, Ecclesiam Collegiatam sumptuoso opere fabrica
tam, et Canonicos saeculares in communi viventes habentem, per
venit, quod ante adventum Regis dudum erat per gentes Re
gias, exercitum regium praecedentes, conquisitum spoliatum
et exustum, sola Ecclesia Collegiata et domo una Canonicorum
remanente, quae tandem aegre ab igne defensa est. Ex Bu
testat prope Oppidum Holsberg Warmiensis Episcopi stati
va pro die Assumptionis Sanctae Mariae habita, et dum non
nulli servitores et agrestes homines de regio exercitu dica
tam dominae nostrae Assumptioni diem parum honorando,
versus Holsberg, missu Regis et suorum Capitaneorum
pro quaerendis spoliis discurrissent, gentes quae Oppidum
Holsberg observabant, paucitate eorum conspecta in eos ir
ruunt, et paucis fuga elapsis captivos occidunt, occisis om
quoq; contumelias addunt, virilibus enim apud occisorum
cadavera amputatis ea in ora eorum deponunt. In crasti
no Assumptionis Sanctae Mariae castrum Holsberg admo
to exercitu obsidere coepit, Cognito autem ab exploratoribus
mercenarios Cruciferorum milites Bohemos, in quingento
rum equorum comitiva, in curia Crucifera prope Holsberg
noctu castra Regia lacessituros se abduxisse, tria gentium
suarum Banderia ad invadendum illos mittit, Qui perven
tum cui adjacentes fuissent odorati, in loca munita ex quibus
prodierant aufugiunt, et cum pluribus aliis Cruciferorum
militibus qui illis laturi solatia veniebant, priusquam ma
nus cum Polonis consererent, per diversa lapsi, regionem quam tutan
dam susceperant, direptioni et igni derelinquunt

Supplicationibus

Supplicationibus Joannis Varmiensis Episcopi, Vla-
dislaus Poloniae Rex, in fide Sigismundi Regis, bello superiori, quo clade
magna Crucifer domitus est, manens, Episcopatu relicto, Poloniam
cum Rege venerat, placatus et permotus obsidionem castri sui
Helsberg solvit, et castra in ulteriora promovens, ad oppidum Creuz-
borg a gentibus suis longe lateque Prussiam pervagantibus, ante
dies aliquot expugnatum, direptum, et exustum, pervenit. Quo illic
tenente statiua, Joannes Valrod Rigensis Archiepiscopus cum tri-
bus Commendatoribus de Ordine, pro pace petenda et tractanda
advenit. Et quamvis Vladislaus Poloniae Rex datis pro parte
sua pacis tractatoribus, pacem se non abnuiturum obtulisset, Cru-
ciferis tamen nullas aequas conditiones afferentibus, et magnam
spem sibi pollicentibus, quod Regius exercitus fame excruciatus,
bellum foret relicturus, re infecta discessum est. Contendebat sum-
mo studio Alexander Vitoldus Dux Magnus Litthuaniae pro-
pter loci propinquitatem ex his statiuis Litthuaniam reverti, sed
omnibus Regni Poloniae Baronibus, signanter tamen Sandivogio
de Ostrorog Palatino Posnaniensi et Maioris Poloniae Capitaneo
fortiter et constanter reditum suum improbantibus, et se Regem su-
um Vladislaum equis absumptis pedestri itinere secuturos as-
severantibus, reversionis propositum, non sine tamen animi sui acer-
bitate deposuit. Et licet a statiuis in Creuzborg Sabbato divertis-
set Vladislaus Rex versus Hinsberg in terras inferiores, Ale-
xandro Vitoldo Duci Magno Litthuaniae, et suis precibus
omnem oram Prutenorum, terris suis confinantium, uri, vastari,
et exterminari anhelantis, morem gesturus, propter tamen as-
siduorum imbrium descensum, exercitus in terras illas, suapte
ex pelagi propinquitate aquosas, et quotidiana insuper pluvia com-
pletas, nullatenus poterat solo ex lubricitate deserente traduci.
Ex Creuzborg itaque Rex versus fluvium Passariam divertit,
quem pontibus extractis traiiciens biduum absumit. Post haec in
Holandt perveniens, castrum et civitatem obsidere coepit. Non-
nullis autem Litthuanis militibus inter hortos et pomeria pa-
rum sensati ad spolia intentis, hostium stipendiarii facto ex ca-
stro descensu Butum de Dermino Alexandri Vitoldi Curiae
Marsalcum, item Michitsam et nonnullos Litthuanos
captivant. Descenderant autem multae gentes equestres Ordinis
de Regis exercitu ad occupandum praedas et spolia versus
mare, et usque ad civitatem Framburg supra lacum Hab, sitam

et

et Cathedralem Ecclesiam Zambiensem habentem, grassata,
magnis praedis et spolijs nullo impediente conquisitis, cum ma
ximis pecorum et pecudum gregibus, cum quadrigis vino et
suppellectili varia onustis, in stativa apud Holants habita revertitur.

Castri Holants obsidione, quod in dies plu
res extrahenda praesumebatur, ommissa, Vladislaus Rex
motis castris prope oppidum Elbiang gentibus de suo exercitu
terram hostilem iussu Regis in gyrum ad plura milliaria spo
lio et incendijs devastantibus, stativa tenuit. Ex quibus in vi
gilia Nativitatis Sanctae Mariae in Dzirgon castrum perve
niens, et castrum diffugientibus ex illo Cruciferorum praesi
dio, vacuum offendens, etiam diem Sanctae Mariae illic absum
psit. In crastino nativitatis Sanctae Mariae castro Dzirgon primu
evacuato, deinde incenso, quod ab eo tempore nunquam potuerat
instaurari, ad castrum Resszumborh alio nomine Prabuths ap
plicat. Quod licet ante dies sex Sigismundus Korybuth Dux
Lithuaniae cum gentibus Regijs conquisivisset, et plurimis spo
lijs in eo repertis potitus invenisset, Rege tamen cum exercitu
ad illud veniente, exercitus Regius plurima victualium
bona in vino, medone, cerevisia, et carne, caeterisque rebus repe
riens, quadrigas suas illius spolijs implerunt.

Ex Resszumborg ad oppidum Bischofswerder situ
et muro munitum perventum est, quod Regius exercitus al
tera die impugnans conquirit, et praeter spem multam nobi
lem in auro, argento, pannis, et equis illic reperiens sup
pellectilem, plurimum se ex illius praeda locupletatum laeta
batur. Statuerat autem diffinito consilio ex Bischofswerder ver
sus Cholm et Thorun producere exercitum, et oppidum utrumque
obsidione, pro comperto habens oppida ipsa nulla resistentia mon
strata, deditionem extemplo factura, vallare, verum Cruciferi
quibus et deliberatio Regia nescio quo ex Consiliarijs Regijs
illam prodente, et civium Cholmensium atque Thorunensium
matura ad dedendum urbes suas voluntas innotuerat, frau
dibus et dolis utendum rati, a proposito saluberrimo et uti
liter destinato, Regem, in Brodnicza expugnanda curam ab
eo quod Rex moliebatur, avertere, et in obsidione oppidi Bro
dnicza quaslibet obsidionis molestias, quod et situ atque forti mili
tum praesidio et sufficientibus victualibus tuta et provisa foret,
in dies plures tolerare valentis, pertracturi, tabellarium pannosum
et

et agrestem, per itinera a speculatoribus Regijs observata, invadere et capi posset iussum, cum literis Brodnicensis Commendatoris, Magistro Prussiae titulatis, transmittunt. Significabatur autem literis a Commendatore Brodnicensi Magistro in dolo, oppidum Brodnicza, ad cuius obsidionem Regem intellexerat militibus quoque Regijs praesidium agebant ad se versus Brodnicza descendere iussis, venturum, nullis victualibus, bombardis, seu nec militibus fulcitum esse. Curaret itaq nocte insequenti et gentes et bombardas atq victualia celerrime mittere, secus agendo certus foret civitatem ultro in potestatem Regis per deditionem perventuram. Captas itaq Cruciferorum Nuntius literas apud Illum repertis, consultissimam Regis deliberationem damnavit, qui scripturam depraehensam veram non dolosam ratus, nocte insequenti septem Banderia gentium suarū ad obsidendum Brodnicense oppidum, et ad prohibendum ne quicquam ad illud importari posset transmisit, ipse cum agmine reliquo falsis literis ludificatus, in die exaltationis Sanctae Crucis perveniens, dedi sibi oppidum, altero aut tertio die expectabat. Cum autem usq in diem septimum vanae spei nullus respondisset effectus, Alexander Vitoldus Magnus Lithuaniae Dux, dudum ad redeundum proclivis, a Rege et Consiliarijs nequicquam, ut se contineret, rogatus, et persuasus, per Masoviam, itinere altero, o occurrere sibi hostes veritus, in Lithuaniam discedit. Qua discessio inter Regem et eum ad clandestinas simultates et odia processerat, offensioq externa animorum inter Regem et Ducem sequuta est, magis officium benevolentiae minuens, quam apertas simultates introducens. Quam tamen Vitoldus Dux in ipso mox ortu molestè ferens, curarunt extinguere, missisq Nuncijs et muneribus insignibus animum Regis offensum placare et quietare studuit

Prussiae Magister Michael discessu Alixandri Vitoldi nova et maxima spe lactatus, militibus ex praesidijs deductis, cum Poloniae Rege Vladislao, potentiam cuius languidatam discessione Alexandri ratus, quam primū decernere statuit, et exercitum congregans versus Brodniczam ire pergit. Quo novo ad Regem perlato, et Rex et universus eius exercitus singulari iocunditate et exultatione impletus est, sperans se quod dudum votis expetebat cum hoste signa collaturum. Ordinatis itaq aciebus in hostium suorum properabat occursum. Verum Magister et Cruciferi a

speculatoribus

speculatoribus suis docti, Regis exercitum nihil de suo robore, Vitoldo Duce Lithuaniae discedente mutasse, et a solis stipendiarijs Regijs suas copias obterendas fore, trepidatione ingenti concepta, ex campo dilapsi, militis in praesidia solita, nullo pacto pugnae discrimini se commissuri, remittunt. Militibus post haec Regijs in varia castrorum et oppidorum hostilium loca, quibus hostilia consistere praesidia noverant, grassantibus, et frequentes particulares pugnas de hostibus referentibus, contigit Dobeslaum Puchalam de Vuagry, Kazimir, et Joannem Lion, ceterosque milites circa Molendinum Luberz agere praedas et excursiones. Quos agmen hostile invadens, durissimeque et constanter dimicans, victoriae bravium ex sua multitudine et Polonorum paucitate sibi promittebat. Divinitate tamen propitia succumbens in Polonorum manus devenit, sexaginta capti, ducenti multis effugientibus desiderati, Regi ad tabulam cum Principum et Baronum multitudine considenti, omnes sexaginta captivi a vertice usque ad pedis plantam ferro vestiti, fuere oblati, quo invidorum in Regis exercitu mercenariorum militum, latrones et agrestes non militares homines in superioribus praelijs particularibus captos fuisse commentabantur, calumniae enervatae et contritae sunt. Obsidebatur interea Brodnicensis civitas, nulla tamen deditionis spes ex literis interceptis concepta respondebat. Et quamvis obsidionem ipsam omittendam plurimorum sensatorum virorum sententia censuisset, Rex tamen cunctatione sua, et nondum a spe deditionis excidens, in tempus longius illam extraxit, commoditatesque suas neglectum iri, et tanti roboris exercitus elanguescere permisit. Ita unius urbis obsidione diuturna, totius terrae Prutheniae exitialis desolatio aversa est; et brevi damno compendioseque vastitas, tam potentis exercitus virtus elusa.

Obsidioni Oppidi Brodnicensis in mensem integrum, quamvis pro illius conquisitione varij fuissent adhibiti conatus, extracta, intellexit Vladislaus Poloniae Rex se tum primum literis interceptis et dolis Cruciferorum ludificatum esse, non tamen a cura obsidionis animum remisit. Serpsit et aliud in castra sua ex mora diuturna in loco uno malum, omnium siquidem victualium, carnis praecipue, exercitus suus Regius habens abundantiam, panis angustate et penuria nimia angebatur, ex quo Dyssenteria pestis coorta plures mortales

mortales aut extenuavit, aut extinxit, a defectu quoque panis, brevi tempore intervenerunt; expeditio praefata famelica a Polonis appellatur. Pestilens quoque morbus sanguinis profluvio coniectus, et a penuria panis excitatus, universa castra Regis pervastarat. Ea re non secus hostes, quam victoria laetabantur, rati in suam defensionem id permisisse Superos, Regiumque exercitum solo panis defectu prementes, mature per se periturum, nihil enim quod gereretur in Regio exercitu non nesciebant. Ex Dyssenteria pane deficiente in corpora militum grassari coepit et contagium morbi in plures vulgatur, omnium denique commeatuum inopia in castris Regijs multitudine abundante succrescebat. Ex quo et Regi et exercitui suo ingens amplissimae gloriae et speratae victoriae continuo decidit expectatio, quia non armis, non acie, non congressu, cum hostis intra moenia se continente, et illa tantum modo tueri contente, decertare poterat, sed in ventrem et in corpora omnium illa belli moles conversa, duplicata lues, tam pulcherrimum et validum exercitum assidue quatiebat. Venit interea Nuntius Apostolicus Joannes Lausanensis Episcopus, ad multiplices preces et instantias Cruciferorum, et in eorum expensis, a Joanne Papa vicesimo tertio ad Guerram interimendam destinatus. Qui impugnari castrum et civitatem universali exercitus commotione, dum quo venerat intelligens, in conspectu Regis et Consiliariorum procumbens, ingenti sollicitudine atque prece Civitati et Castro expugnationem remittere, pro Dei honore et Sedis Apostolicae reverentia deprecabatur, obsecrans Regem ut armis depositis, et bello per Treugam in biennium suspenso, causam suam per Concilium generale Constantiense iam indictum decidi permittat, expeditam iustitiam ex administratione concilij percepturus. Legatione Nuncij Apostolici ad frequens consilium relata, petitio et persuasio Summi Pontificis, quod et hyemis asperitas, et morbus Dyssenteriae in Regium exercitum vulgatus foret, accepta est, et Treuga in annos duos firmata, accepturum se Rex Concilij Constantiensis decisionem, eique stare se Rex promisit. Atque in huiusmodi Concilium Constantiense in Calendis Novembris inchoandum, Nicolaum Gnesnensem Archiepiscopum, Joannem Wladislaviensem, Jacobum Plocensem, Lyascharium Electum Posnaniensem Episcopos, Janussium de Tuliszkowo Castellanum Calisiensem, Zawissium Nigrum de Garbow

Garbow militis, pro suis factis procurandis, et Ambasiata
solemni ituros designavit. Prefatus siquidem Joannes Episcopus
Cracoviensis in suo tractatu cum Sigismundo Romanorum et Ungariae
Regi personaliter apud Laudam, ubi ipse Sigismundus Rex
pro recuperando a Venetis Dalmatiae Regno, instaurabat bella,
agens convenerat, pro Schismatis quod Ecclesiam Dei annis
quadraginta vexaverat extinctione, Concilium in Constantiensi
civitate generale agi solemniter indixerat. Astringendo se per
iusiurandum ad illud quolibet impedimento non obstante
personaliter venturos. Conquisiverat autem Sigismundus Rex
et in foro Julii et in Dalmatiae Regno manu forti plures civita
tes, in quibus etsi praesidia militum suorum reliquerat, omnes
tamen eo discedente per Venetorum gentes fuere expu
gnatae et recuperatae.

Treugis ob Dei reverentiam per medi
um Nuntii Apostolici Episcopi Lausanensis, in biennium Vla
dislaus Poloniae Rex firmatis, sexta die Octobris Braunsbergen
sis civitatis, quae iam per aliquot menses laborat, obsidionem
solvens, ex agro hostili discedit. Et primum nocturnum in
Rissin agens, omnem exercitum licentiat, qui apud Dominow
ponte navali Vistula superato, in suarum regionum oras redire
coepit. Rex per Przepusti, Cowale, Rostinin, Lowicz, Squirnodiesz,
Sunowlocz, Opoczno, Skrzyn, Wyszoborzów, Calvum montem,
Opatow, Anna Regina in Opatow illum excipiente, pro festo Omni
um Sanctorum Sendomiriam advenit, ex Sendomiria per Trzesow,
Pilsno, Biecz, Tuchow, Bochniam procedens quarta decima
Novembris in Nepolomicze divertit. Occurrerat autem
Vladislao Poloniae Regi in Biecz agenti Nicolaus Gnesnensis
Archiepiscopus, et singularibus mandatis et instructionibus,
quid et quo ordine, qualiterque illum et suos collegas in Concilio
Constantiensi agere in Ecclesiae universalis et Regni Polo
niae rebus oporteat, acceptis, pluribus insuper donis et Cleno
diis in auro, argento, scyphis, vestibus, equis muneratus in
Constantiam processit, quem et alii Pontifices atque Barones ad
obeundam Ambasiatam Regis et Regni nominati, Rege apud
Nepolomicze valedicto, extemplo fuere sequuti. Pro unienda
siquidem et reformanda Ecclesia Dei, quadraginta annis et
amplius scissa, variisque et execrandis abusibus, Schismate vigen
te.

te deformata, Concilium praedictum Constantiense propter divini
tate in tam magnifico et frequenti Praelatorum numero erat con
gregatum, ut gloriosius Synodus, cum ingenti solennitate initiata,
et continuata, a multis saeculis non memoretur acta esse. In qua
et hoc stupendum memoratur, quod pro unienda et reformanda
Ecclesia Dei, certatim singuli suos conatus et studia passione qua
libet circumscripta alacriter et fidelissime conferrent, quod cum in
tendebatur. Sigismundus autem Romanorum et Ungariae Rex
praesentia sua illud et hortatibus et auctoritate, in comitiva no
tabili et apparatu magnifico Principum, Baronum, et Praelato
rum tam Ecclesiasticorum et saecularium ex Ungaria in Rheni
et Germaniae partes descendens, in Aquisgranum venit. Ubi prima
corona Imperiali a Maguntinensi Archiepiscopo cum summo
omnium Principum Almaniae favore accepta, in Constantiam
divertit, et pro unienda Ecclesia Dei indefesso studio laboravit
usque ad plenariam illius consummationem.

Nuntiis in Constantiensem Synodum
iteribus expeditis et provisis, proficit Wladislaus Rex ex Neo
polomicze per stationes solitas in Litthuaniam, et apud Grodno
natalis Christi diem exegit. Vehementer autem Alexandro Vi
toldo Magno Litthuaniae Duci, quod ex Brodnicza Rege
nequicquam advertente, discesserat, infensus, contubernium
suum devitans, nunquam illi pariter loquebatur, in eaque indigna
tione perseverans ex Litthuania discessit. Consiliarii autem Po
loniae eorum discordias sanaturi, crebras faciunt comportandoque
eorum dissociatos animos sinistre fatigas, et post varios la
bores et tractatus Ducem tandem Alexandrum suam
transgressionem profitentem, Regi reconciliant, qua sequuta
Alexander Dux Magnus Litthuaniae Wladislaum Polo
niae Regem amplius placaturus, ipsum pro aestate adveni
enti in Litthuaniam invitat. Ambasiatores autem Re
gij in Concilium Constantiense destinati, per Missnam et Sa
xoniam iter faciendo, a Marchionibus Missnensibus benigne
excepti, et singulis necessariis in Missnensi Marchionatu provi
rati, vicesima septima Novembris in frequenti et splendido
apparatu Constantiam ingressi sunt, quibus maxima Cardina
lium et Praelatorum caterva, adventum eorum excipientes, non sine
animorum alacritate occurrebant, admirantibus et commendan
tibus cunctis illorum numerum et apparatum. In die autem

Sancta

Sanctae Barbarae, Congregationem ingressi, commendatione
Vladislai Regis et Reginae suae Poloniae, Papae Joanni, Cardinali
bus, et Patribus Concilii coram facta, fuerunt Sacrae Synodi Regis
et Regni primum, deinde suis nominibus incorporati. Ab eoque
tempore Cruciferorum alacritas et audacia, qui Regem et Re
gnum multifariis infamabant detractionibus, et signanter,
quod filiam suam in Christianitatis contumeliam Turcorum
desponsasset Caesari, fuit compressa, nec audebant in sugilla
tionem Regis et Regni de caetero quicquam mutire. Quamvis
autem Joanni Papae vicesimo tertio fuisset a pluribus carnaliter
et terrene sapientibus suggestum, ne pro congregando Con
cilio navaret operam, neve personaliter illi interesset, depositio
nem a Papatu et nonnulla alia ludibria illic expertiturus, Omni
bus tamen quae ingerebantur nihili pensis, cum omni curia
sua Italia excedens, Constantiam Sueviae urbem vicesima
Novembris advenit, adventuque suo Concilium congregavit,
Praesidensque in Concilio huiusmodi, pro unienda Ecclesia
Dei, se de Papatu cessurum per propria manus Apodixam
astrinxit. Opus admirandum et celebre, si illud actione
contraria non inquinasset. Cum Alpes, quae Italiam et Ger
maniam dividunt transgrederentur, et iam apud Tridentum
consisterent, ab uno delirio quo pro solatiis utebatur, facete di
ctum esse constat, Pater Sancte qui passa trienta perde, id est
Pater Sancte qui in ludo chartarum excedit trigenarium nu
merum perdit, ita et nos qui Tridentum velut ultima Italiae
ora transgredimur, fasces et dignitatem Papalem sumus amis
suri, confidens siquidem in thesauris credidit omnibus pro
voto dispositis Bononiam reverti, et pro libito dominari. Adeo
autem plerosque Episcopos et alios magnae authoritatis viros
pecuniis et promissis corruperat, quod nihil poterat tam se
creto agi, quin ad suam confestim deduceretur notitiam. Ex
hibent interim unus ex Italicis plures articulos contra eum
horrenda et abominabilia scelera continentes, ad quorum pro
bationem et publicationem ne procederetur, per aliquorum ex
natione Germanica, Polonica et Anglicana, Praelatorum, ho
nori Sedis Apostolicae consulentium, agre obtentum est.
Quod cum Joannes Papa intellexisset mente consternatus,
varia ingenia ad evadendum coepit meditari.

Sigismundo

Sigismundo Romanorum et Vngariae Rege
in Constantiensi Concilio ad reintegrandum Ecclesiam Dei
intendente, Vngariae Barones proprio tantummodo milite Vnga
rico collecto, nullis externis solatijs adiuti, expeditionem in Tur
cos faciunt. Quibus Caesar Turcorum Cristen appellatus,
cum multitudine gentium suarum occurrens, eos miserabili
ter conflixit, et praestantiores Vngariae Barones videlicet Jo
annem de Gara Palatinum Vngariae, Joannem de Morocz,
Gregorianum, et plures alios, nonnullis effugientibus capti
uavit, quorum liberatio non nisi magno auro poterat procurari.
Turci autem obtenta huiusmodi victoria, plures districtus
et terras Regni Vngariae peruadentes, vsq; ad Cziliae ter
ras grassati sunt, multaq; Catholicorum millia in seruitutem
barbaricam abduxerunt. Compassus autem vehementer Vula
dislaus Poloniae Rex tantis, quae in gentem Vngaricam ingrue
rant malis, literis quoq; Concilij Constantiensis et Sigismundi
Romanorum et Vngariae Regis sollicitatus, auctoreque grauiora
mala Regno Vngariae a Turcis impendentia in animum in
ducens, ad praefatum Turcorum Caesarem Cristen duos
milites suos videlicet Skarbkonem de Gori et Gregorium
Armenum mittit, rogans et requirens Imperatorem Turco
rum, quatenus ab inuasione et vastatione Regni Vnga
riae quiesceret, et omnibus captiuis in libertatem restitutis
in annos sex cum Regno Vngariae Treugas firmaret, commi
nans et denuncians se, si id facere detrectaret, propter foederis
et sanguinis, quae sibi cum Sigismundo Romanorum et Vn
gariae Rege erat, communionem, contra illum cum suis omni
bus potentijs consurrecturum. Turcorum autem Caesar Cristen,
Nuntijs Regijs benigne exceptis et habitis, etiam liberaliter
illos, administrando singula necessaria tractauit, frequentiusq;
quoq; secum epulari iussit. In singulis autem, pro quibus
a Vuladislao Poloniae Rege rogatus et requisitus erat, se
monstrando morigerum, et affaturum se ab inferendo bello
et sufficientias in annos sex firmaturum cum Vngaris
offert et repromittit. In euidentius autem suae oblationis
robur, certos Nuntios suos cum Nuntijs Regijs ab eo mu
neratis ad firmandum praemissa in Vngariam transmittit.
Dum autem simul vna in Vngariam procederent, Scarbek
de Gori ab illis per Valachiam rectiori via ad Vuladi
slaum Poloniae Regem perventurus, et sibi singula quae ordina
uerat

+

uerat expositurus, diuerterat. Gregorius vero Armenus
alter Regiorum Nunciorum, Turcorum Nuncijs non auden
tibus in Vngariam sine saluo conductu progredi, et in metis
dominij Turcorum remanentibus, in Vngariae Regnum ad
experiendum securitatem Turcorum Nuntijs processit. Ve
rum cum ad Pisonem de Ozora Bannum Themesiensem, is
enim sibi primum ex Baronibus Vngariae occurrerat, per
uenisset, et ipse patefacto rerum, quas apud Turcum ges
serant ordine, de dando saluo conductu Turcorum Nuntijs
requisitus, non secus quam explorator, et hostis ab eodem
Pisone captus est, et in vincula coniectus, omnisq res, vestis,
et sarcina sua usq ad calceamentorum corrigia, ne quid lite
rarum a Turcis, vel in eorum fauorem ferret, scrutatae et in
cisae. Propter quod Turcorum Nuntij praefati Gregorij Ar
meni captiuitate et ignominia, qua a Pisone tractabatur, com
perta, velocius redeuntes maiori crudelitate in Vngaros
coeperunt saevire. Sed nec Vladislaus Poloniae Rex stra
ges et vastationes Hungariae post a Turcis sequutas inter
cipere, quamuis multipliciter ab Vngarorum Baronibus solli
citatus, sustinuit, pudore et dedecore sibi et suo Nuncio Gre
gorio illato exacerbatus, qui non solum Treugam, aut si id
deposcerent perpetuam pacem, sed etiam cum potentijs sub
ferre Vngaris solatia statuerat. Gregorius tandem Ar
menus Baronum Vngariae absolutus iudicio, quod nihil
in eo quod affine foret criminationi, deprehensum iri potterat,
ad Vladislaum Poloniae Regem rediit. Ex literarum quas
Concilio Constanciensi Vladislaus Rex Poloniae Regi Si
gismundo Romanorum et Vngariae scripsit, quas praesenti
operi inserere non indecorum censuimus latius poterit contem
plari.

Imbutus iamdudum Viclephistarum veneno,
quod ex libris Joannis Viclephs ab Oxonia Angliae ciuita
te per quempiam Bohemum Pragam delatis, Bohemiam pe
netrauerat, Joannes Husz, continuo coepit illud effundere;
Cum enim esset ingenio acri et lingua facunda, multumq
Dialecticis oblectaretur, et peregrinas opiniones amaret,
et Theutonicis infestus admodum foret, Viclephistarum
doctrina

doctrina adepta, Theutonicos Magistros vexare coepit, spe
rans eo modo, confusos Theutonicos, Scholam relicturos.
Quod cum non succederet, a Wenceslao Rege impetratum
est, ut Gymnasium Pragense Teutonicis exclusis, per
Bohemos regeretur. Qua indignitate Magistri et Schola
res Theutonici generis commoti, Praga relicta, apud Lypsiam
Civitatem Misnae universale studium erexere. Joan
nes deinde Hass lingua potens et mundioris vitae opinione
clarus, facile et inter Scholares et inter vulgum princi
patum sortitus. Qui cum se libenter audiri animadver
teret, multa dogmata Joannis Wiclefs in publicum ex
tulit, et Anglicana venena Bohemorum pectoribus infun
dit, asserens illum virum bonum et sanctum fuisse, et omnia
vera scripsisse et sensisse, cupiens se post fata in ea loca pro
ficisci, ad quae Wiclefi anima pervenisset. Sequebantur
Joannem Clerici plures numero, omnes aere alieno gravati,
sceleribus ac seditionibus insignes, rerum novitate me
ritas poenas evasuri. Quibus etiam et nonnulli doctri
na celebres iuncti erant, qui nullam in Ecclesia dignita
tem nacti, Sacerdotia maiorum censuum iniquo ferebant
animo sibi committi, qui quamvis nobilitate praeirent, sci
entia tamen videbantur inferiores. Hi itaq; Valdensium
sectam atq; insaniam amplexi, in omnes Ecclesiasticos la
trare coepere, cuius pestiferae ac damnatae sectae haec sunt
dogmata, Romanam Ecclesiam reliquis Episcopis parem
esse, inter Sacerdotes nullum discrimen, Praesbiterum non
dignitatem sed vitae meritum efficere potiorem, animas e
corporibus excedentes aut in aeternas e vestigio poenas
mergi, aut perpetua consequi gaudia, Purgatorium ignem
nullibi inveniri, vanum esse orare pro mortuis, et avari
tiae Sacerdotalis inventum, Dei ac Sanctorum imagines
delendas, aquarum, palmarumq; benedictiones irriden
das, Mendicantium religiones malos daemones invenisse,
Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos elemosina, li
beram cuiq; verbi praedicationem patere, nullum capitale pec
catum quantumvis maioris mali vitandi gratia toleran
dum, qui mortali culpae reus sit eum neq; Saeculari, neq;
Ecclesiastica

Ecclesiasticæ dignitati potiri, neque parendum ei, Confirma
tionem quam Chrismate Pontifices inducunt et unctionem
extremam inter Ecclesiæ Sacramenta minime contineri.
Auricularem Confessionem nugacem esse, sufficere sua
quemque Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptismum flu
vialis undæ nulla interiecta Sacri Olei mixtura reci
piendum. Cimeterij inanem usum quæstus gratia re
pertum, quacunque tegantur tellure humana corpora
nihil distare, Templum Dei late patentis ipsum mundum
esse, Coarctare Maiestatem eius, qui Ecclesias, Monaste
ria, Oratoriaque constituunt et construunt, tanquam propi
tior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales ve
stes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, pa
tenas, vasaque huiuscemodi nil habere momenti, Sacerdo
tem quocunque loco quocunque tempore sacrum corpus Christi
conficere posse, petentibusque ministrare, sufficere si verba Sa
cramentalia tantum dixerit. Suffragia Sanctorum iam in
cœlis cum Christo regnantium frustra implorari qui iuva
re non possunt, In Canonicis horis cantandis dicendisque
frustra tempus teri, Nulla die ab opere cessandum nisi
quæ Dominica appellatur, Celebritates Sanctorum prorsus
reijciendas, Ieiunijs quoque ab Ecclesia institutis nihil ines
se meriti. Sbinko cognomine Lepus consilio animo
et nobilitate illustris, Pragensem regebat Cathedram, ori
entium errorum extincturus, ducenta et amplius volumina
Joannis Wiclefi pulcherrime conscripta igne combussit, et
Joanni Huss prædicationem interdixit. Qui Praga exce
dens apud villam suæ originis, multa in Romanum
Præsulem, cæterosque Pontifices relatu indigna, docendo
populos, exspuebat, astruens decimas non secus quam
eleemosinas Sacerdotibus dandas esse. Nondum error
utriusque speciei pectora hominum penetraverat, sed attulit
novam pestem Petrus Drasensis, qui patria Misna
pulsus, Pragam velut Hæreticorum asyllum, a qua
prius eiectus fuerat, repetijt. Ex cuius suggestione
et monitu, Jacobellus, etiam patria Misznensis, plebibus
prædicans, publice populum commonere cœpit, ne deinceps
alij

Catholicis communionem, sine qua nemo saluari posset, quoquo modo negligeret. Huic omnes Haeretici consensere, hac modica gestientes laetitia, quod articulum inuenissent in Euangelica veritate fundatum, per quem Romana Sedes vel ignorantia vel nequitia redargui posset. Videns autem Sbygneus Sbinco Pragensis Archiepiscopus, nullum aduersus emergens malum, in Venceslao Rege praesidium, quippe qui inertia torpens, Haereticos sinebat impune in suum et Regni excidium debacchari, ad Sigismundum Romanorum et Vngariae Regem se contulit, obsecrans et Pragam personaliter adueniens, orientem multorum malorum facem negligentia fratris hactenus nutritam extinguat. Quo pollicente, et dare sponsionem veniendi differente, Sbinko apud Posonium in Vngaria moritur, cuius Albicus natione Bohemus propter peritiam medicinae Sigismundo charus sufficitur, Virorum extremae auaritiae baratrum qui claues cellae vinariae per semetipsum deferens, multitudine etiam familiarium et seruientium, ne illis vestes et alimenta praebere cogeretur, perosus, non contemnendum tantummodo, sed irridendum se Haereticis praebuit. Ioannes profecto Pontifex, qui suae modestiae vel auaritiae consulturus, surgenti Haeresi fomentum daret, Adeo sequendum tempore et Rege et Pontifice nefarios Haereticorum conatibus inualescere permittente, labes Haeretica vires extollere et sensim dilatari coepit. In summa, modicum intra Catholicam Ecclesiam, et in Regno nobili et Orthodoxo, in cuius quoque ventre atque medio germen illud Haereseos dudum contritum leuauit caput et de antiqua pestilentiae Anglicanae reliquijs, ignis flammauit exortus.

Die vicesima prima mensis Martij

Joannes Papa habitu mutato et hora serotina in forma Laici metuens per ordinationem Friderici Ducis Austriae de Constantia recessit, et ad castrum Schaffhausen, partim terrestri itinere, partim nauali, in die Sancti Benedicti peruenit. Quem quinque Cardinales videlicet Pisanus Brancha, Placentinus de Ezelancho de Brancaciis et Barensis et Sucessine quidam alij Cardinales atque Curiales

Curiales, et Officiales, in Dominica Ramispalmarum sum-
mo mane sequebantur: Quorum dum sex ad Constantiam
feria quarta immediate sequenti redijssent, et in congrega-
tione publica praesenti Sigismundo Romanorum Rege am-
plius nimis contra Concilium locuti sunt, asserentes propter
dicti Joannis Papae recessum, Concilium fuisse dissolutum,
quibus replicatum fuit et ostensum, quod Papa non esset
supra Concilium, sed sub Concilio, et contentionibus sive
inde exortis, Cardinales ipsi quod ratione non poterant
clamoribus defendebant. Die Veneris vero Sancto praefa-
tus Balthasar hora meridiana, tempore valde pluvioso
recedens de Szopsansza venit in Loffemburg, Cardina-
libus et alijs Curialibus eum sequi fastidientibus, Die
vero Mercurij post octavas Paschae in diluculo praefa-
tus Balthasar mutato habitu de castro Loufemburg
met quartus recedens, versus castrum Friburg, et
ex illo ad oppidum Brizach super flumen Rhenum consistens,
et pergentis Ducis Burgundiae exinde in Avinio-
nem perduceretur. Sed praedicta huiusmodi per medium
Romanorum Regis Sigismundi sunt impedita. Venerunt
autem ad dictum Joannem in Friburgum duo Cardi-
nales et aliquot Episcopi et Abbates requirentes eundem
nomine Concilij, ut provisione accepta, cederet, alias Con-
cilium ad privationem et depositionem sui procedere vel-
let. Qui misso in Constantiam Bartholdo de Ursinis
Comite, petebat per certos Cardinales apud Concilium, quod
pro provisione sua antequam cederet, ordinaretur in pri-
mis, quod esset Legatus per totam Italiam irrevocabili-
ter, Item quod haberet pro se Comitatum Bononiensem,
et Versinensem, et Avinionensem cum civitatibus
eorundem, Et quod sibi emerentur annui redditus ad
vitam de triginta millibus Ducatorum auri, decem vi-
delicet millia Venetijs, decem in Florentia, decem in Ja-
nua, et una civitate vel duabus non solventibus, duae
residuae, vel tertia ad solutionem nihilominus tenerentur.
Item quod remaneret Cardinalis et emolumentis Car-
dinalium participaret. Die vero quarta mensis Maij

recederunt

redierunt ad Concilium ex Scafhausa omnes Cardina
les, Officiales, et Curiales praefati Joannis Papae, et Fride
ricus Dux Austriae in publica congregatione genibus flexis
procumbens, veniam pro perfidia quam fecerat, abducendo
Joannem Papam de Constantia, sibi per Sigismundum Re
gem impendi humiliter petijt. Qui flecti ad pietatem re
cusans, missis exercitibus, Ducatus ejusdem Frede
rici vastavit, nonnullaque castra solo aequata diruit,
Oppidumque Friburg cum octo alijs oppidis sibi adia
centibus, quae erant de proprietate praedicti Ducis, una
cum eodem Joanne Papa cepit, et exinde praedictum
Joannem Papam ad Oppidum Cellae, quod distat per
duo milliaria almanica a Constantia deduxit, ubi or
dinanti Concilio diligenti custodia noctu et interdiu ob
servabatur. Item die vicesima quarta Maij in Sessione
publica publicati fuerunt quinquaginta quinque articuli hor
rendi et criminosi et probati contra praefatum Joannem
Papam. Et eodem die praedictus Balthasar Papa per Nun
tios Concilij certificatus est, quod summa depositionis
contra eum fieri debet, qui in illam consentiens, rogabat
obnixe ut quanto honestius fieri posset, sententiam ipsam
dictarent. Die vero vigesima nona ejusdem mensis Maij
in solenni Sessione per sententiam diffinitivam, authorita
te Concilij latam depositus fuit praefatus Balthasar ab
omni iure et honore Papatus, carceribus ad peragendam
paenitentiam adiudicatus. A summi autem Pontifica
tus culmine, sententia Concilij deiectus, in locum obscu
rum truditur, custodia cura, Comiti Palatino, qui sibi ma
xime adversabatur, mandata. Ibi solus, terrena omni de
stitutus ope, unius servi et linguae ignotae ministerio usus,
quoad Martinus quintus Pontifex, Constantiae creatus
est, vitam cum degisset, tandem pretio redemptus Ita
liam redijt. Non est meum insectari mortuos, sed ta
men nihil saeculum illud vidit indignius, quam Antisti
tem Christianae fidei eum virum, qui nullam neque fidem
neque religionem norat, rebus agendis potius quam cul
tui Dei et gubernandae Republicae et religionis Christi
anae

ana accommodatum. Sedit annis quatuor, sepultus in Florentia

Prima die mensis Junij, praedictus Balthasar ductus fuit ad Castrum Gotleben prope Constantiam, et ibi licentiati et amoti fuerunt ab eo Cardinales sui, et traditus fuit custodiae Ludovici Comitis Palatini Rheni, a quo fuit humaniter tractatus. Item quinta mensis Julij Gregorius Duodecimus aliâs Angelus de Corario per procuratorem suum Carolum de Malatestis in publica Sessione omni iuri papatus simpliciter cessit, et renunciavit, factusque est Cardinalis Portuensis Episcopus. Qua cessione ipse Angelus intellecta, convocatis suae obedientiae Cardinalibus et Curialibus, cessionem ipsam publice approbavit, spoliavitque se insignijs papalibus. Sedit annis duodecim

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS QUINTUSDECIMUS

Lithuania Vladislaus Poloniae Rex post natalia Christi revoluta, per stationes et curias suas solitas in Jedlno advenit, et Carnisprivij dies cum consorte sua Anna Regina quae illi ex Lithuania redeunti in Parczow occurrerat, tenuit. Quibus exactis, itineribus consuetis Sendomiriam, ex Sendomiria in novam civitatem, deinde per Tuchow, Crosno, Jaszel, Lanczuth, Przemysl, Jaroslaw procedens, feria quarta ante festum Paschae venit Leopolim. Et Paschae dominicalis celebrato, dies aliquot Maij in Sanoki absumens, iterum Leopolim rediit. Et abinde descendens Olyniany et Bosrz transiens festum Ascensionis Domini apud Trebowlya peragens, per Burzarz, Halicz, Colomiam in Szniatyn pro festo Pentecostes advenit, Quo suam Serenitatem Alexander Moldaviae Woiewoda cum consorte sua et maxima militum suorum cohorte accessit, et a Vladislao Poloniae Rege frequentissimam militum pompam etiam tunc habentem, benigne exceptus est, et multipliciter honoratus. Devotionem autem et fidem erga

Vladislau

Vuladislaum Poloniae Regem monstraturus, sibi in corona et
Maiestate sedenti, ut et tanquam Regi Poloniae et Coronae Regni Po
loniae fidelitatis et subiectionis, cum omnibus Boiaryis terrae Va
lachiae solenne praestitit Omagium, et fidelitatis corporale, pro
iectis in terram ad pedes Regios Banderiis, iuramentum,
de quo et literas patentes dedit, quae in thesauro habentur,
ad rei memoriam sempiternam. Deinde Regem ipsum et Do
nam Reginam, et omnes Barones et militares Regios ad
prandium invitans tractavit opipare, Munera quoque notabi
lia Regi et Reginae obtulit, sed et inter primores Barones Re
gni dona sua largiter distribuit. Venerant insuper sub eodem
tempore ad Vuladislaum Poloniae Regem, Nuncii Patriarchae
et Imperatoris Graecorum cum literis et Bullis plumbeis, qua
tenus dignaretur eis a Turcis multifarie lacessitis et oppres
sis, frumenti tantummodo largitione subvenire. Vuladislaus
autem Poloniae Rex necessitati eorum satagens pia commisera
tione succurrere, petitam frumenti quantitatem dat et largitur,
et in portu suo Regio Karzubyecow per eos recipiendum consi
gnat. Datis autem Alexandro Vuoyewodae Moldaviae et
suae consorti donis universalibus, et Anna Regina in Craco
viam remissa, processit in Kamyenyecz, Abinde vero per
Szmotrycz, Nyeswyecz, Kazimyrowycz, Raysko, Sadowye,
Turzysko, Kobryn, Mytho, in Litthuaniam, invitationi Ale
xandri Vitholdi satisfacturus, descendit. Quo de Kobryn
in Mytho iter agente feria sexta post octavas Corporis Christi
tertiarum hora, Eclipsis notabilis in Sole causata apparuit,
quae Vuladislaum Regem et suos velut inopinata et ignorata,
primum in admirationem et stuporem ad extremum in religio
nem vertit. Erat enim adeo notabilis, ut alites subita caligi
ne deterritae in terram deciderent, et sydera non secus quam
nocte collucerent. Rex quoque Vuladislaus tenebris accrescenti
bus cogebatur premere gradum, nec prius procedere poterat,
donec obscuratio Solis cessasset. Ex Mytho Vuladislaus
Rex per Voltowisko, Vuasiliszki, Chlusyski, procedens in
Troki venit. Cui Dux Alexander Vitholdus cum Magi
stro Livoniae dicto Lander unum milliare occurrens, cum sup
plici et hilariter excepit, et in castrum album in medio lacus
situm

situm, cum omnibus militibus suis recolligens, splendide tractavit. Altera deinde die Regem in thesaurum Ducalem introducens, viginti millibus Marcarum latorum grossorum, quadraginta scubis pellium Sebellinarum, centum equis, centum superpositis, Regem Vladislaum, Item alios omnes Regios milites alijs muneribus donat. Quae singula sibi donata Vladislaus Rex per vice Cancellarium suum Dominum, et aliquos Barones Poloniae a se remissos, Cracoviam, in thesaurum Regium condenda transmisit, quae tamen omnia temporis processu in milites et familiares suos liberalitate munifica distribuit.

Ex Trohy Vladislaus Poloniae Rex comitatus ab Alexandro Vithaudo in Kowno transijt. Abinde vero navali viagio ad castrum Vngelunya pridem constructum, Duce Alexandro Vithaudo in Kowno remanente. Ex Vielunya vero in castrum Vulkomaria supra flumen Swyantha situm, et post in Dubingi, ubi Alexander Vithaudus noviter arcem novam erexerat, proficit. Ex Dubingi in Niemyarzani, Byoszedani, hostiis in venationis loca divertens, pro festo Visitationis Sanctae Mariae Vilnam venit. In qua septem diebus exactis in Poloniae Regnum per Kunonini, Lydam, Nowogrodek, Czirini, Klorzsko, a Klorzsko vero flumen Slurza usque ad flumium Przypyecz, per Grodek, Lirzsko, Sawowye, Vladimiriam, Lubomlya, Chelm, Crasznistaw, Turobinecz proveniens revertebatur. Festo autem Nativitatis Sanctae Mariae apud Sendomiriam celebrato, per Vislicam ubi ab Anna Regina exceptus est, item per novam civitatem in Przyszow, ex Przyszow in terram Lublinensem et Dobristan descendit. Abinde vero stationibus solitis Russiam transijt. Regi autem agente in Dobristani Jannussius de Tholiszkowo Calisiensis Castellanus ex Concilio Constantiensi venit, et Regi singula quae apud Constanciam per suos collegas et ipsum acta sunt, ex ordine relatis, a Rege primum, deinde et Vithaudo Alexandro, Lithuaniam ex Dobristani proveniens, de servandis inter Regem Vladislaum et Alexandrum Vithaudum ab una, et Sigismundum Romanorum et Vngariae Regem

dudum

dudum confectis fœderibus, corporale iusiurandum exegit. Et in Constantiam reversus Sigismundo Regi Romanorum de consumatione fœderum certificato, et fœderis literas sibi Regio et Ducis nomine tradidit, et suas reversales iuramento pari exacto accepit. Russia peragrata Vladyslaus Rex pro festo Sancti Martini Nyepolomicze, et abinde iterum Litthuaniam repetijt, Venationum quoque voluptate in Novembri et Decembri perfunctus, festum Natalis Christi apud Vilnam egit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS SEXTUSDECIMUS

Litthuaniæ oram Vladislaus Poloniæ Rex tardius deserens, in Sexagesima dominica in Parczow, deinde in Lublin veniens, nuncium Annam Reginam languorem incurrisse referentem offendit. Ex Lublin post Sacr. Solitis locis in Jedlna pro Carnis privio iuit. Ex Jedlna ad Monasterium Sanctæ Crucis Calvimontis divertit. Et altero Nuntio in Annam Reginam serbim morbum grassari, denunciante, perculsus, properanter Cracoviam transijt, quo illuc præsente Anna Regina prædicta in die Sancti Benedicti fato absumpta est. Cuius excessum Rex lugubriter deflens, in Cracoviensi Ecclesia iustis illi persolvendis sepultura mandavit, ac per universum Regnum Poloniæ ac illi in Ecclesijs celebres funerales iussit. Tumulato Reginæ corpore de Cracovia egressus, et vestem atram cum omnibus Curiensibus suis gestans, in maiorem Poloniam per Clobuczsko, Crzepicze, Vielun, Siradiam proveniens, Pascha Domini in Kalisz celebravit. Ex Kalisz in Cuiaviensem et Dobrzinensem terras divertit. Quibus peragratis pro die Visitationis Sanctæ Mariæ Uschowam applicuit, ubi ad suam Serenitatem Vdalricus Myszniensis Marchio cum pulcherrima gente sua armis invicta venit, et nonnullis mutuis tractatibus cum Rege habitis, liberalibus donis a Rege honoratus domum rediit. Ex Uschowa in Srzem Rex processit, ibi quoque illum Ducis Austriæ Ernesti affinis sui Nuntius convenit, visione personali

personalis relatio, quae a Poloniae milite Joanne Vuarszewski dicta erat, quod Poloniae regno in loco uno ollarum plura genera solo naturae beneficio, et absque omni humano suffragio effingat, nitatur veritate, experturus. Eam suspendens relationem Austriae Dux Ernestus, parum veram existimans, parumque fidens relationibus et auribus, in conspectu oculis videndam specialem militem, dignoscendae tantummodo veritatis ac virtutis naturalis gratia, fatigavit. Vuladislaus itaque Rex affinem suum Ducem Ernestum eadem dubietate soluturus, in locum campestrem villae Nochowa inter oppida Regni Poloniae Srzem et Costhen situm secessit. Et in sui praesentia terram in plerisque locis fodi iubens, ollas plures variis formis et quantitatibus distinctas mirabili opere et virtute naturae, non secus quam a figulo effigiantur formatas reperit. Nuntio quoque Ernesti Ducis singula curiosius speculanti, mirabile opus naturae, quod non tantummodo in uno loco, quemadmodum in principio operis monstravimus, sed in aliquot Regni Poloniae locis consurgit, monstravit, et ollas aliquot varii generis, facti veritatem testaturas Duci Ernesto per Nuncium praefatum transmisit. Extant ollae praedictae cum primum de zabulo eruuntur tenerae et fragiles, quae post a Solis virtute duratae, ad omnem humanum usum congruunt.

Dum autem Vuladislaus Poloniae Rex eo anno apud Visliciam pro festo Assumptionis Sanctae Mariae ageret, tria Monasteria Sanctimonialium Ordinis Premonstratensis, quae in trino numero in Imramowicze, in Buszko, et Crzyzanowicze morabantur absque clausura, de licentia Sedis Apostolicae et Capituli generalis Premonstratensis, per Albertum Jastrzembiecz Episcopum Cracoviensem, et ~~Regi~~ Brzeszensem, ac Vitoviensem Abbates, executores et Commissarios in Buszko transtulit, et ex tribus corporibus licentiam coniugandi illis praestitis unum concinnavit. Dictoque Monasterio in Buszko a se adunato et Sanctimonialibus in eo degentibus quatuor

tuor Bancos Salis grossi, quatuor urnas Luzalcz, et qua
tuor mensuras Salis minuti in Zuppis Bochniensibus dona
tione perpetua inscripsit. Et quamvis ex duobus Monasterijs
praefatis Jamramowiensi, Wrelat et Crzyzanowiensi,
Sanctimonialibus in Buszko translatis, certae villae, decimae,
dictorum duorum Monasteriorum etiam transferri et Mo
nasterio Buszko applicari debuerant, villis tamen et deci
mis a Monasterio Crzeszanowiensi abstractis, et Mona
sterio Buszko unitis, Monasterium Imramowiense vil
las et decimas ob Sanctimonialium translationem in sequestratas
non retinet, sed detinet iniuste et miserabiliter occupatas
annis iam circiter septuaginta

Concilium Constanciense operi, pro
quo convenerat, insudans, Joannem Husz Bohemum, qui pe
stifero Haereseos dogmate Bohemiae Regnum infecerat, homi
nem obscura genealogia et sortis, ad tribunal suum cita
tum, et non nisi in eiusdem Concilij et Sigismundi Romano
rum Regis conductu, in termino comparentem, de haeresibus
quas in Bohemia diffuderat, arguebatur. Sed dum ille
facinus obiectum constantissime abnueret, liber in papyro
manu sua propria confectus, etiam a nobis frequenter
Cracoviae visus, in quem omnes Haereses a se Pragae prae
dicatas ad populum congesserat, productus est. Quem cum
manu propria scriptum et a se editum, diffiteri non posset,
testium multitudine scripturam suam dignoscentium convi
ctus, ad revocandum tamen pestiferam doctrinam et er
rores in pectoribus Bohemorum ad novandum res proclivium
insertos, non poterat saluberrima adhortatione persuaderi.
Quapropter iusto Concilij iudicio, non obstante securitate
fidei praestita, quae Haereticis non debet suffragari, in congre
gatione generali degradatus, et sententia totius Synodi,
assumpto pro themate verbo Beati Pauli Apostoli, dominica
tunc currentis, destruatur corpus peccati, ut Haereticus
damnatus, et a saeculari potestate igne crematus est.
Cineres quoque sui ne a sequacibus venerarentur, in la
cum, qui Constantiam praeterfluit, proiecti. Tanta tamen
caligo Bohemos sequaces suos obduxerat, ut suum natale,

Julij

Julij die sexta, iuxta ac Sancti Martyres, magna celebritate colant. Ut profecto mirandum sit, viros alioquin prudentes, graves, et industrios, tam evidenti errore insanivisse, ut hominem Haereticum ab Ecclesia universali damnatum, qui nobile eorum genus et Regnum prava sua doctrina pessumdedit, non secus quam Sanctum venerentur, caeteris Sanctis, quos recipit et veneratur Ecclesia, contemptis. Obliti poenae, qua genus Israelitarum tunc electum et sibi charum, Dominus vehementer propter vituli aurei ad montem Sinai conflati adorationem punivit. Venerat et ex post in Concilium Hieronymus Bohemus eadem peste Haereseos qua et Joannes Husz infectus, Joanne tamen sicut doctrina ita et facundia superior. Qui in vinculis anno prope uno habitus, nullis rationibus, ingenijs aut persuasionibus ab inventione errorum suorum potuerat per Patres Concilij, divini et humani iuris peritos divelli. Quapropter et ipse Patrum Decreto igni combustus est. Pertulerunt ambo constanti animo incendium, nulla emissa voce qua miseri pectoris facere potuisset indicium. Cineres et humus ne raperentur a Bohemis in Rhenum proiecti, ipse quoque apud Bohemos Martyris colitur loco. Dum autem apud Pragam ea quae in combustione Joannis et Hieronymi Constantiae gesta fuere percrebuissent, Sequaces eorum conventu habito, memoriam in primis illorum consecrant, celebrandamque quotannis decernunt. Impetratisque a Venceslao Rege Ecclesijs plebi praedicare et Sacramenta ministrare coeperunt, Monasterium deinde nobile Fratrum Praedicatorum extra mania Oppidi Glacz situm, a fundamentis diruunt. Post vero in Ecclesias et Monasteria passim desaeviuntur, et templa nobilia superbe dicata vastantur, incenduntur, spoliantur. Egere posthac apud Bechinyne Castellum triginta fere millia hominum conventum, ibique in propatulo trecentis et amplius mensis propositis populo Calicis ministrarunt Sacramentum. Terruerat res haec Venceslaum Regem, ne seditione in se versa et vitam et

Regnum

Regnum sibi ademerent. Sed Venceslaus Coranda Sacerdos
apud plebem commendatus, etsi Regem inertem atque ebriosum as-
seruerit, quietum tamen et benignum et proprio illos viuere
sinentem arbitrio neque eorum ritus perturbantem monstrauit
Sicque seditionem populi si quae futura erat in Regem sedauit,
et ex tepido frigidum Regem fecit, qui etiam Corandam pro
suis eiusmodi sermone inter amicos retulit. Neque deliramen-
ta illa apud Bohemorum olim gentem nobilem et industriam
quieuere, sed et in diem hanc stoliditatem suam et vesani-
am continuant, et praefatos Joannem Hus, Hieronimum Jar-
bellum Haeresis et erroris sui capita, ceterosque eorum in errore
sequaces singulari cultu iuxta ac Sanctos venerantur.

Arnesti Ducis Austriae Nuntio licen-

tiato Vladislaus Poloniae Rex in Lanciciam processit,
deinde per Sulyeow, Vuolborz, Andrzeiow, Wislicziam,
pro festo Assumptionis Sanctae Mariae venit. Quo illic
exacto per nouam ciuitatem, Przyszow, Sandomiriam, So-
lyecz in terram Lublinensem descendit, Abinde vero
terris Russiae neglectis, cum dux Sancta Heduigis, quo
cum Magistro Prussiae conuentionem initurus erat, affe-
ceret, Lithuaniam transijt, et cum Magistro et Ordine
in Vurbunga proditur concluso, namque cum Alexandro
Vuitoldo Duce Magno Lithuaniae circa Dubno ascenso,
a quo iterum in Vnyelunya Vrruno Conuentum tenuit,
Mandato etiam et ordinatione Regis Albertus Jastrzem-
biecz Cracouiensis Episcopus, Joannes de Tharnow Craco-
uiensis, Nicolaus de Michalow Sandomiriensis, Sandiuo-
gius de Ostrorog Posnaniensis Palatini, Sbigneus de
Brzeszie Regni Poloniae Marsalcus et alij plures Consilia-
rij Regni Poloniae, Item Magister Prussiae, Michael, Item Ma-
gister Liuoniae Zander, Theodoricum Rigensem Archiepi-
scopum, item Episcopum Darbatensem, item plures Commenda-
tores locum habentes pro suo interesse aduenerant. Et quidem
fuissent et plura media per quae de pace poterat conueniri, a
Rege exhibita, post varios tamen labores Cruciferis a quo-
tis consilijs abhorrentibus, absque conclusione et fine discessum
est

est. Dum enim Prussiae Magister cum suis intentiones et Capitula pro parte Regis exposita, parum ut Rex sperabat, consitutentia audivisset, obtulit se et Ordinem suum, pro terris Samogitarum, limitatione earum vafrua dolosa sibi reservata, nullis unquam temporibus, quacunque actione, Regem et Vuithaudum impetere, et Juri sibi in illas ex donatione et inscriptione Vladislai Regis, Alexandri Ducis competenti, et renunciaturum et cessurum, dummodo Poloniae Rex Vladislaus pro terris, dominiis, castris, limitibus, per Cruciferos in Regno Poloniae occupatis, etiam pro damnis, iniuriis, et offensionibus, inter eum et Ordinem superiori tempore exortis, omni iuri et causae cedere consensisset. Rex autem summa cura et omni studio pro restitutione terrarum Samogitiae diutum laborans, videns illam iuxta desiderium suum provenisse, effectum insuper pacis satagens suis dominiis procurare, paratus fuit Magistri et Ordinis oblationem, quamvis tunc in terrarum Samogitiae plena possessione fuerit, accipere, et foedus pacis perpetuae cum Magistro et Ordine sancire. Singulas vero quaestiones, differentias, damna, et iniurias, iudiciariae aut arbitrariae reservare decisioni, neque enim eos de caetero pro illis, per guerras vexare, sed sub pace firmata decisionem iuridicam, aut arbitrariam vel aliam aequam praestolari compositionem, futuraeque decisionis sortem aequo animo perferre. Tenuis enim Regi restabat, de damnis, alienationibus, et iniuriis Regnis Poloniae, Lithuaniae per restitutionem terrarum Samogitiae reintegrata, cura. Magistri vero et sui Consiliarii oblatione Regia superbe et arroganter contempta, ex loco Conventionis passione et bile repleti, Vladislao Regi et Alexandro Duci non valedictis discedebant, Tantaque pompa Magister Prussiae cum suis omnibus de se se monstravit, ut Serenitatem suam quamvis in propinquo et vix a se ad iactum animus sagittae distantem, visitare indignum duxerit. Consiliarios quoque suos ne Regem personali visitatione honorarent prohibuit, Dedignatus etiam ex navibus quae in medio amnis, retinentibus eas anchoris, stiterant, descensum facere

cere in terram, ubi tabernacula sua Rex et Dux posuerant. Ideo
autem praefatus Prussiae Magister cum suis tam superbos spiritus ha-
berant, quoniam pro re certa se rebantur conflasse Tartarorum Impe-
ratorem cum exercitu fortissimo, Litthuaniae Russiae, et Poloniae terras
ab una, se vero cum suis copijs a parte altera Regnum Poloniae,
quemadmodum inter Magistrum et Tartarum per internun-
tios convenerat, invasuros, nec prius nisi utroque Dominio, Polonia
videlicet et Litthuania vastato et incenso redituros. Clementissi-
mus autem Deus in se confidentes non deserens, omnia huiusmodi
Magistri et Ordinis in ruinam Regni Poloniae et Ducatus Litthua-
niae ordinata, molimina, sua, propitiatione divina avertit. Et su-
perbiam Magistri Prussiae Michaelis Kochmeister et suorum
contrivit et humiliavit.

Conventione apud Vuyelunya exacta Vla-

dislaus Poloniae Rex cum Alexandro Vithaudo, item cum Prae-
latis et Baronibus suis Poloniae in Kowno advenit, et de gente
Samagitica plus quam tria utriusque sexus millia, fidei religio-
nis nostrae, baptizatos et numeratos univit. Ex Kowno in Troki
reversus, licentiatis Praelatis et Baronibus Poloniae, venatio-
nibus in Litthuania operam dabat, Et festum Natalis
Christi in Grodno agens, in alia solita loca post divertit.
Denique Vladislaus Rex et Alexander Vithaudus magna
cura, ne terra Samogitiae a Ducatu Magno Litthuaniae exci-
deret solliciti, speciales Nuntios videlicet Georgium Gedgolth,
Georgium Holmny Nadobyowicz Litthuanos et Nicola-
um Sepinski Polonum milites ad petendum Sacrum Constanti-
ense Concilium, quatenus Samogitarum gentis opera eorum
charactere Christiano insignitas et nuper a gentilitatis cali-
gine in fidei lumen perductas, a Cruciferis de Prussia opprimi
et vexari non permittant, sed parem illos cum Neophitis Sa-
mogittis, quos multifarie plus solito vexabant, ne in Idolo-
latriam reciderent, custodire et observari iubeant, Item ut
Concilium praestet authoritatem et iubeat Cathedralem Ecclesiam
dudum a Poloniae Rege Vladislao designatam, aedificatam
et dotatam, erigendi. Quibus omnibus Synodus morem
gerens, et Cruciferos invadere Samogitias districtissime ve-
tuit, et Joanni de Rzeszow Archiepiscopo Leopoliensi ac Petro
Episcopo Vilnensi fundandae Cathedram apud Samogitas man-
datum speciale per literas dedit

Tertium

Tercium matrimonium duobus iam perfun
ctus Vuladislaus Poloniæ Rex intuens, Petrum Myedzwiedzski
militem in Brabantiam ad videndum filiam Caroli Bohemiæ
Regis Annam, et Ducis Brabantiæ Relictam, et ad sollicitan
dum illam de contrahendo matrimonio transmittet. Quæ solli
citata, respondet se nolle nubere et de cætero experientiam al
terius matrimonij fastidire. Quod quidem suum institutum
non longe post prævaricata, Clericum Trauchtingem, Baro
diligens affectu accepit in maritum. Ipse quoque licet foret Sub
diaconus Episcopatu resignato, et Ordine Subdiaconij pos
suadato, cum matrimonio habuit

Feria quarta proxima post festum San
ctæ Catherinæ Joannes Ratiboriensis et Oppaviæ Dux, de
consensu Venceslai Episcopi Vratislaviensis in Ecclesia San
ctæ Mariæ in Ratibor, Collegiatam Ecclesiam fundat, de duo
bus Prælatis, videlicet Præposito, et Decano, et de duode
cim Canonicis, et totidem Vicarijs. Incorporando in Summ
modi duodecim Canonicos et Præbendarios quatuor Cano
nicas seu Præbendas, quas in Capella Ratiboriensi Castri
sub titulo Sancti Thomæ Cantuariensis dicata, Thomas
Secundus Episcopus Vratislaviensis, de decimis mensæ Epi
scopalis, consensu Capitulari accedente, in memoriam suæ ex
captivitate et exiliatione liberationis. Mº CC Octuagesimo
Septimo fundaverat et dotaverat. Processu vero temporis Nico
laus Advocati de Freystad Scholastriam, Cyprianus Ple
banus de Laczyor Cantoriam, Joannes Rots de Laczor
Custodiam, Joannes Szeflar præbendam, Petrus Pudhomis
aliam Præbendam de proprijs pecunijs, coemptis censibus apud
Duces et Barones Ratiborienses fundaverunt, sicque præ
fata Ecclesia Ratiboriensis habet quinque Prælatos et quatu
ordecim Præbendas et totidem vicarios. Omnium autem
Prælaturarum et Præbendarum Dux Ratiboriensis pro
tempore vivens est patronus et collator, Vicarias vero
Prælati et Canonici conferunt quibuslibet propriam vicariam
cum vacationes occurrent.

Tartarorum Princeps Ediga in suins
potestate

potestate universum Tartarorum imperium regebatur, ad cuius nutum Imperatores per exercitus et legiones assumebantur et eijciebantur, venit cum valido exercitu contra Russiam, et improvise in civitatem Kyow veniens, spoliavit eam et omnes eius vicinias, omnesque Ecclesias, spoliatamque igne incendit, multamque familiam et hominum multitudinem utriusque sexus in captivitatem deduxit. Et licet castrum Kyow obsidione cinxisset, et eius obsidionem aliquanto tempore continuasset, faciendo frequentes proelijs congressione impugnationesque, Polonis tamen et Ruthenis, qui arcem observabant, probe resistentibus, coactus fuit ab illo facere discessionem. Ab eo autem tempore omnis pulchritudo, splendor, et ornatus civitatis praedictae contabuit, civitasque ipsa propter spolium et incendium quod pertulerat desertari coepta fulgorem pristinum resumere non valuit.

Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex a Patribus Constantiensis Synodi rogatus, ad Aragonum Regnum, Petrum de Luna Benedictum tredecimum appellatum, in Aragonum Regno se continentem, ad renunciandum Papatui persuasurus, usque Barsalonem profecerat vigesima octava Julij de Constantia egressus. Et Petrum de Luna neque prece neque terrore impugnatum ab opinione scelesta non valens avertere, Ferdinandum Aragonum Regem Petro de Luna obedientiam subtrahere, ac eo deserto Concilio adhaerere pro rescindendo Schismate obtinuit. Praefatus quoque Petrus a Cardinalibus et ceteris omnibus velut obstinatus desertus, in castrum Panniscula se contulit, et illic in pertinacia sua Anathematizatus diem obijt. Sigismundus autem Rex ex Aragonum Regno in Gallias et Parisios, ad pacificandum Franciae et Angliae Reges, inter quos execrabilibus armis funestus Mars, nunc unam nunc alteram partem consumens fervebat, transijt. Secumque una Nicolaum Archiepiscopum Gnesnensem, quod et familia equisque, vasis insuper aureis et argenteis, itemque expensis magnificis splendidum tenebat in Concilio Constantiensi statum, inter Pontifices orbis Catholici, qui illic in magna multitudine confluxerant, secundumque inter Cardinales habens secundum, Item Janussium de Tuliszkowo Castellanum Calisiensem, et Zawischium nigrum de Garbow milites, Poloniae Regis Ambasciatores mitti obtinuit. Cumque in itinere, quo in Parisios ibant, Nicolaus Gnesnensis Archiepiscopus

episcopus iuxta instructiones Vladislai Poloniae Regis sibi
inscriptis directas, cum Sigismundo Romanorum et Vngariae
Rege libere quidem et extense, velut extra occupationes posito,
de rebus guerrae inter Vladislaum Poloniae Regem et Cru
ciferos de Prussia, Treugis expirantibus innouando, plures
agitasset sermones, praefatus Sigismundus Romanorum et
Vngariae Rex animum Vladislai Poloniae Regis pronum
atque feruentem ad continuandam Treugis expirantibus
guerram cum Cruciferis esse dignoscens, per medium
Caroli Francorum Regis vlteriores Treugas in bienni
um duraturas, Nicolaum ArchiEpiscopum Gnesnensem,
et collegas suos Janussium Castellanum Calisiensem,
et Janussium nigrum Ambasciatores Regios assumere,
et deinde Vladislaum Poloniae Regem easdem acce
ptare obtinuit. Tenorem autem literarum Caroli Franciae
Regis huiusmodi interponentis sufferentias visum est non
necessarium inserere

Sub tempore autem eo quo Sigismundus
Romanorum et Vngariae Rex apud Parisios morabatur,
Nicolaus Gnesnensis ArchiEpiscopus Regis et Regni Po
loniae famam augere satagens, conuiuio sumptuoso et solenni
in Quadragesima instructo, omnes Magistros, Doctores, Scho
lares, et singula Vniuersitatis Study Parisiensis supposita,
quod apud Parisienses magnae admirationi erat, ad pran
dium inuitat, et splendide atque liberaliter pertractat. Inter
prandendum autem per Vniuersitatis praefatae Doctores se
niores, erat eidem Nicolao Gnesnensi ArchiEpiscopo libel
lus quidam, Satyram et infamiam Vladislai Polonorum
Regis continens, per Fratrem Joannem Falkemberg Or
dinis Praedicatorum a Cruciferis de Prussia precio condu
ctum, commentatus, oblatus. Quem Nicolaus ArchiE
piscopus Gnesnensis accipiens, in Concilium Constanciense
detulit, et Joannem Falkemberg eius authorem tunc in
Concilio praesentem Regis et Regni nomine conuenit, Posito
autem libello huiusmodi ad examen Concilij, Synodus sa
cra multis erroribus completum reperiens, et volens, ut
tenebatur, honestati Regis tanti et Regni Poloniae prouidere,

praedictum

praedictum libellum ut falsum et erroneum, Joannem vero
Falkemberg eius authorem, ut Haereticum per diffinitivam sen
tentiam damnarunt, et perpetuis deputarunt carceribus, et in
condemnationis praefatae signum singuli Cardinales singillatim
et omnes nationes sententiam praedictam manibus proprijs
subscripserunt. Fuit insuper praefatus Joannes Falkemberg
sollicitudine Archiepiscopi Gnesnensis, Lyaszkarij Po
snaniensis Electi, qui in eodem Concilio confirmationem et
consecrationem accepit, et aliorum Ambasiatorum Regis et
Regni trusus in carcerem, et in illo per tempus omne quo Con
cilium durauit Constantiense, detentus. Dolebant siquidem
et affligebantur acerbitate vehementi Patres et Principes
Concilij impiam obscaenam, fatuum unum Monachum sta
tus et professionis suae immemorem, magis vomitionem quam
Satyram, contra Regem clarissimum fidei et religionis
Christianae dilatatorem, quam turpissime evomuisse, agnite
banturque ut nouus atque olidus Satyrae author, conflator, di
gna et non vulgari mulcta puniretur. Inter omnes autem
Sacrosancti Principes et Patres Conscripti Cardinalis Floren
tinus Franciscus grauius in illum invectus, Quae, inquit,
temeritate, qua mentis alienatione, vir spurcissime et abomi
nande ex cucula putrida depravata conscientia tua, ve
rum, optimum, et rarissima excellentia Regem probris et li
bello spurcissimo infestareris, conarerisque laedere cum Re
gem, cum Heroem, qui esset omnium, quos nedum nostra,
sed et priscorum aetas tulit, continentia, modestia, liberalitate,
et humanitatis studijs ornatissimus, quo nemo post Apostolos
Religioni nostrae Orthodoxae baptizando innumerabiles populos
tot commoda visus est procurasse. Vides ne spurcide author
pro Rege innocentissimo non Regni tantummodo sui Praelatos
et doctos viros, sed universos huius Concilij generalis Ordi
nes, Status, et nationes in certamen descendisse, neque aliter su
um decus Regium quam proprium estimasse. Cuius mores
integerrimi summis laudibus per universam Christianita
tem efferuntur, Illustrata crede medicam sunt veritate
tua mendatia, victa temeritas, stultitia confutata, in tu
am ignominiam sempiternam, Scelera ut reor impiam et
impuram mentem tuam tantae insaniae versarunt, ut levi
tia dicacitatis elatus, obloqui, obtrectare, crimina confingere,

flagitia

flagitia falso in Regem impingere, cum ordine sis Sacer
dos, professione Monachus, non horrueris. Nemo itaque
est ex Patribus conscriptis, nemo ex mediocribus, nemo
ex infimis, qui te luce, qui oculis, qui congressu, qui con
spectu dignum putet, velut hominem malevolum, supe
ris atque hominibus invisum, pro facinore itaque cape qua di
gnus es mercedem, et in carcere squalido ac perpetuo,
decreto totius Sacrae huius Synodi, documentum non mul
tae turpitudinis, consenesce. Praedictus autem Joannes
Falkemberg Frater Ordinis Praedicatorum, Diocesis, ci
vitatis et conventus Camynensis, zelo avaritiae et
spe lucri, a Cruciferis persuasus, et suapte, quemadmodum
frequenter asserere solebat, instigatus, Satyram prae
fatam contra Vladislaum Poloniae Regem scripserat. Et
cum processu temporis carceres perpetuos, ad quos uni
versalis Concilij Constantiensis Decreto, favore Martini
Papae quinti vacasset, et ad Magistrum Cruciferorum Or
dinis Paulum de Ruzdorff alta spe alti praemij conse
quendi, e Thorun in Mariemburg venisset, et Paulus
Magister non nisi quatuor Marcis Prutenicis ipsum
salariasset, asserens labores sua Satyrae sibi et Ordini
suo nullum attulisse profectum, Tum ille, ut erat homo
cordatus animi in furorem versus, proiecta ante oculos
Magistri pecunia, multis improperijs et contumelijs in
Magistrum et Ordinem expuitis, beneficio cuiusdam Tho
run, suffocationis aquarum mortem, ad quam destina
tus a Magistro erat, evadens, in Camyen fugit, et
illic novam contra Magistrum et Ordinem Satyram
conscripsit, multo foediorem ea, quam contra Vladi
slaum Poloniae Regem scripserat. Quam in Concilio
Basiliensi publicaturus, Dum ille pergeret, circa Ar
gentinam ab amicis Magistri et Commendatorum Satyra
praefata et omnibus rebus spoliatus est. Ex Concilio Basiliensi
divertens in Legnicza Vratislaviensis Diocesis diem obijt
Multo autem convenientius mihi visum est, quando portenta hu
iusmodi extincta sunt, quam quando exorta, annotare

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS DECIMUS SEPTIMUS.

Celerius solito Vladislaus Poloniae Rex de Lithuania egressus, post Epyphaniae Octavas ad terram Chelmensem in Lubomlya applicuit. Quo ad eum Alexandra soror germana et Semoviti Ducis Masoviae consors, item Elizabeth de Pilczaolim Vincentij de Granow Castellani Nakielensis relicta, cui mirum in modum Vladislaus Poloniae Rex amore afficiebatur, ex composito advenit. Amore autem huiusmodi, quem plerique infascinationem appellabant, praefatus Vladislaus Rex percitus, per medium Alexandrae germanae suae Elizabeth, praedictam de contrahendo secum matrimonio sollicitat. Nec puduit excellentiae rarae Regem, foeminam et assidua Ethicae infirmitatis vexatione languidam, et suam subditam, trium virorum matrimonia, videlicet Joannis Moravi de Myedzywyecz, Visconis Zambor Slisita de Veszemburg, et Vincentij Granowski Castellani Nakielensis iam expertam, multiplicatae quoque prolis ex Vincentio Granowski susceptae exhaustam, et in diebus suis progressam, origine quoque disparem in suum connubium asciuisse, potentiamque regiam, prosperis affluentem successibus, unius mulierculae societati expetita, inclinavisse, maestisque infregisse doloribus. Quo enim illustrior fuerat Rex, eo turpior illi fuit huiusmodi commixtio, quae et apud exteros et proprios gloriam Regis confuderat. Et quamvis huiusmodi matrimonium per tractatus clandestinos tunc habitos ferebatur conclusum, in stricto tamen observabatur arcano, et a Praelatis et Baronibus Regni, qui nullo pacto admisissent Regem in illud prolabi, ignorabatur. Abeuntem autem praedictam Elizabeth Vladislaus Rex Schubis, et notabilibus donis prosequutus est, ut largitionis magnitudo plerosque in suspectum animum verteret. Aliquot postea diebus in terra Chelmensi venationi ferarum dandi operam commoratus, pro diebus Carnisprivij in Sedna pluribus Consiliarijs illuc confluentibus advenit, Sendomiri

am

am deinde ex Jedlna pro Dominica Reminiscere peruenit,
Sub quo tempore nix magna quantitatis descendens et die
bus pluribus terram occupans, blada in locis plurimis Regni
disperdidit, propter quod aestate subsequenti, frumentis male
prouenientibus caristia subsequuta est. Ex Sendomiria di
scedens, Coprziwniczam in die Sancti Benedicti adueniens,
Annae Reginae anniuersarium illic egit. Abinde per nouam
ciuitatem, Tursow, Byecz, Palzol, Fristak, Tirzin, Lan
czuth Elisabeth Granowska duobus diebus illum sumptu
ose in Lanczuth tractante, item per Jaroslaw, Przemysl, Me
dika, Grodek, in Leopolim peruenit, et illic Pascha Domini
celebrauit. Misso autem Joanne Mantzik de Dambrowa
ad Alexandrum Ducem Magnum Litthuaniae, significauit sibi
se matrimonium cum Elisabeth Granowska contraxisse. Quam
rem et nouitatem Vitoldus, etsi molesto amaroque animo ex
cepisset, et foedam non Regi solum, sed et sibi et Domui eorum
ac principatibus assereret, quod et sine suo et Consiliariorum
voluntate perfecta fuerit, et magis nobili connubio potuerat sibi
et principatibus suis Vladislaus Rex maximos profectus
et solatia quaesiuisse, passus tamen est Regem ad ultimum,
propositum suum exequi. Ex Leopoli feria quinta post festum
Paschae Rex digressus per Glinany, Bobrham, Fulsztin,
exinde vero alpibus in Dobyen transitum faciens, Sabato
in die Sanctorum Philippi et Jacobi in Sanok peruenit, Vbi
iussu Regis Joannes Rzeschowski Leopoliensis Archiepisco
pus, Albertus Jastrzambiecz Cracouiensis, Joannes Chel
mensis Episcopi, Cristinus de Ostrow Castellanus, Joannes
de Tarnow Palatinus Cracouiensis, Sbigneus de Brzesce
Regni Poloniae Marsalcus, Petrus Schafraniecz Succamera
rius Cracouiensis, omnium quae illic agi debebant, paucis,
per quos res dirigebatur, consiliis, ignari conuenerant. Ve
nerat insuper et Alexandra Semouiti Masouiae Ducis
consors, et connubii subsequentis conciliatrix, Venerat et
Elizabeth Granowska longe dispar connubium, quam con
ditio in qua nata fuerat, permittebat, die altera sortitura.
Die autem Dominico Sancti Sigismundi Vladislaus Rex

Praelatis

Praelatis et Baronibus in consilium advocatis, de contra-
hendo matrimonio cum Elisabeth Granowska suam illis de-
tegit voluntatem, quod licet singuli improbarent, dedecere
Regiae Excellentiae veterem et subactam matronam, triplex
per prius matrimonium sortitam, iungi non convenire, viden-
tes tamen regium animum fixum esse, et rem variari non pos-
se, partim cedunt, partim annuunt. Celebrata igitur Missa
sub cantu, in Ecclesia Parochiali in Sanok, per Joannem Rze-
schowski Archiepiscopum Leopoliensem, Vladislaus Rex cum
Elisabeth Granowska foemina senectute marcida, aliquot vi-
rorum connubia iam experta, prole insuper numerositati ex-
hausta, matrimonium per verba de praesenti in manibus Jo-
annis Archiepiscop. Leopoliensis consumat. Et licet dies Do-
minica Sancti Sigismundi, in qua haec agebantur, in ortus sui
principio, et usq ad tertiam horam fuisset lucida atq; cla-
ra, Regio tamen contractu matrimoniali perfecto, subito et incon-
tinenti Solis obscurata claritate, caliginosa frigidaq; dies
esse coepit, turbatoq et densato aere, nix, pluvia concreta cum
imbre et vento descendit, et mentes hominum ex contra-
ctu matrimonij praefati, suapte molestas et amaras, ampho-
ri amaritudine adduxit. Transeunte insuper praefata Eli-
sabeth Granowska de Ecclesia in quadriga, contractis
sponsalibus in castrum, rota currus quo vehebatur confra-
cta est, in loco plurimum lubrico et coenoso, cogebaturq fa-
cto descensu ex curru residuum viae pedibus explere, qui-
bus omnibus significabatur molestum Deo et hominibus
connubium, Vladislaum Regem dicto iniisse, et votum il-
lius brevi debere confringi. Neq absre portenta praefa-
ta constat accidisse, cum praefata Granowska Elizabeth
propter cognationem spiritualem, qua genitrix eiusdem Eli-
sabeth et consors Ottonis de Pilcza Palatini Sendomiriensis
Hedwigis, Regem Vladislaum de sacro fonte levaverat, ger-
mana soror, ut erat, Regis debebat censeri. Novum au-
tem huiusmodi in Regno Poloniae vulgatum, plurimis Rem-
publicam zelantibus lacrimas excussit, iam tum deflentib;
fulgorem Regis et Regni sui, qui propter victorias excelsas
superioribus annis gloriose relatas, omnes fere oras Catholi-
cas

cas et barbaras occupauerat, ex vinculo praecipiti et igno
bili connubio contraxisse, et ominantibus multa mala ex illo se
quutura. Nouerant insuper ex Suinkowce matrimonio So
stis et inundos materia praebita Regem et Regnum multipli
citer vexaturos, Nec eos opinio fefellit, Cruciferi enim de Prussia
nouitate Suinkowce percepta, veloci nuntio illam et apud
Concilium Constantiense, et apud Sigismundum Romanorum
et Vngariae Regem, caeterosque Catholicos Reges et Principes
in vituperium Vladislai Regis et Regni diuulgarunt
Oratores vero Regij Ecclesiastici et Saeculares in Concilio
Constantiensi constituti, eiusdem nouitatis denunciationem a
Sigismundo Romanorum Rege primum audita, omnes in la
chrymas et lamenta prorumpunt, et tam Regis sui, quam
commune Regni improperium deplorant. Haec siquidem Eli
sabeth dum patre Ottone Palatino Sendomiriensi de domo
Biperunum mortuo, vnica in haereditate locupleti relicta fu
ret, a Vyszlone Morauo parum notae sortis homine apud
castrum Pileza propter dotis amplitudinem rapta, et in
Morauiam delata est. Quo facinore Jenczik de Herzin
Baro Morauicus de domo Odrowansch comperto, magnitu
dine dotis pellectus, eam velut potentior Vyszloni auferens,
suo matrimonio coniungit. Sed dum Vyszlich apud Cracovi
am commoratus Jenczikonem Herzinski literis, qui in armis
nequibat pro redemptione violatae Pileczka Elizabeth, quam
suam legittimam sponsam propter coniunctionem carnis et
spiritus vocitabat, impeteret, Jenczikonemque adulterum ap
pellaret, nec a Jenczikoni aliquoties contumeliosius probra
in illum fundere desisteret, in Cracouiensi vrbe ex balneo
egressus, in domo quae Spotkomb appellatur, per Jenczi
konem Herzinski cum duodecim balistarijs clandestine vr
bem ingressum, obtruncatur. Libera ex tunc fuit et consortij
et dotis Rege permittente Vladislao possessio, Quo infra
tempus breue obeunte, Spytko de Melsztin Palatinus Cracouiensis
in potestatem suam redactam, cum illum propinqua cogna
tione contingeret, eam propter aliqualem armorum conformitatem
Vincentio de Granow, militibus de domo Biperunum in nobili
tate florentibus, quod homo pauperum opum erat, desponsat, qui splendi
dum coniugium sortitus, si vnum de domo Leliwa genere cepit.

Peractis

Peractis nuptijs Vuladislaus Poloniae Rex ex
Sanok, novam nuptam tristitia prominenti secum ducens, Leopolim,
et exinde per Glinany, Sokolow, Trebowlya, Buczacz in Halicz
pro die Corporis Christi, transijt. Ex Halicz vero itinere retrogrado
in Leopolim rediit, ex Leopoli per Kamionkam transiens, cum Ale-
xandro Vitowdo Duci Magno Lithuaniae in Dobrzetinow supra
fluvium Bug in festo Sancti Joannis Baptistae, Elizabeth Regina
in Leopoli remanente, animum illius propter novum matrimonium
cuius ignominiam in se quoque noverat redundaturam, multipli-
citer molestum, placaturus, convenit. Conventu autem huiusmodi
cum Vitowdo perfunctus, in Glinani rediit, exinde per Drohobicz
et Oßimini venit in Sambor, post se et Regina Elizabeth cum
comitante per Medika, Sosnicze, Lanczuth, Ropczicze, Pilszno,
Biecz, Grybow in novam Sandecz transijt, ubi filia Regia vir-
go Hedvigis angustia plena et maerore ex Cracovia advenit.
De Sandecz per Czorstyn, Nowytarg, Mszana, Dobrzicze, pro
festo Assumptionis Sanctae Mariae in Niepolomicze, ubi se-
ptimanibus exactis, per novam civitatem, Sandomiriam, Szcze-
karzowicze, et Solecz in terram Lublinensem declinat.
Et cum apud Zukowicze ageret, Magistrum Andream de
Kokorzino in Concilium Constantiense, pro impetranda dispen-
satione, ut liceret sibi in contracto cum Elizabeth Granowska
matrimonio, affinitate spirituali non obstante, remanere, transmisit.
Quae multis laboribus et fatigis non sine difficultate ingenti
vix tandem obtenta est, cum potius conveniebat pro divortio,
facti et abominabilis matrimonij, Deo et hominibus exosi,
dissolvendo, omnibus conatibus et studijs laborasse, et non so-
lum ex Regno Poloniae sed etiam ex rerum natura illud eli-
minasse. Dispensationi autem huiusmodi, lex eam dispensa-
tionem cohaerens apposita, ut Elizabeth mortua fas non foret
Regi alteram superducere, quae tamen ut in sequentibus narra-
bimus non fuit custodita.

Ex Zukowicze Vuladislaus Rex in Russiam
divertens, Autumni dies illic egit, coronationemque Elizabeth Re-
ginae pro die Sanctae Elizabeth indixit. Ex Russia pro die San-
cti Martini in Niepolomicze et Cracoviam pro die Sanctae Eli-
zabeth advenit, ubi nequicquam resistentibus et dissuadentibus
fere omnibus Praelatis et Baronibus Regni Poloniae, praecipue

tamen

tamen Sandziwogio de Ostrorog Palatino Poznaniensi, qui resistentiam huiusmodi animosius caeteris persequebatur, Wladislaus Rex novam nuptam suam Elizabeth per Joannem Rzeszowski Archiepiscopum Leopoliensem in Ecclesia Cracoviensi coronari procurat. Coronationem autem huiusmodi, Nicolaus Gnesnensis Archiepiscopus, quod ministerio Archiepiscopi Leopoliensis expleta fuerit, molestius ferens, veritus ne et sua Ecclesia eiusque Praesules processu temporis excluderentur a Primatu, Concilij Constantiensis solemni privilegio et Decreto Primatem se Poloniae Ecclesiae declarari obtinuit, ab eoque tempore ipse et suus quilibet Successor Ecclesiae Gnesnensis inscribit Archiepiscopum et Primatem. Coronatione Elizabeth Reginae consumata, Wladislaus Poloniae Rex ex Cracovia feria sexta in die Sanctae Catherinae, Elizabeth Regina Cracoviae remanente, recedit, et in Lithuaniam solitis Statuonibus descendens, venationibus operam impendens, Natalis Domini festa, apud Grodno egit, et non nisi pro Carnisprivio in Jedlna Reginae Elizabeth illi occurrenti rediit.

Scissam Ecclesiam Dei tempore diuturno, et contendentium de Papatu tam ambitione quam malignitate, Constantiensis Sinodus summopere reunire gestiens, omnes tres de Papatu contendentes et pro Summis Pontificibus se gerentes, videlicet Balthasarum de Cossa, Joannem XXIIJ, Petrum de Luna Benedictum XIIJ, et Angelum de Corario Gregorium nonum in suis obedientijs appellatos, quoniam stabilem et integram unionem aliter intelligebat sequi non posse, deponere et amovere instituit. Unde et praedictum Balthasarum Joannem XXIII, qui Concilium Constantiense inchoans, personaliter in illo praesidebat, monet et obsecrat, quatenus pro unione Ecclesiae Dei, quemadmodum per inscriptionem manus propriae et corporali Sacramento se voluntarie constrinxerat Papatui renunciet. Qui amaram et ignominiosam cessionem sibi indicans, renunciare, pollicitationis suae oblitus, recusans, clandestino amictu velatus de Constancia, Ducis Austriae Friderici fretus suffragio, ut in superioribus monstravimus, diffugit, ordinatione autem Concilij et Sigismundi Romanorum et Ungariae

gariae Regis apud Oppidum Loffemberg in fuga capitur,
et in castro Hotzlyeben dicto supra Renum reponitur captiua
tus, et sententia Concilij deponitur cum annis quatuor in Papatu
sedisset. Angelus vero de Corario Gregorius nonus, vnionem
Ecclesiae zelatus, consanguineum suum Pandulphum de Mala
testis in Concilium Constantiense transmittit, qui in congregatione
generali assumpto Themate; facta est cum Angelo multitudo
militiae caelestis exercitus, oratione diserta et graui vsus, no
mine et potestate eiusdem Gregorij noni, omni iuri et titulo si
quod sibi in Papatu competebat et renunciauit et cessit, qui an
nis duodecim se Papam gesserat, et omnes Cardinales per eum
creatos, in suis dignitatibus remanere, dictoque Gregorio nono pro
missionem ex bonis Ecclesiae Romanae statui suo congruentem,
Marchiam videlicet Anchonitanam fieri et inscribi obtinuit.
Ad procurandam autem renunciationem Petri de Luna Sigi
smundus Romanorum Rex a Patribus Concilij singula quam
modestissime agi satagentibus, rogatus, ad Regem Aragonum
Fernandum, vsque in Parpinianum abiens in suo comitatu plures
Praelatos, Doctores, et milites, et inter alios Zawischium nigrum
de Garbow militem Polonum, qui apud Parpinianum, militem
insignem de Aragonia Joannem in certamine singulari, Rege v
troque inspectante vicerat, fatigauit. Instante autem Sigismundo
Romanorum et Vngariae Rege Petrus de Luna, Benedictus
tredecimus, cum Ferdinando Aragonum Rege in pompa ma
gna et Cardinalium, Praelatorum, et militum suae obedientiae
multitudine aduenit. Vbi dum pluribus diebus et varijs in
genijs et tractatibus ad cessionem Petrus de Luna persuade
retur, vniuersis tamen honestissimis medijs, quae sibi per Sigi
smundum Romanorum et Vngariae Regem, Patresque Concilij
fuere oblata, contemptis, nullatenus se de Papatu indicauit
cessurum, asserens se verum et legitimum Pontificem, sine cu
ius authoritate Synodus generalis neque celebrari, neque po
rat indici. In obstinato itaque spiritu ex Parpiniano discedens et
in castrum fortissimum Paniscolam Dertusensis Dioecesis, quod
de proprietate fratrum Joannitarum fuerat supra mare situm se
conferens, reliquam in illo etiam post vnitam Ecclesiam se
aetatem, se quoque pertinaciter pro Papa etiam in mortis exegit
gessit. Deserunt autem illum Fernandus Aragonum Rex et
obedientia

obedientia illi subtracta Concilio Constantiensi sub certis articu
lis, per quos providebatur ut omnes per Petrum de Luna promoti
in suis dignitatibus et officiis remanerent, adhaesit. Quapro
pter Cardinales Petri de Luna suo Papa deserto, ad Constantiam
advenientes, pro Cardinalibus et accepti et habiti sunt

Modestiam suam Synodus Constantiensis
apud Petrum de Luna nullum profectum attulisse perpendens,
rigorem iustitiae in eum extendit. Et processu iudiciario instau
rato, ipsum per sententiam diffinitivam et omni honore digni
tate et officio privat, sententiamque huiusmodi in Sessione gene
rali vicesima sexta die mensis Julii pronunciat et publicat.
Deinde ex omnibus nationibus praelatos insigniores legens
cum Cardinalibus, qui ex tribus obedientiis in unum fuerant
collegium uniti, ad conclave ingredi procurat, futuri Summi
Pontificis electionem perfecturos. Et licet Nicolaus Archie
piscopus Gnesnensis plures voces Cardinalium et Praelato
rum, in electione huiusmodi sortitus fuisset, ab omnibus ta
men Oddoni de Columna Cardinali cessit, qui ex huiusmodi
cessione, vocibus contra singulos alios praevalens, in die San
cti Martini in Papam concorditer electus et publicatus est,
et Martinus quintus appellatus. Sequenti autem die Domi
nica, in Praesbiterum primum ordinatus, deinde in Episcopum
et Papam consecratus, Regibus et Principibus Catholicis, et
inter alios Vladislao Poloniae Regi cui singulari afficiebatur
favore, suam electionem et assumptionem in summum Pontifi
cium per literas et nuntios significavit. Pertulit autem a Con
stantiensi Synodo Albertus Jastrzambiec graves vexatio
nes, quibus illum, instigantibus nonnullis Angliae et Hispa
niarum Episcopis, depositionem a Cracoviensis Episcopatus
sede, Petri Wysz, amicis faventibus, et familiaritati
nimia in Synodi Concilio eidem Petro Wysz Episcopo conniv
entis, personalem comparitionem facere iubebat. Vladislao
tamen Rege Poloniae pro eo apud Synodum per literas et
Nuncios interveniente, et vexatio et comparitio, praesertim
cum Petrus Wysz Episcopus dudum diem obiisset illi re
missa est. Verum a gravibus personis Concilii, vulgaris
et constans opinio ferebatur, Petrum Wysz Episcopum Con
cilii Constantiensis authoritate, si in id tempus vixisset, ad
Cracoviensem sedem, a qua per iniuriam deiectus credebatur,
plenum

plenam restitutionem oportuisse sortiri. Depositionis autem sen-
tentiam in Petrum de Luna Benedictum tredecimum, a Sinodo
Constantiensi latam, pro futurorum memoria ampliori etiam huic
operi nostro duximus inserendam

Petri de Luna depositio a Papatu per Concilij Constantiensis Sententiam

De vultu eius hoc iudicium prodeat, qui sedet
in throno, et ex cuius ore procedit gladius bis
acutus, cuius statera iusta est, et aequa sunt pon-
dera, qui venturus est iudicare vivos et mortuos,
Domini Jesu Christi. Amen.

Iustus dominus et iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus
eius, vultus quidem Domini super facientes mala, ut perdat
de terra memoriam eorum, Pereat, inquit, Sanctus propheta,
memoria illius, qui non est recordatus facere misericordiam,
et qui persequutus est hominem inopem et mendicum. Quanto
magis pereat illius, qui omnes homines et Ecclesiam universa-
lem persequutus est et turbavit, Petri de Luna, Benedicti tredecimi
a nonnullis nuncupati, Qui quantum in Ecclesiam Dei et uni-
versum populum Christianum peccavit, Scisma, et divisionem
Ecclesiae fovendo, nutriendo, atque continuando, quantisque quamque
frequentibus, devotis, et humilibus, Regum, Principum, et Praela-
torum precibus, charitative iuxta doctrinam Evangelicam ad-
monitus fuerit, ut pacem daret Ecclesiae, ut illius sanaret vul-
nera, et eius partes divisas in unam compaginem et corpus unum
reduceret, quemadmodum ipse iuraverat, eratque et deinde fuit in
sua potestate, quos tamen charitative corripientes nullatenus
voluit exaudire, quot sunt postmodum testes adhibiti, quibus
etiam minime exauditis, necesse fuit secundum dictam Christi
Evangelicamque doctrinam dicere Ecclesiae, quam quia etiam non
audivit, habendus sit tanquam ethnicus et publicanus, capitula
in causa inquisitionis fidei et Scismatis coram praesenti San-
cta generali Synodo, super praemissis et aliis contra eum oblata
ac illorum veritas et notorietas declarant manifeste. Super
quibus rite et Canonice processu, et omnibus rite actis et diligen-
ter inspectis, habitaque super illis deliberatione matura, eadem
Sancta generalis Synodus, universalem Ecclesiam repraesentans
in dicta inquisitionis causa pro tribunali sedens, pronunciat,
decernit, et declarat, per hanc diffinitivam sententiam in his
scriptis, eundem Petrum de Luna Benedictum tredecimum
ut praemittitur nuncupatum, fuisse et esse periurum, universalis

Ecclesiae

Ecclesiae scandalizatorem, fautorem et nutritorem inveterati Sci-
smatis et inveteratae scissurae et divisionis Ecclesiae Sanctae Dei, Pa-
cis et unionis eiusdem Ecclesiae impeditorem, et turbatorem, Sci-
smaticum, et Haereticum, fidei devium et articulorum fidei unius
Sanctae Catholicae Ecclesiae violatorem pertinacem, cum scandalo
Ecclesiae Dei incorrigibilem, notorium et manifestum, omni ti-
tulo, gradu, honore, et dignitate se reddidisse indignum, a Deo e-
iectum et praecisum, et omni iure eidem in Papatu et Romano
Pontificio et Romanae Ecclesiae quomodolibet competenti, ipso iu-
re privatum, et ab omni Ecclesia Catholica tanquam mem-
brum aridum et praecisum. Ipsumque Petrum quatenus de
facto Papatum secumdum se tenet, eadem Sancta Synodus Pa-
patu et summo Ecclesiae Romanae Pontificio, omnique titulo, gra-
du, honore, dignitatibus, beneficiis, et officiis quibuscunque ad
omnem cautelam, privat, deponit, et abiicit. Eidemque inhibet,
ne deinceps pro Papa aut Romano et Summo Pontifice se gerat,
Omnesque Christicolas ab eius obedientia et omni debito obedi-
entiae ipsius atque iuramentis et obligationibus eidem quomo-
dolibet praestitis absolvit, absolutos esse declarat. Ac omnibus
et singulis Christi fidelibus inhibet, sub poenis fautoriae Scisma-
tis, et haeresis, atque privationis omnium beneficiorum, digni-
tatum, et honorum Ecclesiasticorum et mundanorum, et aliis
poenis iuris etiam si Episcopalis, Patriarchalis, Cardinala-
tus, Regalis sit dignitatis aut Imperialis, quibus si con-
tra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate huius De-
creti et sententiae ipso facto privati, et alias iuris incurrant
poenas, ne eidem Petro de Luna Scismatico et Haeretico in-
corrigibili, notorio declarato et deposito, tanquam Papae obe-
diant, pareant, vel intendant, aut eum quovis modo con-
tra praemissa sustineant vel receptent, sibive praestent au-
xilium, consilium, vel favorem. Declarat insuper et decer-
nit, omnes et singulas inhibitiones, omnesque processus, senten-
tias, constitutiones, et censuras, et alia quaecunque per eum fa-
ctos, factas, et facta, quae possent praemissis obviare, irritos, ir-
ritas, et irrita, atque in irritum revocat et annullat, ceteris
poenis, quas in praemissis casibus iura statuerunt semper salvis.

Vuenceslao Vuratislawiensi Episcopo
de sede sua, quam annos quinque et triginta rexerat, sponte re-
cedenti, Conradus vocatus Senior Olsnicensis et Slesiae Dux
a Martino Papa quinto, supplicante Sigismundo Romanorum
et

et Ungariae Regi et Capitulo Wratislaviensi, ad Wratislaviensem Ecclesiam promotus et ordinatus est, et apud Otmuchow in Ecclesia Sancti Vincentij in Episcopum conservatus. Venceslaus autem Episcopus praefatus, renunciatione facta, saluti suae consuluit

Dissolucione Constanciensis Concilij

appetente Martinus Papa quintus, prout creditum est ad importunitatem Cruciferorum de Prussia circumventus, sententiam damnationis Joannis Falkemberg Monachi Ordinis Praedicatorum, per Concilium Constantiense concorditer, priusquam Martinus in Papam eligeretur, editam, infirmare et moderari contendit. Instantibus siquidem Oratoribus Wladislai Poloniae Regis, ut sententiae Concilij suam confirmationem adijceret, nullatenus ad illius confirmationem simpliciter poterat persuaderi, quamvis Cardinalis existens se ei manu propria subscripserit. Nitebatur siquidem praefatus Martinus Papa, verba sententiae quae sequuntur, videlicet Libellus erroneus et haeresi plenus, abrogare ex sententia, et abrogatorum locum alijs verbis, videlicet Libellus falsus et piarum aurium offensivus, supplere. Propter quod Ambasiatores Regij in Martinum Papam vehementer irati fremunt, et ab electione eius in Papam, atque a denegatione confirmationis sententiae huiusmodi, ad futurum Concilium pro decennio apud Basileam indictum, nomine Regis et Regni, pro rem sine exemplo iusta ira impellente, admittere ausi, provocant et appellant. Appellationemque in Congregationis medio, Martino Papae insinuaturi, Saeculares tantummodo Ambasiatores, Ecclesiasticis se intra domos continentibus, in notabili et insolita comitiva armati, seditionem enim verebantur, et dimicare et mori pro honore Regis sui et Regni, si vis aliqua inferretur, parati, ad Ecclesiam in qua Sessio agebatur, advenerunt. Turbatur itaque concio universa de lite et appellatione nova, sed et Martinus Papa ingenti affligebatur et dolore et rubore, propter quod Patres Concilij Scisma extinctum suscitatum iri veriti, de pace agendum duxerunt, Martinumque Papam ad sententiam Concilij contra Joannem Falkemberg latam confirmandam impellunt, et Ambasiatores Poloniae Regis tum efficaciter illi reconciliant, ut reconciliatio ipsa et Martino Papae et Regijs Ambasiatoribus lacrimas excuteret, graves indignationis aculeos assumpsisse testata. Ad instantiam denique Ambasiatorum

torum Poloniæ Regis Martinus Papa ex Constantia discedens Joannem Falkemberg secum in urbem duxit, et vinctum annis multis Romæ tenuit, quem postmodum de Regis beneplacito et annuentia quod languidatus et extenuatus foret, de carceribus, tractum tamen prius in publicum libelli a se editi revocationem dimisit. Qui indignatione et furore contra Cruciferos quod eius liberationem sollicitare destiterant actus, gravem Satyram in eorum infamiam et vituperium conscripsit, plurimasque turpitudines et vitia inserens, quam acerbissime in illos et dictus et invectus est. Revocationis autem suæ tenor sequitur et est talis

Revocatio Joannis Falkemberg Monachi Ordinis Prædicatorum, nomine Satyræ, in Vuladislaum Jagillonem in lucem editæ

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legittime congregata universalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Dudum oblato coram Commissarijs nostris in causis fidei quodam tractatulo seu libello a Fratre Joanne Falkemberg Ordinis Prædicatorum composito, qui libellus sic incipit Universis Regibus et Principibus cæterisque Prælatis sive Ecclesiasticis sive sæcularibus, et generaliter omnibus qui Christiani nominis insigniri meruerunt titulo, et sic finitur, quatenus pro exterminio Polonorum et eorum Regis Jagel valeant vitam capessere æternam, quam nobis et omnibus qui ad Polonorum et eorum Regis Jagel exterminium fideliter se accinxerint, conferre dignetur Jesus Christus in sæcula benedictus amen. Explicit Satyra contra hæreses et cetera nephanda Polonorum et eorum Regis Jagel fideliter conscripta. Quia post diligentem examinationem dicti libelli et contentorum in eodem, et eiusdem fratris Joannis per eosdem Commissarios nostros factam, servatis servandis circa hoc, compertum est, quod dictus tractatulus seu libellus continet in se plura, in fide et bonis moribus erronea, scandalosa, seditiosa, crudelia, iniuriosa, impia, et piarum aurium offensiva, Sari

tiralia

tralia, et Haeresim sapientia, et praecipue infrascripta, quae in dicto
tractatulo seu libello contextualiter inter caetera continentur, videli
cet, quod Rex Polonorum cum sit malus praesidens, est idolum, et
omnes Poloni sunt Idolatrae, et serviunt idolo suo Jagel. Item dicit
quod Poloni et eorum Rex sunt odibiles Haeretici et impudici canes
reversi ad vomitum suae infidelitatis, et ergo securissime omnes non
solum principes saeculi, verumetiam inferiores qui ad Polonorum
et eorum Regis exterminium se accinxerint, ex charitate, vitam
merentur aeternam. Item dicit quod indere Polonos et eorum
Regem propter periculum quod ab eis timetur Ecclesiae futurum,
etiam antiquam dissidium faciant, caeteris paribus, magis me
ritorium est occidere quam Paganos. Item dicit quod omni
submoto dubio, belli certamine, quo pro defensione Christianorum
ex charitate suscepto, principes saeculi Polonos et eorum Re
gem occidunt, regna merentur caelestia. Item dicit, quod
pestifera Universitas Polonorum, cuius Jagel caput est, tota
obnoxia, quia peccatum Haereseos totam invasit, ab Ecclesia re
cessit, et omnes ex ea sunt vehementer contra Ecclesiam insur
gere, quare si valueret sanguinem Christianorum effunderet, et
Haereseos suae venena ad tabefaciendum membra Ecclesiae trans
funderet, et ergo principes saeculi ultionis gladio tenentur absq
omni dissimulatione, Polonos omnes cum eorum Rege vel maio
rem partem extinguere, vel principes eorum et nobiles omnes
in patibulis contra Solem suspendere. Item dicit quod ex prin
cipibus saeculi qui sunt idonei et ratione et potestate, Polonos et
eorum Regem Jagel non reprimunt, sed dimittunt in Christia
nos debacchari, supplicio merentur gehennae cum eius mancipio
in aeternum vapulari. Item dicit quod principes saeculi cri
mina Polonorum et eorum Regis Jagel possunt corrigere et
emendare et negligunt, et ideo eorum procul dubio culpam
habent, criminaq committunt, et in aeternum merentur va
pulari. Item dicit quod principes saeculi, Prelati, omni Po
loni et eorum Rex Jagel digni sunt morte aeterna, consense
runt, quia tacuerunt, cum potuerunt eos impedire, aut
redarguere, et ergo pariter digni sunt morte aeterna. Item
dicit, quod qui in bellis, Polonis et eorum Regi Jagel
contra Christianos auxilium praebuerint, et sunt occisi, de
scenderunt ad amaritudinem aeternae damnationis, et qui
superstites vivunt et non sunt conversi per poenitentiam,

omnes

omnes laborant statu damnationis, et extra mortis pericu
lum non possunt absolutionis beneficium sine speciali mandato
Papae obtinere. Item dicit, quod iniuriam, quam Poloni et eo
rum Rex, Ecclesiae irrogaverunt, non possunt sine offensa Dei
dissimulare multam, et ergo absque omni relaxatione calu
mnia, in Polonos et eorum Regem tenentur indispensabili
ter iniuriam Dei morte vindicare. Item dicit quod Princi
pes saeculi tenentur exercitibus, sacrilegos homines Polonos
et eorum Regem de terra perdere. Propter ista et alia
multa in dicto tractatu contenta, in fide et bonis moribus
erronea, scandalosa, seditiosa, crudelia, iniuriosa, impia,
ac piarum aurium offensiva, et quorum alia, et spiritua
liter Conclusio dicti tractatus, ~~sunt~~ haereticalia sunt et
quaedam haeresim sapientia, haec Sacrosancta Synodus
maturo habito consilio, Christi nomine invocato, damnat
tractatulum seu libellum praedictum, tanquam in fide et
bonis moribus erroneum, scandalosum, seditiosum, crudelem,
iniuriosum, impium, ac piarum aurium offensivum, et etiam
haereticalem, et reprobat omnino, decernitque ipsum tanquam
talem cremandum fore, et iubet concremari; Districte
inhibens sub anathematis interminatione, et aliis iuris
poenis, ne quis dictum tractatulum seu libellum et conten
ta in eodem audeat de caetero dogmatizare, asserere, ap
probare, defendere, vel tenere. Committens Commissariis
praedictis, quatenus dicto fratri Joanni, dicti tractatuli seu
libelli ut praemittitur compositori, tanquam humiliter se subii
cienti eisdem, et eum eodem propter humilem subiectionem
praemissam iure agentis poenitentiam salutarem impo
nant, prout secundum Deum, iuxta delicti qualitatem,
attentis etiam his, quae secundum Sacram Scripturam
et Sacros Canones in huiusmodi negotio attendenda vi
derint, et censuram ipsam in toto expediant, sine ulte
riori relatione ad ipsum Concilium amplius facienda, pro
curantque in praemissis ut salubriter debita reverentia Ca
tholicae fidei, honor Regis et Regni Poloniae, quod constat esse
notabile membrum Ecclesiae militantis prout secundum Deum vi
derint expedire. Datum Constantiae tertio nonas Iunii Anno
incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo decimo septimo

Archiepiscopus Leopoliensis Joannes Rzeszowski mandatum Concilij Constantiensis, sibi et Petro Vilnensi Episcopo factum executurus, in Lithuaniam Vladislao Poloniae Regi illic personaliter agenti advenit, et iuxta eiusdem Concilij instructiones et mandata Cathedralem Ecclesiam sub titulo Sanctorum Alexandri, Quentij et Theodori, in terra Samogitarum in loco Miedniki una simul cum Petro Vilnensi Episcopo erigit et fundat, dote sufficienti sibi per primus per Vladislaum Poloniae Regem assignata. Vladislaus insuper Poloniae Rex fundat et dotat pro ea vice duodecim Parochiales Ecclesias in Samogitia, iuxta numerum districtuum, et in quolibet districtu unam erigit et collocat, rectoresque eorum in Ecclesia Cathedrali Miedniciensi gerere Canonicalem titulum, stallum, vocem, et votum disponit. Miedniciensi autem Ecclesiae Cathedrali primus Matthias origine Alemannus, in Vilno tamen natus, quod linguam et Samogiticam noverat, praefectus est, et consecratus. Duodecim insuper Sacerdotibus omnibus natione Polonis, zelum pro amplitudine fidei habentibus, duodecim Parochiales Ecclesiae Samogiticae commissae, quibus Vladislaus Poloniae Rex et certi Praelati ex Regno Poloniae singulis annis in pecunijs libris et vestibus liberalia praestabant in fidei Sanctae favorem suffragia. Tunc insuper omnis residuitas gentis Samogiticae ad numerum Catholicorum, et fidei Christianae idemnitatem accessit, et a Joanne Archiepiscopo Leopoliensi, et Petro Episcopo Vilnensi in fide Orthodoxa instructa, atque baptismatis unda renata est. De his autem omnibus Concilium Constantiense et Martinus Papa literis Regijs et duorum Leopoliensis et Vilnensis Pontificum informatum immenso replebantur gaudio, et tam gratissimum nuncium in omnes Catholici orbis angulos diffundebat. Sed et Martinus Papa Vladislai Poloniae Regis devotionem et zelum efferens literas illi transmisit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS.

Christi

Christi natalitio apud Grodno exacto, Vladislaus
Poloniae Rex in Poloniae Regnum ex Litthuania reversus, Car-
nisprivij dies in Jedlna cum Elizabeth Poloniae Regina egit
Quibus transactis per Sendomiriam, Novam civitatem,
Visliciam, Mechow, Jarnowiecz, Vielun, Siradiam,
Elisabeth Regina in Cracoviam remissa in maiorem Polo-
niam transiens Pascha Domini apud Calisz celebravit
Ex Calisz vero processit in Konin, Radziejow, et Brzescie,
Et Elisabeth Regina ad illum in Brzescie venientes, soli-
tis vijs in terram Dobrzinensem, et pro festo Pente-
costes in Juniwladislaviam processit. Ex Juniwladislavia
pro festo Corporis Christi in Zninam, abinde vero in Gne-
snam venit, quo iam suo iussu Praelati et Barones Re-
gni in frequenti numero convenerant. In quorum audi-
entia Rex libellum Joannis Falkemberg Satiricum
in vulgari Polonico legi mandavit, ut eius continentia
audita consulerent si quid pro honore Regis et Regni ul-
tra ea quae Regij Ambasiatores Constantiae effece-
runt, instaurari expediret. Consultum autem fuit ut
scripturam falsam, mendosam, et erroneam, Vladislaus
Rex leniter et perfunctorie ferret, neque de illa velut ab
homine levi et contemptibili edita, gravem faceret estima-
tionem, praesertim cum libellus praefatus authoritate
universalis Ecclesiae et Apostolica fuisset damnatus, et
author suis digna mulcta punitus. Quod si nihilomi-
nus liberet contradictione praefati libelli altius aliquid
refellere, subornaret et Rex alium Monachum aeque
impudentem cum Joanne Falkemberg de pari litem
et improperia conserturum. Ex Gnesna processit Rex
in Lobusska, ubi Ambasiatores suos videlicet Nico-
laum Gnesnensem Archiepiscopum, Laskarium
Posnaniensem, Jacobum Plocensem, Joannem Crapidlo
Vladislaviensem Episcopos, singulos cappas rubeas
Scarlatinas, capellos vero nigros gestantes, item Janus-
sium de Tuliszkowo Castellanum Calisiensem, Za-
wissius enim niger de Garbow Sigismundum Roma-
norum et Ungariae Regem sequutus non venerat, redeun-
tes

tes, honoraturus, illis cum Elisabeth Regina et universa curia in obviam processit, et eos benigno et hilari vultu excepit. Illisque consultantibus conventionem generalem pro festo Sancti Jacobi in Lancicia, rebus plurimis per eosdem Ambasiatores cum Romanorum Rege in Constantia practicatis, et de ampliori Joannis Falkemberg Monachi punitione promissurus, indixit. Ex Lobzenszka venit Rex Posnaniam, Kostin, Srzem, Szroda, et in die Beatae Mariae Magdalenae in Pysdri pervenit, abinde vero per loca solita in Lanciciam ad tenendum generalem conventionem transiit

Dux Magnus Litthuaniae Alexan

der Vitholdus de Duce Boleslao Switrigal germano Vladislai Poloniae Regis assidua suspicione vexatus, ne in necem suam, aut de Ducatu magno exclusionem, cum Ducibus et nobilibus Russiae, miro modo illum, quod vitam eorum efferret, colentibus, conspiraret, captivans eum in locis plurimis, ad extremum tandem in castro Crzemieniecz eius proditionem pertimescens, de manibus Ruthenorum accipiens, Conrado Frankemberg militi Polono dat in tenentam. Qui non secus quam vir bonus et rectus praefatum Boleslaum Switrigal benigne et humane tenuit, et singulos Ruthenorum principes et nobiles in suum contubernium, oblitus et suae et illius quem asservabat sortis, admisit, credens illos pro tanta benevolentia et humanitate nihil mali in se et castrum sibi commendatum molituros. Verum Boleslaus Switrigal conspiratione cum Ruthenis inita, in Parasceve Domini in nocte, fraudem, de qua inter eum et Ruthenos convenerat explevit. Ruthenis siquidem in frequenti numero videlicet Daszkone Alexandro Nosso Ducibus, et aliis ascendentibus per murum scalam et in castrum irrumpentibus, Dux Boleslaus Switrigal solutus est, et rumor ingens in castro exortus. Quem Conradus Frankemberg arcis praefectus secuturus, et fugam Ducis Switrigali inhibiturus, gladio et clypeo accinctus accurrit, sed a multitudine Ruthenorum occupatus obtruncatur. Dux quoque Switrigal arce libere potitur. Quam retinere non audens, de castro se cum suis erumpentibus evolvit, et ad Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem

gem, potentiam et tyrannidem Alexandri Vuithaudi per timescens, benigne a Sigismundo Rege susceptus habitus et tractatus, diffugit.

Decima nona July Communitas civium Vratislaviensium iamdudum in Consules gravi offensione irata, in Praetorium effractis ostijs irrumpens, sex Consules, videlicet Joannem Sax, Henricum Schmets, Freibelh, Nicolaum Fey Steylych, Joannem Stello, et Nicolaum Neumarkt, nulla iudiciaria inquisitione praemissa decapitat, et Joannem Megerlin unum ex communitate, quod illum cum Consulibus sensisse noverat, ex turri Praetorij praecipitat. Ea etiam tyrannide in Consules usa, ut spoliatos illos, omniq amictu nudos, colloquio etiam uxorum et necessariorum quod flagitabant interdicto, ad supplicium duci, in manus eorum devinctos constrinxit. Ob hoc ut asseritur in Consules fremens, quod frequentibus tributis et exactionibus, de quibus rationem non reddebant, eam multipliciter gravaverint.

Dominica die in vigilia Sancti Jacobi Apostoli Vladislaus Poloniae Rex Lanciciam perveniens, et cum Praelatis, et Baronibus Regni sui conventum agens, super libello Joannis Falkemberg, Satyram et infamiam suam, et Regni sui continente, et authore eius quid amplius facto opus sit deliberat. Et post varias deliberationes Martino Papae scribit rogans et requirens illum, quatenus Joannem Falkemberg universalis Synodi Constantiensis sententia damnatum, saeculari relinquens potestati cremandum illum cum sua Satyra ignibus decerneret, Papa autem Martinus non igni quidem hominem scelestum, sed squalido carceri et macerationi in quo diuturnos cruciatus pertulit, addixit. Mittit insuper ex Lanciciensi Dieta Vladislaus Rex Matthiam de Labischin Palatinum Brestensem, Petrum Schafraniecz Succamerarium Cracoviensem, et Martinum de Rowo regium notarium in Lithuaniam, cum Alexandro Vuithaudo

thuanio Duci Magno Litthuaniae vias et modos competentes, quibus Dux Bolislaus Switrigal germanus Regius ex Ungaria posset reduci, et ipsi Duci Alexandro Vithaudo reconciliari, practicaturos. Annuit autem Dux Alexander Vithaudus reversionem sua et per litteras salvi conductus libertatem redeundi concessit, reversumque favorabiliter exceptum et benigne pertractatum, terras Russiae videlicet Bransko, et Sywiorsko, Nowogrodek sibi concessit, in tenutam, in quibus usque ad Ducis Alexandri Vithaudi obitum immorabatur.

Die Solis prima Augusti Anna Ducissa Ducis Magni Litthuaniae Alexandri consors in Troki moritur, et in Vilnensi Ecclesia sepelitur, cuius mortem Ducem Alexandrum Vithaudum amare quidem sed brevi tempore constat luxisse.

Ex Dieta Lanciciensi Vladislaus Poloniae Rex discedens, pro festo Assumptionis Sanctae Mariae venit in Przedborz, exinde per Wisliciam, Novam civitatem, Sandomiriam, Przeszow, in terram Lublinensem declinavit. Ex Skoky autem cum Regina Elisabeth in Litthuaniam, Albertum Iastrzambiecz Cracoviensem Episcopum, et Ioannem de Tarnow Palatinum Cracoviensem habens in suo comitatu, in crastino Sancti Michaelis processit. Conventionem autem cum Magistro Prussiae pro concludenda pace perpetua in Vigolunya pro die Sanctae Hedvigis celebraturus, navibus in Dubno ascensis, Grodno applicuerunt, quo iam Consiliarii Regni Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis, Ioannes Cropidlo Episcopus Vladislaviensis, Sandivogius de Ostrorog Palatinus Posnaniensis, et alii Barones Regni convenerant. Ex Grodno Vladislaus Rex processit cum Elisabeth Regina, Praelatisque et Baronibus Regni versus Kowno itinere navali. Cui in Derszunszki venienti Alexander Vithaudus Dux Magnus Litthuaniae occurrit, et tam Regem et Reginam, quam Praelatos et Barones Regni excepit.

Elisabeth

+

Elizabeth autem Regina in Howro remanente, in Vyelunyam perventum est. Et Dieta pro confectione pacis perpetuae cum Magistro Prussiae fratre Michaele Kochmeister, qui et ipse cum frequenti Consiliariorum numero advenerat, habita. Tractatu autem vario in plures dies extenso, nulla poterat unquam conclusio ad pacem captari, propter quod sine fine a parte utraque discessum est.

In Trolky ex Vyelunya Wladislaus cum Alexandro Vitholdo reversus, Praelatis et Baronibus in Poloniam redire iussis, ipse in Lithuania remansit, et die Dominico ante Sanctae Elizabeth in Grodno cum Elizabeth Regina, et Alexandro Vitholdo pervenit. Cumque die illa Alexander Vitholdus Magnus Lithuaniae Dux matrimonium cum Juliana Ducis Iwan Holszanski relicta, intendens, frequenti suorum Principum et Baronum caetu accersito, Petrum Vilnensem Episcopum, ut sibi publice desponsaret, requisisset, negavit Petrus Episcopus coniugium illud suo ministerio publicae honestatis iustitia impediente, prior enim Anna subsequentis Julianae germana matertera extabat, absque Sedis Apostolicae dispensatione se expleturum, Cumque nec prece, neque terrore vir et Pontifex rarae constantiae in id faciendum flecti posset, Joannes Cropidlo Wladislaviensis Episcopus desponsationem praedictam Canonibus sanctis prohibitam explevit, diebusque sequentibus nuptiarum celebritas habita est.

Nuptijs Ducis Magni Alexandri apud Grodno expletis, Elisabeth Regina in Cracoviam divertente, Wladislaus Poloniae Rex mansionem in Lithuania continuans, in Trolky reversus est, et solitis venationibus usus in Mercz veniens, festum Natalis Christi illic egit. quibus exactis in venationum loca Vingri appellata et ultra Nyemyen sita se transtulerat, Ubi ad eum Commendator de Roshimberk tribus militibus

comitatus

comitatus, in Ducis Cruciferorum Commendatarium venit, Simulat quidem le gationem Supremi Magistri perferens, re autem vera quantas gentis Rex secum haberet, explorans, quingentos enim equites in certo loco dimissos occupari Regem exploratione perfecta nitebatur. Rex autem suspectum habens praefati Commendatoris adventum, extemplo de Vingri discessum faciens, et in Jancza perveniens, dum ab exploratoribus quos explorantum miserat, structas sibi a Cruciferis periculosas insidias didicisset, nocte insequenti duodecim milliaria conficiens, ad locum qui Metis appellatur venit, exinde in Grodno procedens post in Poloniam transijt.

Tartarorum Caesar Heremberden morte patris sui Tolthanzeledin, qui et Vladislaum Poloniae Regem et Alexandrum Vuithaudum in singulis expeditionibus strenue iuverat, sequuta, in patrium solum currens, hostilia in Alexandrum Vuithaudum et Principatus suos molliri, Alexandri amicitia contempta coepit. Cui vicissitudinariam hostilitatem Vuithaudus ostensurus, et ex imperio illum derecturus, alium Principem Tartarorum Bethsubulan in Imperatorem apud Vilnam sceptro et purpura aurea vestitum, creat, constituit, et ordinat, et gentibus quae illum sequebantur, alias suas gentes Tartareas adiungens, ad dimicandum contra Heremberden hostem suum transmittit. Pugna autem atroci inter utrumque conserta, Bethsubulan cum sua gente succubuit, et a Heremberden victus capite etiam truncatus est. Non post multos deinde dies et ipse Heremberden a fratre suo germano Jeremferden occisus imperium occupavit, maiorique prudentia usus Ducem Magnum Alexandrum non secus quam suus genitor coluit, propter quod thronus suus Duci Alexandro adhaesione et amicitia fuit clarus stabilitus, et ipse Jeremferden singulas expeditiones cum Alexandro Vuithaudo in quosvis hostes obibat.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS DECIMVS NONVS

Vladislaus

Wladislaus Poloniae Rex ex Litthuania reversus, Carnispri
vij diebus apud Jedlna exactis, Elisabeth Regina ab aegri
tudine quam habuerat priusquam thoro Regio iungeretur, vali
dius grassante, vexata Cracoviae decumbente, in Sendomiriam,
deinde in novam civitatem processit, quo ad illum velox Si
gismundi Romanorum et Vngariae Regis nuncius cum li
teris, magnopere ut secum apud Szczyrzycensium oram con
ventum tenere dignaretur, oblatus est. Cuius precibus Wla
dislaus Rex motus venire consensit, et aliquot diebus apud
novam civitatem absumptis, ad tenendum huiusmodi cum
Sigismundo Romanorum Rege conventum, cum frequenti et
splendida militum suorum caterva, per Vuoinicz, Czchow,
Tuchow, et Sandecz processit. Et pro die Dominica Oculi
in Lubowlya perveniens, nuncios Apostolicos Jacobum
de Campulo Spoletanum, et Fernandum de Hispania Lucen
sem Episcopos, per Martinum Papam, rogatu et instigatio
ne Cruciferorum de Prussia, et sub eorum expensis, ad con
ferendam pacem perpetuam vel Treugam destinatos offen
dit. Qui literis Apostolicis praesentatis multiplici in
stantia Wladislaum Poloniae Regem Summi Pontificis no
mine deprecantur, quatinus cum Cruciferis de Prussia pa
cem perpetuam firmare et a guerris cessare dignaretur. Ex
Lubowlya processit Rex in Podolinum, deinde Lubicza, ubi
Apostolicis nuntijs se comitari iussis, optimum et pronum
ad pacem aequis conditionibus conferendam animum ape
ruit, et perfecta capitula suam illis intentionem adlegi
dum declaravit. Qui voluntate Regis ad plenum ex
plorata, per Poloniae Regnum Regio milite illos condu
cente, et singulis ubique providente necessarijs, in Thorun
perveniunt, Magistrumque Prussiae Michaelem Kochmeister
illic eorum adventum cum suis Consiliarijs operientem,
pacem aut pacis sufferentias inire et assumere patefacta
Regis Wladislai optima in utraque voluntate requirunt
Verum a Magistro Prussiae de videndis privilegijs et iu
ribus suis et Ordinis sollicitati, vehementer videre illa
et examinare atque transsumere consentiunt. Magister siqui
dem

dem Prussia Michael causam suam apud Martinum Papam
et legatos eius iustificaturus, cum periculosum dignosceret
Privilegia et iura urbem originaliter ferre, praefatos Nun
cios Prussiam venire, Privilegia et iura originalia visuros,
et transsumpturos obtinuit. Cum autem iura et privilegia
huiusmodi ex Marienburg in Thorun veherentur, auri
ga descendente, equi in praecipitem cursum, et usque in lacum
Mobro acti, quadrigam undis immergunt. Ex quo omnia
quae currus continebat, praeter literas, iura et Privilegia, ce
ratis, quibus involuta fuerant, resistentibus, fuere tincta,
et compluta. Lectione autem et examinatione iurium et
Privilegiorum, et ad extremum transsumptione perfecta, ex
Nunciis et arbitris communibus, advocati Cruciferorum,
prece incertum est an pretio pellecti, causa vero Vula
dislai Poloniae Regis, nullis eius propositionibus et respon
sis auditis, nullis iuribus visis, Bosthy infisti esse, ac per
literas suas Cruciferorum partem iustificare, Regiam
vero damnare coeperunt. De quo Wladislaus Poloniae Rex
amaricatus, graviter in illos apud Martinum Papam in
vectus est, et literis, quas subnecto, iniustum illis et gra
viter indignatum Papam Martinum reddidit

Beatissime Pater

Recepi quamplurimas literas S. V. super causa quae ver
titur inter me et Magistrum ac Ordinem Cruciferorum de Prus
sia, et super excusatione vestrorum Nunciorum, quos S. V.
misit pro pace inter nos tractanda et reprehensione meorum,
qui tractatui interfuerunt. Ego autem Pater Beatissime,
licet nesciam nisi approbare quod S. V. approbat, et da
mnare quodcunque V. S. damnat, tamen non potui non dolere,
quod iidem vestri nuncii non audita parte mea sed me
praesente, neq; iudices sed tentatores electi, tulerunt contra
me sententiam, quasi iniuste peterem, quae petebam, et quod
iustitia partis adversae appareret fundata super omnibus
illis quae petebam. Ideo iniusti fuerunt, quod ordinave
runt eandem suam sententiam ad omnium hominum notitiam
prius quam ad meam pervenire, cum deberent super haec par
ti

ti adversa literas, quibus se apud S. V. Principesque iusti
ficare potuerant, et meam partem opprimere. Quamquam au
tem iuri meo, per eam nullatenus derogetur, prout S. V.
patentibus literis declarat, tamen fama mea graviter lae
sa est, quasi calumniator esse viderer, et iniusta bella fovere,
quod magis de talibus viris miror, ita ad tam alienam prae
cipitasse sententiam, cum vos tanquam viros probatissimos
et integerrimos ac pro talibus reputatos, cum in initio pro hac
causa directos S. V. commendaret, et ego a prelatis et
nonnullis Baronibus Regni mei qui in Constantiensi fuere
Concilio multas de eis et preclaras laudes audiveram.
Nam isti quod parte adversa praesente, vel eorum sub
ditis audientibus, non semel sed pluries et in variis lo
cis dixerunt, quod et fecerunt, scilicet partem eorum fove
re iustitiam, nos autem iniusta petere, nec illos debere
in aliquo nobis respondere, ut subditos et etiam extra
neos ad eorum defensionem et assistentiam animarent.
Tolerari hoc utcunque potuit, quod auxiliari eis volebant,
quos amicos prae ceteris elegerant, quorumque statum iu
vare cernebantur. At vero quod famam meam et par
tis meae, qui nihil eos unquam offendi, apud universum or
bem tam impie lacerarent, id fuit mihi omnino gravissimum,
Ex quo evenit ut ego spe pacis perpetuae per eos S. V.
nuntios componendae frustrarer, et adversarii mei hoc
ipsorum testimonio elati ad ineundam concordiam difficilio
res redderentur. Sed non est hoc novum aut insolitum
parti adversae, ut quibuscunque viis aut modis possunt,
meum curent nomen infamare. Nam et per Joannem
Falkemberg Monachum, quem carcer S. V. merito
detinet, alias me notabant, et multipliciter infamabant,
quasi futurus essem Ecclesiae Dei destructor, et subver
sor fidei Christianae. Nam qualiter egerim sive in bellis
erga ipsos, qui dicuntur domestici fidei, sive in pace erga
alienos et infideles ad fidem Orthodoxam reducendos,
non

non tam verba, quam facta, testimonium perhibent, cum
olim me ad bella concitassent, violatis perpetuae pacis foe-
deribus, quae fuerant inter Regnum meum et ipsos, nutu
divino eos in campo prostravi, et maiorem partem terrarum
illarum meae ditioni subieci. Et in pugna quidem perire qui
resistebant, in acquisitione vero terrarum nunquam aliquid
crudelitatis exercui, quin potius cum omni humanitate ter-
ras ipsas cum captivis, ad pacem devenientibus, parva mer-
cede, restitui. Quam pacem cum iterum violassent, et
ego cum exercitu meo terras eorum invasissem, munitio-
nesque notabiles et non paucas ipsorum recepissem, requisi-
tione tamen ac adhortamento Summi Pontificis, qui tunc
erat, per Dominum Lausanensem Nuntium, necnon Do-
mini Sigismundi Romanorum et Ungarorum Regis, exer-
citus meos retraxi, nec vastari territorium eorum permisi,
sed ad Treugas deveni, sperans tenensque fiducialiter, quod
ex hac felicitate mea ad aliquem tramitem aequitatis et bo-
nae pacis concordiam devenirent, cum eo multum exaltari
me crederem, si talibus monitoribus et hortatoribus paruissem,
et magnam victoriam quaererem, si ipsorum crudelitatem
et hostilem rabiem humanitate vicissem. Sed et nuper quoque
Pater Beatissime, cum nulla per amplius videretur superesse
spes pacis inter nos componendae, cumque cum fratre meo Vi-
thaudo Magno Duce Litthuaniae exercitum congregavis-
semus, qui quam innumerosus esset, quam bene armis munitus,
quamque expeditus ad bellum, linquo eis dicere qui viderunt.
Iamque essemus prope terras hostiles, Reverendi tamen Patris
Domini Bartholomaei Archiepiscopi Mediolanensis ex parte
dicti Regis Romanorum nos adhortantis, ab ingressu ter-
rarum ipsarum, nostros exercitus cohibuimus, et Treu-
gas acceptavimus. Ut iniquus profecto sit index quicunque
nos pacis avidissimos, non iudicabat zelatores. Nam toties
laesi, offensique, cum arma tenuerimus, parataque esset et exercitui
praeda et nobis victoria, maluimus tamen omnia omittere,
ut Christiano Sanguini parceretur, nosque sciremur non nisi invi-
tos

tos contra domesticos fidei, ad arma devenire. In reducendis
vero infidelibus ad fidem Orthodoxam, quantum laboraverimq
quantum profecimus, nolo in hoc gloriari, et sit gloria, a quo
mercedem me recepturum spero, Et multo certe amplius, mul
toq uberius profecissem, maioribusq fides Catholica adaucta
fuisset incrementis, nisi per eos varijs vijs et modis impedi
tus fuissem. Quod si a tempore, quo per Baptismi gratiam
regeneratus sum, et Orthodoxam fidem assumpsi, consideren
tur fructus, quos in hac fere ego sacula homo, imo non ego, sed
Deus per me, et comparentur cum his, quos adversarij mei
etiam a tempore institutionis Ordinis sui fecerunt, qui se di
cunt religiosos esse, et pro fide Christi pugnare, multo profe
cto inferiores invenientur, quippe quod dolebant vehementer
non esse omnes circumvicinos suos Paganos aut alias infide
les, ut illos impugnare eo titulo possent, et bona eorum
hostilius rapere. Ego vero vellem omnes meos vicinos
imo et omnes homines Christianos, et bonos omnes Christia
nos, ut cum eis bonam pacem habere possem, et si qui etiam
in longinquo inimici fidei Christianae, eos pro viribus perse
qui, et vel reducere, vel delere. Nunc autem per istos im
pedior, quos timere me magis oportet, quam genus ullum
barbarorum, nam illi nil nisi imperium super me quaerunt,
isti autem sanguinem tollere et exterminium meum desude
rant. Quae si animadvertissent Nuntij S. V. non tam
facile sententiam contra nomen meum et famam praecipi
tassent, Verum decet omnia in melius interpretari, ample
ctor igitur scilicet quod dicit S. V. ut solent mediatores
pacis, qui nunc uni parti aliquid tribuant, nunc alteri, ut
eos commodius ac facilius trahant ad pacem. Quod si tan
tum tribuerunt illis qui pacem fugiebant, ut in eorum
complacentiam tam graviter nomen meum famamq lae
derent et damnarent, quid mihi aequale vel dignum tri
buit, qui tanto studio pacem sequor ut interdum etiam nimis
timidus ac pusillanimis videar et censear? expecto igitur
ut responsum praestent, si quid habent tale, quod possit huic

iniuriae

iniuria mihi illata comparari. Nam etsi compromiserim
in Serenissimum fratrem meum Romanorum Regem praedi
ctum, tamen viam tractatus et amicabilis compositionis non
repello, in quo tractatu aliorum Nuncios inferiores, vestrae
vero Sanctitatis ex devotione quam ad eam gerimus, primos
semper fore et praecipuos. Non autem propterea Oratores
meos arbitrari oportebat inhabiles ad pacem, quod se Nuncio
rum illorum Jurisdictioni, quemadmodum pars adversa re
quirebat, in hac causa subjicere noluerunt, nec ipsos difficiles
appellari, quod illorum, qui tam facile contra me pronuncia
verunt, iudicium declinaverunt. Sed nec nimis ad pacem ha
biles videri debebant, quod ad acceptandum ea, quae pars
adversa pro pace offerebat, mandatum non habebant, nam
si in oblatione aut voluntate unius partis res tota consisteret,
facile semper deveniretur ad pacem, aut si de multis ter
ris meis, quas possident adversarij mei, paucas dimitterent,
et pro maximis damnis quae intulerunt, paucas pecunias
respectu damnorum reservimento pacem consequi deberent,
ego nimis in meis iuribus laederer et gravarer. Man
datum autem meis Oratoribus dedi, ut mea repeterent, quae
pars adversa sive pro bono pacis, sive alleviatione suarum
conscientiarum merito deberet restituere, tum et nos pro
concordia, et pace consequenda sumus apti etiam de iure
nostro dimittere, Hac ego illis tunc et quae circa hac fa
cerent, dedi in mandatis, non autem ut se temere cuius
cunque Jurisdictioni submitterent, aut dominum meum nondum
cognitorum iudicium acceptarent. Quocirca S. V. humi
liter supplico et devote, quatenus dimissa indignatione, quam
erga Oratores meos concepistis, famam meam humilem et
devotam Sanctae matri Ecclesiae et vestrae Sanctitati obedi
entem, dignetur S. V. paternaliter servare, ne inimici mei
habeant me in derisum. Personam Sanctitatis vestrae
sanam et incolumem conservet altissimus, statumque ve
strum per longa tempora feliciter pro regimine Ecclesiae
suae Sanctae, et consolatione mea speciali. Datum in San
doz feria tertia infra Octavas nativitatis Beatae Ma
riae Anno Domini Millesimo quadringentesimo deci
mo nono.

Apostolicus

Apostolicis Nuntijs licentiatis Vladi-
slaus Poloniae Rex tredecim Civitatis terrae suae Scepusi-
ensis peragrabat, sufficientibus necessarijs cum omni sua
militia ab illis procuratus, Sigismundi Romanorum et Vn-
gariae Regis operiebatur per dies plures adventum. Quo
diuturnam agenti moram Vladislaus Rex de terra Sce-
pusiensi per Sobnow et Bardnow discedens, pro Dominica
Ramispalmarum in Crosnam, pro festo Paschae in Przemysl
venit, Sbigneo de Brzezie Regni Poloniae Marsalco, et
Zawiscio de Olesnicza ad Sigismundum Romanorum
et Vngariae Regem, qui illum de neglectu, quem in Vla-
dislao Rege literis et nuncijs ad se invitato admiserat,
carperent, destinatis. Cui cum haec legatio nunciaretur,
summum se dolorem ob id concepisse, et a valetudine ad-
versa oppressum fuisse, petens sibi ignosci, respondit, Spon-
dens se id facinus altero alicuius officio expiaturum.

Facto ex Przemisl Vladislaus Polo-
niae Rex discessu in Sanok processit, Ubi iterum novo Nun-
tio Sigismundi Romanorum et Vngariae Regis Andrea
Balicki milite Polonorum largum conductum afferente;
exquisitis supplicationibus ut Vngariam rediret, et cum Si-
gismundo Rege apud Cassoviam convenire dignaretur, ve-
xabatur. Vladislao autem Rege plurimum renuente remi-
tentiq., et priorem collusionem opponente, Sigismundi Regis
nuncius, damnari caput suum si Cassoviam Sigismundus
Rex venire falleret, permittebat. Qua tam sublimi ex Si-
bitione narrationem suam firmante Vladislaus Poloniae
Rex expugnatus, ex Sanok in Vngariam reversus, per
Stroplow et Apriales procedens, undecima Maij Casso-
viam advenit. Rege autem Sigismundo illic non reperto,
septem diebus magna cruciatus anxietate, apud Cassoviam
immoratus, octavo die discedere cum suis omnibus accele-
rabat. In ipso autem discessionis Vladislai Regis articulo
Sigismundus Rex advenit, et moram suam aegritudini as-
sidua expurgans, aegre a Vladislao Rege, ne de illo absce-
derit

deret, obtinent. Octo deinde diebus ambo Reges mansionem
suam apud Cassoviam agebant, infra quos Sigismundus Ro
manorum et Ungariae Rex ponebat se fomentem ad procu
randam pacem inter Vladislaum Poloniae Regem et Crucife
ros, quorum Nuncij tunc aderant, mediatorem. Vladislao
autem Rege compromittere plenarie in Sigismundum Roma
norum Regem offerente, et post oblationem effectualiter com
promittente, Cruciferi simulabant se nullo pacto in eum, dolos
tegendo absconditos compromissuros. Urgebat itaque Vladi
slaus Poloniae Rex Cruciferorum Nuntios, oblatione sua
in compromissum, et Cruciferorum Nuntijs renitentibus, neque
Vladislaum Regem illa aestate instaurare posse bellum con
sentibus, tanto instantius oblationem ipsam ingeminabat.
Magnopere autem Sigismundus Romanorum Rex indigna
tus, quod pervium sibi fuerint, et compromittere in illum de
trectarent, obtulit se proprio motu Vladislao Polonorum Regi
contra illos personale solatium, cum suis omnibus potentijs,
laturum, et eorum exterminium omnibus conatibus procu
raturum, eo tamen pacto, quod in foedere apud Lubowlya
inito sancitum est, salvo, ut terris Pomeraniae, Chelmensi,
et Michaloviensi in sortem Regni Poloniae velut proprijs
et naturalibus cedentibus, Prussia inter Reges dividere
tur. Ea quoque omnia dilatato sermone se impleturum iu
reiurando firmabat, neque de bello Cruciferis Prussiae infe
rendo, coram Reges, sed de Prussia dividenda sermonem
intenderant, jamque divisionem ipsam, per loca, signa, et
fluvios designabant. Tantam autem ac talem Vla
dislaus Poloniae Rex de promissis Sigismundi Romano
rum et Ungariae Regis fiduciam certitudinemque induerat,
ratus illum et pro Regia virtute, et in Cruciferos irritatione
sincere singulas pollicitationes custoditurum, ut earum
dulcedine inescatus terram Scepusiensem dono et sine
aliqua pecuniarum solutione Sigismundo Regi resignare
statuerat, nisi a proposito sibi et Regno suo pernicioso per
Albertum Jastrzembiecz Episcopum Cracoviensem, Sbi
gneum de Olesnicza Praepositum Sancti Floriani Secreta
rium

rium, et alios Consiliarios non sine difficultate fuisset reductus. Propterea Signorum venturum se et solatia copiarum magnarum adducturum Sigismundus Rex constanter et enixe Vladislao Regi pollicebatur, non quia implere vellet, quae promittebat, sed ut Vladislaum Regem spe magna implicitum facilius falleret. Nec solum tunc, sed et expost per multa tempora, ficta illum solatiorum promissione lactabat.

Feria Sexta in crastino Ascensionis Domini Vladislaus Poloniae Rex facto in Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem in Cruciferorum causa extenso compromisso, et Sigismundo Regi in scriptis tradito, Consiliariis nequicquam dissuadentibus, et non extensum, sed limitatum, et conditionatum compromissum, tale videlicet, si Cruciferi de Prussia infra festum Sanctae Margarethae compromittere, et Sigismundus Rex pronunciationem suam ferre, neglexerint, compromissum Regium festo Sanctae Margarethae lapso, intelligeretur extinctum, consultantibus, et magnopere id salubre censentibus, ex Cassovia Sigismundo Rege illum in longo prosequente, discedens, in Apenasch venit. Sbigneum de Brzesze Regni Poloniae Marsalcum apud Sigismundum Regem et in eius curia relinquens, ad sollicitandum Regem, ut celerius cum suis potentiis solatium Vladislao Poloniae Regi contra Cruciferos laturus, consurgeret, et consurgentem versus Thorun per Crusviciam et Brzeszcze duceret, de necessariis sibi et genti suae provisurus. Iamque Vladislaus Poloniae Rex in pluribus locis Regni sui, per quae Sigismundum Regem iturum credebat, cibaria, victualia in magna copia proviniam vat ordinari. Sed et Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex non sicut quam quae promiserat et iuraverat impleturus, Georgium de Hollesch Episcopum Pathaviensem, gubernatorem Archiepiscopatus Strigoniensis, et imperialem Cancellarium, et Ioannem comitem de Herdeh-

cilius

Michael de Kez, necessaria, et arma, in suam et militum suorum expeditionem opportune comparaturos, Cracoviam transmiserat. Qui sex hebdomadis apud Cracoviam in expensis Vladislai Poloniae Regis immorati, intelligentes Sigismundum Regem fluxae et variabilis fidei esse, ex Cracovia discedentes Ungariam redierunt, quibus redeuntibus et Sbigneus de Brzezie Regni Poloniae Marsalcus videns et palpans singulas pollicitationes Sigismundi Regis recidisse in irritum, et nullas illum copias quantumlibet tenues ordinasse, non sine suo et Regis sui ludibrio, ludificationem Regis sui et suam amplius ferre non valens, ex curia Sigismundi Regis discessit, et ad Vladislaum Poloniae Regem iam tunc in Cruciferos expeditionem agentem, rediit, Sigismundi Regis pollicitationes quam probe expertus. Habebat enim Sigismundus Rex caliditatis vafrae permistum ingenium, aliud clausum gestans pectore, aliud depromens lingua, adeo in promittendo blandus, ut crederes illum, quod mollibus et suavibus pollicitationibus obtulerat, effectuali opere impleturum, et nullam vafrorum verbis subincludi, et qui multum habent ingenij, minus cordis.

Ex Aperiasco Vladislaus Poloniae Rex per Stroplow et Rimanow in Sanok devenit, et expeditione generali contra Prussiam indicta, scribit Alexandro Vithaudo Lithuaniae Magno Duci, ut cum potentijs dominiorum suorum in solatium suum venire non negligat. Militibus vero Regni sui universis, ut in Wolborz exercitualiter conveniant, Prussiam profecturi, demandat. Ex Sanok Premisliam, inde pro festo Corporis Christi Leopolim venit, quod celebrato per Jaroslaw et Lanzensko feria sexta in die Sanctorum Petri et Pauli Sandomiriam veniens, Sabbato ad Monasterium Sanctae Crucis Calvi montis orationibus et commendationibus gratia descendens, nuncios Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis videlicet Cehapoher Magistrum Taverni corum regalium, Stephanum de Brzeszowicze accepit. Qui legationem dare iussi, summo studio summoque conatu varijsque pollicitationibus et promissis supplicabant Regi ut expeditionem coeptam in aliud tempus differret, decisionem ex arbitrio Sigismundi Regis iuxta omne suum beneplacitum sine ferro et armis habituris. Vladislaus autem Poloniae Rex in verbis et promissis Sigismundi Regis nullam efficaciam reponens

nens, quippe qui cum tot iteratis vicibus fefellerat, Nuncijs
respondet, nullo se pacto captam expeditionem, exercitibus suis
Polonicis et Litthuanicis iam in arma coactis, certitudinem ple-
nam in causa sua non extante, commissurum. Cumque Nuncij Si-
gismundi Regis eo responso parum contenti, aliud sibi beni-
gnius multifaria instantia deposcerent, Vladislaus Rex neque
se secus facturum, neque aliam responsionem daturum astru-
ens, ex Calvo monte in Bodzentin discedit. Quo cum Elisa-
beth Regina debilis et languens advenisset, Rege tamen,
per Bliszyn, Zarnow, et Sulejow usque in Vuolborsz valitu-
dinaria comitabatur. Motis ex Vuolborsz castris, solitis
stationibus pro die Sanctae Mariae Magdalenae ad Czerwiensko
quo iam Alexander Vitaudus cum potentijs gentium sua-
rum advenerat, applicuit, unitisque exercitibus Vislam per pon-
tem ex navibus extructum superans, in hostiles terras
procedit

Dum itaque in villam Bandzino Masoviae,
situm in districtu Zawkrzensi pervenisset, altero die terras
hostium ingressurus, Bartholomeus Archiepiscopus Me-
diolanensis, capra eo quod pro insigni capram ferret appella-
tus, ex parte Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis
bellum interrupturus advenit. Sentiens siquidem praefatus
Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex animum Vladi-
slai Poloniae Regis ab expeditione non posse reduci, alia arte et
ingenio, dum persuasiones abiectum iri videret, expeditionem
interrumpere tentavit. Misit siquidem velocissime praedictum
Bartholomaeum in Prussiam consulens Cruciferis et mandans,
quatenus in ipsum omni pavore circumscripto compromittant,
pollicitus se illos iudicem et arbitratorem favorabilem monstra-
turum. Qui suis parentes iussionibus, eadem potestate plenitu-
dineque verborum in illum compromittunt, vastationem terrarum
suarum, quemadmodum evenit, aversuri. Praefatus itaque Bar-
tholomeus Archiepiscopus, in Consilium introductus magnis
precibus, maioribus ingenijs deprecatur Vladislaum Regem
quatenus iuxta sui compromissi formam a bello se temperet,
et arbitrariam decisionem Sigismundi Romanorum et Unga-
riae Regis, in quem alteram partem cum reluctantem Magistro
videlicet et Ordinem Cruciferorum deduxerat compromissi, expe-
ctet

erat. Et licet Vladislaus Poloniae Rex et omnis suus exercitus
quolibet compromisso non obstante, precibus Bartholomaei Archi
episcopi Mediolanensis repudiatis, summopere guerram prosequi
exoptaret, consilijs tamen et instantijs multiplicibus Alexandri
Vuithaudi Ducis Magni Lithuaniae, aspirantis in reversio
nem, persuasus, non sine sua et totius exercitus sui grandi
nausea et amaritudine, Treugis in biennium susceptis, Sigismun
di Regis pronunciationem et arbitramentum se astrinxit, dum
modo tamen ferre illud infra illud praefixum tempus, et dum Epi
phaniarum inclusive non negligat, praestolaturum, aliâs com
promissi facultatem festo Epiphaniae transacto voluit esse peni
tus annihilatam, et extinctum. His taliter compositis Vladi
slaus Poloniae Rex armis depositis a guerra non sine sua et
totius exercitus anxietate discedit, Praelatis autem et Baro
nibus Poloniae cum de tam improvido compromisso arguentibus,
ipse omnem culpam in Albertum Jastrzambiecz Cracovien
sem Episcopum et Cancellarium Regni Poloniae, quasi sua negli
gentia et non potius Regia prohibitione, vinctio compromissum
constringentis, videlicet ut si infra Treugarum tempus et diem
Sanctae Margarethae compromittere Cruciferi de Prussia negli
xissent, compromissum Regium intelligeretur extinctum, adiecta
non fuisset, retorquet. Ex quo praedictus Albertus Episcopus Cra
coviensis magna odia et sugillationes multiplices in animis mili
tarium, licet praeter suum demeritum, contraxit. Haec expeditio
ob reversionem quae accidit universalis intitulatur a Polonis.
Ex Bandesno confectis Treugis Vladislaus Rex eadem
via qua advenerat, flumine Visla apud Czyrwinsko cum
omni exercitu superato transiens, exercitum suum licentiat, qui
fere omnia bona, quae in quadrigis ex farina ferebat, agrestibus
in Masovia, quorum fruges depastus erat largitus est.

Ex Czyrwinsko Vladislaus Rex egressus
per Gambinino, Gostinino, Cowalye, Brzesczie, Radzieiow,
Strzelno, Gabiesze, Mogilno providinis, pedestre iter ex Pobu
dzislia conficiens Posnaniam secunda die Augusti mensis ad
venit. Observationibus autem suis apud Monasterium Corporis
Christi perfunctus, Sabato ex Posnania Sora tarda in quadriga
in cunabuli modum fabricata, versus Srzodam, comitantibus
illum Nicolao de Michalow Sandomiriensi, Sandivogio de O
strorog Posnaniensi palatinis, Henrico de Rogow, Joanne Mansch
de Dambrawa, et alijs pluribus militibus proficiebat. Dum au
tem

tem in nemus ante Tuliscz situm pervenisset, subito ex caelo se-
reno et lucido turbidum et tenebrosum factum est, coruscatio-
nesque horridae, et tonitrua fieri ceperant. Quo nemus egredi-
ente, et prope montem proximum nemori constituto, fulmen de caelo
maximo et vehementi fragore decidens, quatuor equos quadri-
gam Regis vehentes, et duos servitores Regios, qui latera qua-
drigae Regiae a cadendo, cunctis pedibus, sustentabant, videli-
cet Barsinat, et Matthiam nigrum suo impetu, auriga serva-
to, necavit. Occidit et equos quibus Nicolaus Sandomiriensis,
Sendivogius Posnaniensis Palatini, Henricus de Rogow, Joan-
nes Mansfelt insidebant, item septem alios equos militum, ses-
sores eorum in nullo offendens. Occidit et equum Regis cui Cu-
bicularius Forstch de Tlczicza lanceam vibratilem Re-
gis ferens insidebat, chlamidem eiusdem Cubicularii Forstch
per dimidium discerpens, corpus vero non contingens. Vla-
dislaus autem Poloniae Rex terrore horribili fulminis terri-
factus, Baronibus et militibus ad eum, percussione fulminis
desinente, accurrentibus, et quonam modo se haberet sciscitan-
tibus, longo tempore sive ut exanimatus sive ingens metus cau-
sabat, nullum responsum edens, non secus quam mortuus
a militibus lugebatur. Erigens tandem se, viribus, quas
metus occluserat, resumptis, loqui coepit, casum tam horren-
dum profitens pro suis demeritis iuste evenisse. Pertulit autem
Vladislaus Rex ex fulmine huiusmodi in dextera manu dolo-
rem infra dies paucos desinentem, et in sensu auditus aliqualem
occlusionem, sed et vestimenta eius sulphur olebant. Hunc
casum ultionem irae Dei designantem, religiosi et timorati viri non
ob aliud Vladislao Regi credebantur accidisse, nisi quia sororem per
spiritualem cognationem germanam Elisabeth Granowska ac-
cepisse illam non pudebat in uxorem. Liberius tamen aliquanto
a Sbigneo de Olesnicza Secretario suo Rex correptus est. Ele-
mentorum, inquit, te o Rex ferventium, quantum ferimus miseran-
do te sorori germanae commaternitatis vigore, cuius quippe matri
te de fonte levaverit, admiscendo, testimonium accepisti, dum et
merorum te robur non sustinendo praecipitat, et caelum fulmine,
et ignis fulgurando condemnat. Unde nisi penitueris, metuen-
da sunt ne demergant terra, timori habenda, ne absorbeat. Tum
quoque primum Vladislaus Poloniae Rex plaga horribili super-
ne accepta, timere sibi coepit, et matrimonium Deo et hominibus

odibile

ediditi, quod cum Elisabeth Granowska contraxerat, execrari, ad
sortiendum habebat aliquorum, quod dubitans fidei Christianae ei
veniebat in mentem evolvet proposito cum subito fulmine percussus est
Sed nec ipse tunc aut expost facinus suae in fide vacillationis pro
dedit, nec cuiquam an id verum fuerit, facile succurrit.

Fulminis iactura excepta Wladislaus Poloniae
Rex in oppidum suum regale, quo tendebat, Srzodam pervenit. Ex
quo die altero recedens per Lisdy, et Kalisz in Siradiam pro fe
sto Assumptionis Sanctae Mariae applicuit. Exinde per Sczyrzow,
Piotrkow, Przedborz, Malogoszcz, Andrzeiow, Visliciam venit,
quo illi certus Nuncius Wenceslaum Bohemiae Regem mortem obijsse
significans allatus est. Cui, funeras solenni officio Wenceslao Bo
hemiae Regi apud Visliciam celebranti, Sigismundi Romanorum
et Ungariae Regis alter Nuntius occurrit, magnopere obsecrans,
ut in nova Sandecz cum illo conveniri quantocius dignaretur.
Cuius precibus morem gesturus ex Vislicia in Sandecz pro die
Nativitatis Sanctae Mariae proficiens, Sigismundum Romanorum
et Ungariae Regem cum frequenti Bohemiae Baronum numero,
qui ad illum post obitum Wenceslai Regis confluxerant, in San
decz venientem excepit, et singulis necessarijs Regem et omnes qui
secum una venerant, tractavit. Tentae sunt autem per dies ali
quot inter Reges et eorum Consiliarios variae super regno Bohemiae
vacanti, deliberationes, ubi per Wladislaum Poloniae Regem
in summa Sigismundo Regi consultum, quatenus singulis agendis
alijs praetermissis, quam citissime in Bohemiae Regnum ire pergeret,
rebusque publicis compositis, sectam quoque et haeresim Wiclefistram
post mortem Wenceslai Regis glisentem, ne amplius grassari
posset, et quoslibet alios res novare mollientes opprimeret. Verum
Sigismundus Rex nihil se dubitare de fide Bohemorum in se re
spondit, et maiores et principaliores aut venisse personaliter, aut
per literas illi fidem dedisse. Salutari igitur consilio Wladislai
Poloniae Regis, qui illi ferre cum gentibus, si cum Bohemiam ire con
tigisset, solatium offerebat, neglecto, in Turcos ea aestate expedi
tionem fecit. Intelligens autem Wladislaus Poloniae Rex Sigi
smundum Romanorum et Ungariae Regem consorte sua Regina
Barbara vehementer iratum esse, Janussium de Tuliszkowo
Castellanum Calissiensem Ungariam mittit, cuius opera reconciliatio
utrinque secuta est. Sollicitavit deinde praefatus Janussius
Castellanus Calissiensis Sigismundum Regem de firmanda inter

Regem

Regem et Cruciferos iusta sententia, tum assidua et forti sollicitudine, ut etiam illum in Turcos expeditionem agentem sequeretur, nec eam sollicitudinem remisit, donec Vratislaviae sententia ipsa prolata est.

In Guistiatus Venceslaus Bohemiae Rex frequentibus malis, quae per desidiam suam in Bohemia invalueserant, paralysi correptus aegrotare coepit, atque infra decimum octo dies singulis Haereticorum nominibus, quos neci destinaverat, Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem fratrem assidue vocitans, et amicorum auxilia anxius expectans, ante vita excessit, quam vocati principes advenissent, die videlicet Mercurii decima sexta mensis Augusti, cum regnasset annis quinque et quinquaginta duobus tantummodo amplius vixisset. Cadaver suum primum ad Ecclesiam Sancti Viti in arce, deinde ad aulam Regiam solius Abbatis aulae Regiae diligentia, propter Vicliphistarum metum et rabiem noctis tempore humatum est, omni funerea pompa, et ipsa Regina ingredi civitatem non ausa omissa. Cum vero postea Monasterium praedictum ab Haereticis diriperetur, et sepulchra Regum effringerentur, cadaveraque abiicerentur, piscator Regius Musska nomine, Regis quem amaverat corpus clam collegit, et in loculo domi apud se condidit. Interiecto deinde tempore rebus ad meliorem formam redactis, cum Venceslai corpus requireretur, viginti auro acceptis illud reddidit, cui tum primum iustus honos solutus est.

Ex Sandecz Vladislaus Rex per Holgowicze, Pilzno, Ropczycze, Lanczuth, in Russiae terras profectus, et circa festum Sancti Michaelis Leopolim cum Elisabeth Regina venit. Quo ex Leopoli versus Gliniany egresso, Elisabeth Regina sequi illum languore oppressa destitit, et in Grodek profecta, Ex Gliniany in Sambor, abinde visitaturus aegram Reginam in Grodek, post vero Regina Elisabeth in Lanczut divertente, per Sanok, Ropczycze, Biecz, Bochnya, transitum faciens, pro die Sancti Martini in Niepolomicze venit. Ex Niepolomicze in Lithuaniam profecturus, Elisabeth Reginam plus solito aegram apud Opatoviam Brzeszczi visitavit, et tandem per solita loca Lithuaniam profectus, perfunctus quoque illic venationum voluptate Natali Salvatoris apud Mercz celebravit.

Tandem

Tardanti Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege Wiclephistarum Haeresim in Bohemiae Regno glisentem opprimere, resumptis vires conquirendo, eousque pullulavit, prorsusque ut armata manu in fidem et religionem Orthodoxam grassaretur, hortatoribus pestibus tam nefandis singulos fideles compellentibus ad utriusque speciei communionem, caeterorumque erroneorum articulorum observantiam. Et quoniam haeresis praedicta temporalium bonorum possessionem habere Ecclesiam, scholasticum et illicitum asserebat, saeculares Bohemi doctrinam huius articuli, ambitionem eorum congruentem, sequuti, duce Joanne Zizka de Trochnowa, primum, Monasterium Carthusiensium in Praga, eiectis ex eo et partim trucidatis fratribus Carthusiensibus, diripiunt, disiiciunt, et muros eius solo aequant, bonaque temporalia eiusdem Monasterij occupant. Monasterium deinde Cistercense dictum Aula regia, uno milliari a Praga distans, simili abominatione in exterminium ponunt, bona illius diripiendo. Corpus Venceslai noviter absumpti, in eodem Monasterio Aula Regia sepultum egerunt, et in flumen Multawa, vivis et mortuis inferendo bellum proiciunt, quod piscator offendens, in suo tugurio sepelivit, deinque egestionem vilior sepultura sequuta est. Conrado insuper de Vestfalia Archiepiscopo Pragensi a Wittovam refutante, promoto, et in praefatam haeresim metu ne invertum est, an caligine et nequitia mentis prolapso, grex fere universus hunc, pastori erranti stravalzante in praecipitium actus est. Et haereseos pesti virus suum longe diffundente, Regnum Bohemiae, paucis admodum civitatibus exceptis, labe haeretica infectum. Quasi autem haeresis Wiclefitica, qua se gens Bohemica inquinaverat, pro explenda insania, quae Bohemica pectora pervaserat, parum sufficiens foret, in aliam versus foediorem quae Pikhardarum appellabatur, incidit, cuiusque abominabiles observantias describere etiam scelus crediderim. Congregati siquidem homines utriusque sexus, pestem huiusmodi practicantes, in unum locum, nudi inter se commorati, Venerea passim patrabant, et multa ac longa prosperitate usi, etiam Satanae ministerio, de adversarijs victorijs potiebantur, ad quam quidem tam foedam et abominandam Deo et hominibus sentinam, omnis incontinentium, sicariorum, nebulonum, et aere alieno gravatorum, fex confluebat. Savientibus deinde Laicis contra Clerum, Monasterium insigne Opatowicze Ordi-

nis

nis Cisterciensibus, plurimas Sanctorum reliquias, auro et ar
gento vestitas habens, et quae in festis maioribus ex Sacristia
ad altare manus in curru argenteo ferebantur, per Joannem
Oporzinski Bohemum, item omnia alia fere Monasteria et loca
Sacra et religiosa tam in Praga, quam in toto Bohemiae Regno
spoliata, confracta, et ruinata sunt. Singuli religiosi et personae
Ecclesiasticae haeresim non acceptantes ignibus dati, aut necati,
aut pulsi. Sanctorum reliquiae praecipue Sancti Venceslai Patro
ni Bohemiae, item Sancti Viti, item Sanctae Ludumillae, ex te
cis et locis suis provoluta et conculcata. Bona Ecclesiarum
tam Cathedralium quam Collegiatarum, Conventualium,
et Parochialium, a Laicis occupata, et direpta. Omnia
vasa et Clinodia Ecclesiarum sacris deputata usibus, in cin
gulos, frenos, sellas, et alias res prophanas conversa. Libri
Ecclesiarum, Monasteriorum, et Universitatis Studij Pragen
sis, distracti et venundati. Saeculares viri boni et timorati,
et Catholicae puritatis observatores, quod se inquinari ha
eretica peste passi non sunt, cum coniugibus et pignoribus ex
suis civitatibus, castris, haereditatibus, fundis, domibus,
agris pulsi, nonnulli trucidati. Studij et Universitatis
Pragensis Scholaribus diffugientibus gloria suffundata,
omniaq divina et humana labefactata, et adeo confusa, ut
nemo mortalium etiam Tullianam eloquentiam sortitus, existat
qui sufficienter calamitates enumeret, quas Bohemiae Regnu
quondam nobile et insigne, ea vero haeresi infectum, foedum,
et miserabile, pertulit, et contraxit, et splendorem gloriae suae in
plurimis Regnis, populis, et nationibus diffusum, in ignominiam
caliginemq convertit. Joannes Zyszka qui superiori tempo
re apud Poloniae Regem in Prussia bellis assiduis exercitatus
erat, uno carens oculo, quem pridem strenue pugnans ami
serat, Hussitarum veneno infectus, et rapinarum avidus
coadunatis sibi ex Haereticis quadraginta virorum milli
bus, in omne facinus audaciam sumpsit, et Pilznam urbem
sui faciens, praesidioq valido muniens, arcem quoq Vysse
gradensem invasit. Sophia interim Regina serum subsidi
um in Sigismundo Rege eiusdem sibi repromissum prospiciens,
ex thesauro Regio copias comparans, et Czenkonem de Var
temberg in Capitaneum praeficiens, arcem et minorem civitatem
Pragensem praesidio firmavit. Quo non obstante, post frequen
tes

tes congressus, continuis quinque diebus noctibus atque interdiu ha
bitos, multi vtrinque caesi, magnifica domus exusta, praetorium
infimo loco situm incensum, atque deletum, aedificiorum in vtraque
ciuitate Pragensi decus magna ex parte violatum. B

Sigismundus Romanorum et Vnga
riae Rex, collecto ea aestate notabili e diuersis nationibus
exercitu, in defensionem Regni sui, contra Turcos expeditionem
mouit. Qui dum copias gentium suarum equestrium et pede
strium, prope Albam Regalem Kaszeer promouisset, exercitus
ingens Turcorum aduenit contra illum. Aquis tamen Da
nubij inter vtrosque mediantibus non poterat exercitus ve
nire ad congressum. Sigismundus itaque Rex pluribus Hebdo
madis ad ripas Danubij casso labore immoratus, videns exer
citum suum, Turcorum exercitui numero et viribus exaequari
non posse, par prauj periculum veritus, sed neque valens sine
euidenti discrimine exercitum suum, per Histrum, obsidentibus
ripas eius circumquaque barbaris traducere; nulla offensione
hostium facta, neque aliquo opere memorabili edito Budam remeauit.
Propter quod a Turcis liberius et vehementius in Christia
nos saeuitum est, et terrae optimae, atque Regna, Bulgariae, Ras
ciae, Albaniae, et septem castrorum in pluribus locis vastatae
spoliatae direptae, et personae vtriusque sexus in seruitutem mise
rabilem abductae. Itaque dum Turcos lacessere libido illum in
cessit, Bohemiam amisit et Vngariam non defendit, nam etsi
Legatis ab eo Bohemiam ad gubernandum missis paritum et
arx Vissegradensis reddita fuerit, externi Sacerdotes vrbem
reliquissent, Consulatus ex prisco more gubernationem iniisset,
et Sigismundus Rex prospediem se Pragam venturum, et Re
gnum in morem aui Caroli se administraturum promisisset,
pollicitatione huiusmodi sui aduentus, omnes haeresibus dedi
tos turbauit, ominantium sectas exclusas iri, quae Carolo re
gnante nondum ortum habuissent. Sigismundus autem dum
iter versus Pragam pronunciasset, et pro natiuitatis Dominicae
die Brunam oppidum Morauiae attigisset, Pragensibus illuc ve
nientibus, ea lege suscepit, vt catenas et repagula
tota ex vrbe dissoluerent, suosque Magistratus acciperent. Ea
vnit attonita ciuitas, omnibus sana et Catholica mente de
suo aduentu gratulantibus, nec dubium videbatur, quin
tota Bohemia Hussitarum labes exaruisset, si ex Brunna Si
gismundus

Sigismundus recta se Pragam contulisset, Sed diverterat ille, ut forte in fatis erat, iter, Vratislaviamque Slesiae caput accessit.

Dux Tartaricus Ediga potens et insignis nimis, cuius arbitrio universum Tartarorum regebatur imperium, Alexandrum Ducem Magnum Lithuaniae, cum quo apud Vuorzsklia flumen fluvius, quem barbari et Lithuani cognominabant, signis collatis dimicaverat, foedere sibi conciliaturus, specialibus et notabilibus Nuntiis ad eum directis, tres camelos panno rubeo opertos, ac septem et viginti equos cum ea legatione transmittit. Nihil quidem dubito Clarissime Princeps iuxta te atque me octuavam aetatem attigisse, conveniatque, ut residuum temporis quod superest, in pace absumamus. Sanguinem autem qui in bellis inter nos mutuo gestis effusus est, terra absorbeat, verba maledica et offensiva, quibus nos affecerimus, ventus et aura absumat, fervorem nostrae irae et discordiae ignis purget, ignis vero et terrarum exustiones, sive indies inter nos habitas, aqua diluat. Nuntios autem huiusmodi Alexander Vuitholdus magnifice et liberaliter muneravit, et foedus, quod petebant, concessit.

Duodecima die mensis Augusti Janussius Ratiboriensis Dux, filius Nicolai Ducis Ratiboriensis, vir dolosus et callidus, in amentiam versus, in Ratibor moritur, et in monasterio Sanctimonialium Ordinis Praedicatorum sepelitur, Duos relinquens filios Nicolaum et Venceslaum, et unam filiam Margaretham, primum Casimiro Duci Oszwecinensi, deinde Semovito Masoviae Duci iunctam matrimonio, ex Helena filia Koributh, Ducis Lithuaniae et nepte Vladislai Regis Poloniae susceptos.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS VICESIMVS

Attendens Vladislaus Poloniae Rex arduum nimis profecto Christianorum imminere sibi et Regno suo negocium, ut post terminum peremptorium, in quo Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex apud Vuratislaviensem civitatem, super

Pro notabilibus terris, damnis, et offensis, pro quibus annis multis inter Regem et Cruciferos guerrarum strepitus vigue rant, termino Regi Poloniae et Cruciferis pro die Epiphania rum assignato, sententiam decisoriam pronunciaturus erat, Nicolaum Archiepiscopum Gnesnensem, Albertum Jastrzam bietz Episcopum Cracoviensem et Regni Poloniae Cancellarium, Lyaszkarium Posnaniensem, Jacobum Plocensem, Joannem Cropidlo Vladislaviensem, Episcopos, Joannem de Tarnow Cracoviensem, Nicolaum de Michalow Sandomiriensem, San divogium de Ostrorog Posnaniensem Palatinos, Joannem de Tuliszkowo Calisiensem Castellanum, Sbigneum de Brzesie Regni Poloniae Marsalcum, et Zawissium nigrum de Garbow Nuntios et Ambasiatores suos, comitivam plusquam octingentorum equorum habentes, ad producendum literas, iura, privilegia, et munimenta certosque articulos et petitionem summariam, ex quibus sententia iuste ferenda foret, et ad respondendum propositionibus et articulis partis adversae transmittit. Venerant autem praefati Nuncii Re gis Poloniae Vratislaviam, diebus aliquot ante festa Epipha niae, eo potissimum respectu, ut singula iura, instructiones, et propositiones, quibus causa Regis instrui posset, coram Si gismundo Rege aut auditoribus ab eo constituendis tempestive produxissent. Pro quibus recipiendis, auscultandis, et exami nandis, Sigismundus Rex se Vratislaviam quatuordecim diebus ante Nativitatem Christi venturum, vel [illegible] aliquo casu impedito, auditores suos, qui partes audirent, et produ cta atque producenda reciperent, viderent, et examinarent transmissurum, stricta pollicitatione promisit. Et Sigismun do Rege illic quemadmodum inter Reges convenerat, non reperto, et usque in vigiliam ad Solis occasum frustra expe ctato, nullatenus illum pro die Epiphaniarum venturum, praesertim cum nullos auditores praemisisset, neque iura Regis et Regni Poloniae vidisset, aut examinasset, opinabantur. Venit in noctis medio, et uno vehiculo cum consorte sua Bar bara vectus, civitatem Vratislaviensem ingressus est, ubi iam frequentissimus numerus Praelatorum, Principum, Co mitum, Baronum, et militum, suum adventum operientium confluxerat. Venerant siquidem illuc Martini Papae quinti nuncii, videlicet Jacobus Spoletanensis et Fernandus Lu

censis

rensis Episcopi, item Archiepiscopus Maguntinensis, item Dux Saxoniae, item Fridericus Marchio Brandeburgensis, Bartholomeus Capra Archiepiscopus Mediolanensis, Georgius de Hohenloch Episcopus Pataviensis, item fere singuli Principes et Barones Slesiae, item primores ex Baronibus Bohemiae et Moraviae et aliarum nationum, multitudo copiosa; Altero autem die festo videlicet Epiphaniae illucescente, Ambasiatores Vladislai Poloniae Regis tam Ecclesiastici quam saeculares Sigismundum Romanorum Regem adeunt, iura, literas, munimenta, et Privilegia, articulos, propositiones, et instructiones, partem Regiam promouentia, producturi, et animum Sigismundi Regis de singulis meritis causae per organum Magistri Pauli Vladimiri decretorum Doctoris Custodis et Canonici Cracouiensis instructuri. Iam quoque ipse Magister Paulus Vladimiri assumpto Themate, Iuste iudicate filij hominum, propositionem suam ordine ceperat, dicens Ambasiatores Vladislai Poloniae Regis attulisse secum singula iura per eum legenda, videlicet Registrum magnum et extensum in Pargameno per singulos sex ternos instrumentatum et tabellionatum, processus habiti coram Iudicibus a Sede Apostolica ante annos octuaginta in Vuarsouia, In quo, et coram quibus centum et triginta duo testes omni exceptione maiores, videlicet Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Doctores, Palatini, Barones, pro parte Regis et Regni Poloniae, de Polonia, Pomerania, et Prussia inducti et examinati fuerunt, et qui prout ex eorum attestationibus ad liquidum patet clarissime deponunt, terras Pomeraniae, Culmensem, Michaloviensem, Regni Poloniae proprietarias, et naturales fuisse, et esse. Et cum Vladislaus Lokthk Poloniae Rex cum Ruthenis, Lithuanis, et Tartaris, ceterisque nationibus barbaris bellum gesturus, et pugnam cum illis commissurus ex Regno Poloniae discederet, Magistro et Ordini Cruciferorum Prussiae, gerens de illis singularem et integram fiduciam, filium suum unicum Casimirum, qui tunc Pomeraniae Ducatum velut Patris Praefectus administrabat, commisit in tutelam. Verum Magister et Ordo non diuino tantummodo sed etiam gentium iure praeuaricato, quem tueri debuerant, oppressum iri contenderunt, et opportunitatem diudum expetitam nacti, cum exercitu valido terram Pomeraniae ingressi, Praefectis et Capitaneis Regijs per dolos, fraudes, et tradimenta comprehensis et necatis, terram haereditariam domini et patroni sui Vladislai

slai Lokietek Poloniae Regis, Hospitales etiam non veriti Deos, Vladislao Poloniae Regi fideires et earum defensionem tractanti, violenter occuparunt, Deduxerunt insuper Ambasciatores Poloniae Regis habere instrumentum Sententiae diffinitivae Judicum Apostolicorum, per quam dictam terram, et centum nonaginta millia marcarum pro perceptis et damno, Regi et Regno Poloniae adiudicarunt. Item Bullam Clementis Sexti, item Benedicti duodecimi alteram, per quas ambo mandarunt, Misznensi, Cracoviensi, et Culmensi Episcopis ut Magistrum et ordinem compellerent ad restituendum Regno Poloniae terram praedictam, velut ab eo illicite distractam. Petebat tamen postremo Vladislai Poloniae Regis et Ambasiatorum suorum nomine, ut priusquam ad Sententiae pronunciationem procederet, iura pro parte Regis et Regni producenda diligenter videret, Audiret insuper Juris divini et humani Doctores pro parte Regis et Regni in suo conspectu allegaturos, probaturos, et ostensuros de iure scripto, quod dicta sententia Judicum Apostolicorum executioni sit demandanda, cunctis renunciationibus usque in illud tempus habitis non obstantibus quibuscunque. Sigismundus tamen Rex Cruciferorum et Almanorum dolis circumventus, et largitionibus eorum inescatus, ad audiendum propositiones Regis Poloniae, ad examinandum merita causae, ad videndum iura, literas, privilegia, et allegationes, ad causae cognitionem necessaria, priusquam ad Sententiae pronunciationem procederet, nulla poterat prece aut persuasione induci, asserens se de omnibus propositionibus et meritis causae sufficienter instructum, sententiamque in pera tenere paratam. Qua re, Poloniae Regis Ambasciatores malum suum ominantes, non secus quam si iam iniquitatem Sententiae vidissent, et audissent, turbanti omnibusque conatibus et ingenijs annitebantur, ut Sigismundus Rex die illo Sententiam pronunciare differret, die altero facultate Compromissi ex sui tenore et forma invalidata et extincto, non aliquam potestatem ad ferendam iniquam sententiam habiturus. Sigismundus tamen Rex consilijs Almanorum et Cruciferorum haec omnia praecavens, ad pronunciandam Sententiam, in praesentia Ambasciatorum Regis Poloniae et Cruciferorum processurus, mandavit coram se Praelatis et Principibus transsumpta literarum super donationibus Ordini, per Principes Poloniae et praecipue de donatione

terrae

terrae Pomeraniae per Casimirum Poloniae Regem, in vim ele-
mosinae Ordini factae, et contra donationem huiusmodi, trans-
sumpta per Laskarium Episcopum Posnaniensem opposito,
quod non sit transsumptis standum donec videantur ori-
ginalia et appareat esse vera, substulit Sigismundus Rex
nolle secundum transsumpta iudicare, sed post haec mox ad
pronunciationem prorupit, et sententiam, magnam iniustitiam
redolentem, tulit. Cuius ut iniquitas notior fiat, capitula eius
inserenda duxi et loca illustriora.

Inprimis confirmavit, laudavit, declaravit
et diffinivit, ut subditi partium iuxta antiqua itinera libe-
re perambulent et merces suas ducant.

Item confirmavit pacem perpetuam ante Thorunium initam,
etiamsi fuerit per utramque partem rupta et violata.

Item laudavit, quod confinia, termini, et terrae Pomeraniae
Culmensis et Michelowienses, et castrum Nyeschow cum
omnibus suis pertinentiis remaneant circa Ordinem, iuxta
concordiam Caroli Ungariae, et Joannis Bohemiae Regum,
et per donationes Casimiri Regis Poloniae, et suorum praede-
cessorum, et per concordiam factam ante Thorun, et sen-
tentiam eiusdem Sigismundi Budae latam.

Item pronuntiavit, quod Magister et Ordo Crucifero-
rum teneantur Regi Poloniae pro recuperatione castri Zlotoria
solvere viginti quinque millia florenorum infra duos annos
proxime futuros, videlicet in festo Sancti Georgii proxime ven-
turo unam medietatem, et aliam medietatem in festo prae-
dicto anni subsequentis

Item pronunciavit quod Magister et Ordo teneantur
destruere et demoliri facere castrum Lubicz cum molendino,
quod est in Drwarza flumine infra sex menses

Item laudavit quod limites et confinia inter Ducatum
Masoviae et dominium Ordinis Cruciferorum remaneant se-
cundum literam Rudolphi Cunrod tunc Magistri Ordinis, quam
ratificavit, iuxta ac si esset sigillo autentico sigillata,

Item decrevit, quod omnes captivi hinc inde sint liberi et
relaxentur, et restituantur pristinae libertati infra tres menses.

Item decrevit, quod de terris Prussiae et Samogitiae di-
spositio concordiae ante Thorun factae debeat remanere in
suo robore, hoc modo videlicet, quod Ordo inter flumen Memel, et

indaginem

indagines Samogitarum debeant possidere, a flumine Radaw descendendo usq ad castrum Memel inclusive et mare. Dux autem Vuitholdus debet possidere totam terram Samogitarum, etiam cum illa quæ est inter indagines et flumen Memel. Incipiendo ab indaginibus usq ad caput fluminis Rodaw, et procedendo recto tramite sicut intrat idem fluvius in Memel, et ultra Memel per transversum fluminis similiter recto tramite ad quinq milliaria in latitudinem per terram vocatam Schuderlsanth alias Zoliwen, et in longitudinem usq ad Litthuaniam, includendo semper utramq ripam dicti fluvij Memel, usq ad vitam Regis Poloniæ et Ducis Vuitholdi.

Item decrevit quod neutra partium debeat ædificare in terris prædictis aliquod castrum in vita Regis et Ducis.

Item laudavit quod partes prædictæ inter se sint, et remaneant boni et veri amici.

Item remisit omnes iniurias offensiones atq damna sive inde quomodolibet commissa et illata.

Item reservavit sibi declarationem interpretationem si quæ dubia in posterum ex huiusmodi sententia orirentur.

Item decrevit, quod omnia prædicta et singula et quodlibet præmissorum partes sibi invicem observare, manutenere et attendere teneantur sub pœna decem millium marcarum argenti puri, quam incurret quælibet pars in cuiuslibet articuli violatione.

Item decrevit ut Poloniæ Rex castrum Daszyniewcz infra duos menses restituere teneatur.

Ex hac itaq sententia et omnibus articulis supra descriptis quilibet sanæ mentis ingenuus et diligens rimator poterit deprehendere, videre, et palpare, sinistram mentem Sigismundi Romanorum Regis. In favorem enim Ordinis singulos fere articulos pronuntiat, singula vero quæ pro Rege Poloniæ facere debuerant, aut supprimit, aut destruit, ostendens per omnes fere conditiones et articulos quod non arbiter neq Iudex fuerat partium, sed potius partis Cruciferorum patronus et advocatus.

Datum Vuratislaviæ Anno Domini Millesimo quadringentesimo vicesimo, sexta die Ianuarij præsentibus

Reverendis

Reverendis in Christo Patribus Dominis Jacobo Spoleta-
nensi et Fernando Lucensi Episcopis, Sanctissimi Domini no-
stri Summi Pontificis Domini Martini Papae quinti Nuntijs,
Domino Bartolomeo Archiepiscopo Mediolanensi, Georgio
Pataviensi, Imperiali Cancellario, Conrado Vratislavi-
ensi, Joanne Brandeburgensi Episcopis, et Georgio Magi-
stro Joanne Stoches Legum Doctore Serenissimi Principis
Domini Henrici Franciae Angliaeque Regis Ambasiatore,
ac Illustribus Principibus Alberto Duce Saxoniae Sacri
Romani imperij Archimarschalco, et Friderico Marchione
Brandeburgensi eiusdem Sacri Romani Imperij Archi-
camerario et Burgravio Nurenbergensi Principibus Ele-
ctoribus, Nec non Henrico Comite Palatino Rheni, et Duce
Bavariae, Joanne de Ratibor, Przemkone de Tropaw, Lu-
dovico de Brega, et de Lignicz, Joanne Munsterberg,
Ruanpoldo de Glogovia maiori, Conrado dicto Kentner
de Olsna, et Ruperto ac Venceslao de Luben, Ducibus
Slesiae, Principibus, ac Spectabilibus et Magnificis, Lu-
dovico Comite de Otingen et alijs pluribus fide dignis

Pronunciatione Sententiae Ambasiatores
Vladislai Poloniae Regis audita, et eius iniquitati offensa,
tristes maestique in hospitia diverterunt, Conscriptoque omni
processu, qui cum illis habitus est, et quam iniquam repor-
tarint sententiam, copia etiam illius annotata, per velocem
Nuntium Climkonem de Hlay in Podworcz in Lithuani-
am Regi Vladislao transmittunt. Ipsi apud plures Ec-
clesiasticos et Saeculares Principes de magna iniquitate senten-
tiae palam questi, die altero duobus tantummodo Jannsco
de Tholiszkowo Castellano Calisiensi et Zawisch nigro
remanentibus, singuli de Vratislavia Regi Sigismundo
invaledicto, sententia insuper sua, quam illis sub suo sigillo
destinari procuraverat repudiata, ad discedendum se pa-
raverant. Quos Sigismundus Romanorum Rex opere se
plurimum in Vladislaum Poloniae Regem deliquisse per-
pendens, et facti sui praecipitis paenitudinem habens per
triduum retinuit, demonstrans se, de notoria sua sententiae
iniquitate ingenti cruciatu teneri, et palam vociferans se

per

per Jacobum Spoletanum Episcopum, et alios Italos circum
ventum esse. Jacobo Spoletano Episcopo refellente, non se neque Ita
licos, sed Almanos, quos Sigismundus Rex in consilium rerum
adhibebat, tam iniustam et impiam sententiam conflasse. Vertit
se deinde Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex ad
Magistri et Ordinis Cruciferorum Ambasiatores, illosque pre
cibus sollicitare coepit, quatenus liceret ei de ipsorum con
sensu ad moderationem sententiae providere. Quibus respon
dentibus nullum se de hoc mandatum aut instructionem
a Magistro et Ordine suscepisse, velle tamen ad Magistrum
et Ordinem mittere, et illis Sigismundi Regis preces decla
rare, urgebat Sigismundus Rex Ambasiatores Vla
dislai Regis, ut paulisper Wratislaviae immorarentur
correctionem mali decretorum praestolaturi. Oratores au
tem Regii se ludificari et falli rati, nullo pacto ad rema
nendum poterant induci. Nuncius itaque regius Clemens
de Wlay Sabato in die Epiphaniae ex Wratislavia discedens
et cursu veloci Lithuaniam contendens, Vladislaum
Poloniae Regem in Dolgy, quo post festum Nativitatis
Christi ex Merecz egressus in Trohli diverterat, et festis
Circumcisionis et Epiphaniae illic peractis ex Lithuania in
Regnum Poloniae profecturus, Alexandro Vithaudo cum
comitante discedebat, feria sexta infra octavas Epiphaniae,
longinquissimum iter durantorum citra milliarium infra di
es septem emensus, offendit, ac Vladislao Regi et Alexan
dro Vithaudo noctis hora qua advenerat literis Amba
siatorum praesentatis, multa etiam verbis quae gesta et
quali ordine fuerunt, deprompsit. Qua novitate Vladi
slaus Rex et Alexander Dux audita, non secus quam
par erat maxima turbatione perculsi, in suspiria amarissima
et fletus ululatusque ruentes, tum primum dolos et versutias
Sigismundi Romanorum Regis sentire coeperunt. Vithaudus
quoque Dux irae, quam dolor ingens de terrarum Samogitiae
et Sudorum abiudicatione subministrabat, impatiens, in
Sigismundum Romanorum Regem plurimis maledictis
invectus, calliditatem illius frequentibus improperiis ex
probrabat. Adeo autem Regi et Duci erant sententiae
praedictae

praedicta pronunciatio molesta, et acerba, ut eorum fletus et rugitus non secus quam duorum Leonum frementium a longe exaudiretur. Nocte autem illa in maerore et mentis angustia transacta, Vitoldus in cubiculum Regium in diluculo introiens, monet blandis verbis Regem ut animo aequiori sit, et passionis amaritudinis depulsa, ad remedia potius, quam ad dolorem vacet, neque enim maerore sed sano consilio fortique manu vulnus inflictum rescindi oportere asserebat. Eo consilio probato, ex Dolgy Sabato in octava Epiphaniae in Lucicum est, et paucis secretis Consiliariis in consilium Rex et Dux adhibitis, eam deliberationem capit, ut quam celerrime Nuntii mutando subvectiones Wratislaviam properent, et Sigismundo Romanorum Regi illic reperto, sibi publice Regis et Ducis nomine denuncient, nullo pacto Regem et Ducem sententiae suae iniustae et iniquae staturos, sed ferro et armis suam iustitiam propitia divinitate prosecuturos. Dum autem ad legationem huiusmodi graviter et prudenter exponendam de Nuncio quaereretur, Sbigneus de Olesnicza Praepositus Sancti Floriani extra muros Cracovienses, regius Secretarius, plurimum idoneus visus est, qui et ipse de mittenda legatione huiusmodi Wratislaviam inter Regem et Ducem dum deliberatio volveretur, multa capitula, iuxta quae ordinanda atque perficienda foret legatio, modeste atque solerti persuasione disseruit. Ipse itaque Sbigneus regio nomine et Nicolaus Czebulka Ducis Vitoldi nomine, sumptibus et vestibus splendide provisi, de Lucici egressi feria secunda ante festum Conversionis Wratislaviam itinere concito perveniunt, et dari sibi a Sigismundo Rege audientiam exigunt.

Feria tertia qua fuit penultima Januarii Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex frequenti Consilio Praelatorum, Principum, et Baronum advocato, cui intererant Bartholomaeus Capra Archiepiscopus Mediolanensis, Fernandus Lucensis, Jacobus Spoletanus Episcopi, Apostolici Nuntii, Item Conradus Archiepiscopus Treverensis, Georgius Pataviensis Episcopus, Ludovicus

dovicus

dovicus Dux Bavariae, Comes Palatinus Rheni, Fridericus
Brandeburgensis, Vuilhelmus Misnensis, Marchiones, Item Prin
cipes Slesiae, item plures Barones ex Regno Ungariae et Bo
hemiae, Nunciorum Vladislai Poloniae Regis et Vithaudi Ducis
Magni Lithuaniae legationem audituros, in curiam Regiam
Vratislaviensem admisit. Quo cum et Nuntij praefati
Sbigneus de Olesnicza et Nicolaus Czebulka, Baronibus
Poloniae eos vallantibus, fuissent introducti, Sbigneus de Ole
snicza Vladislai Poloniae Regis nomine primum ad Sigi
smundum Regem stantem verba facit. Quamvis, inquit,
Serenissime Rex, Dominus meus Excellentissimus Princeps
Vladislaus Poloniae Rex, de arbitrio iniquo et iniusto, a te
inter eum et Cruciferos pridem pronunciato vehementer
afflictus fuerit, et amaritudine singulari mentem ani
mumque impleverit, audiens Serenitatem tuam in favorem
Cruciferorum et suam depressionem in pronunciationem hu
iusmodi prorupisse, Mentem tamen et considerationes suas
avertens primum ad Deum, deinde ad foedera, inscriptiones,
et iuramenta cum tua Serenitate inita referens, omnem
dolorem et amaritudinem ex praedicta sententia pronuncia
tione provenientem facile deposuit. Eoque animo respectu gau
det et se solatur, quod foedus initae amicitiae a Domino
meo Vladislao Poloniae Rege sincere custoditum, a te vero
temeratum et violatum, et omnis defectus pacis et foederis
servandi a te primum emersit. Tu siquidem Rex Serenis
sime sancito et iureiurando firmato foedere, pollicitus es, ad
occupandum terras, possessiones, Regna et dominia Domini
mei Vladislai Poloniae Regis directe vel indirecte nota
quovis quaesito colore anhelaturum. In ea vero arbitrali
sententia conatus es terras suas naturales Samogitiae et
Sudorum sibi auferre, et Cruciferis appropriare, super qui
bus nunquam fuit in te per partes compromissum, eo quod
nulla super illis vertebatur materia differentiae et quaestionis,
Sed neque in propositionibus et articulis suis, ad quae nos
referimus, pars adversa hostium nostrorum Cruciferorum
actionis terrarum huiusmodi ullam mentionem fecerat.
Interrupit illico Sigismundus Romanorum Rex legationem

et non

et non ultra quae deceantur sufferre valens, aut, Istud certe
ego neque noveram neque nosse poteram. Sbigneus deinde pro
sequendo legationem subintulit. Publicum est Serenissime Rex
in omnibus guerris transactis cum Cruciferis habitis, do
minum meum Excellentissimum Wladislaum Poloniae Re
gem praesidio divino fretum, hostium suorum Cruciferorum
vires et potentiam confregisse. Et licet illos tua Excellentia
solatio multiplici gentium tuarum caeterisque suffragiis ad
iuverit, causa tamen regia solida et stabilis stetit, tanto
iustitiae suae vigore roborata, ut eam nullae possent infir
mare potentiae, quamprimum vero Dominus meus Wladi
slaus Rex cum tua Serenitate foedere se coniunxit et in
tuis manibus causam suam, quasi in sinu fido, ratus te ami
cum deposuit, illico rerum suarum iustitiam, tua pronuncia
tione arbitrali periclitatum magno quoque vulnere confossum
iri sensit. Commemorare autem libet quam fideli et casto
animo et ante et post foedus percussum, Dominus meus
Excellentissimus Poloniae Rex Wladislaus in te fuerit,
quantaque operis officia in te officia contulerit, Omnibus
siquidem Ungariae Baronibus, dum tu post cladem a
Turcis apud Nicopolim acceptam mortuus magis quam
captus et incolumis credebaris, ad Dominum meum Wla
dislaum Poloniae Regem, Ungariae Regnum miro consensu
deferentibus, sub tempore illud renuit, quinimo pro liberatione
tua omnem suam operam sollicite navavit. Tibi insuper
Italiam petenti quadraginta sexagenarum latorum gros
sorum Pragensium millia rogatus mutuavit, quibus poterat
notabiles sub infeudationibus terras quaesivisse, et suo Regno per
petuo applicasse, prospectior tuae quam suae necessitati. Et licet
a tua Serenitate districtum tenuem, terrae videlicet
Scepusiensis villas tantummodo tredecim pro pignore
summae huiusmodi acceperit, id tamen egit eo solo respe
ctu, ne mutuatio ipsa a tuae Serenitatis memoria excide
ret. Verum tanta erga tuam Serenitatem obstringeba
tur charitate, quod mutuum huiusmodi induxerat in ani
mum tibi liberaliter remittere, si a tua Serenitate fuisset
aliquot verbis super hoc sollicitatus. Item exercitu tuo Un
garico

gario, te apud Constantiense Concilium agente, per Turcos conflicto, Dominus meus Excellentissimus Vuladislaus Poloniae Rex per literas et Nuntios frequenti instantia rogatus, notabiles Nuntios proprijs sumptibus Turciam, deferentes Turcorum Caesari plurima dona, in auro, argento, gemmis, Sobulis, equis, vestibus, et clenodijs varijs transmisit, liberationem captiuorum et pacem aut pacis sufferentias Vngariae Regno procuraturos. Nec effectu legatio sua caruit. Thurcorum namq Caesar Domini mei Vuladislai Poloniae Regis petitionibus volens esse morigerus, omnes notabiliores Vngariae Barones et signanter Nicolaum de Gara Palatinum Vngariae, pluresq alios a captiuitate absoluit, Treugasq concessa etiam se pacem perpetuam firmaturum spopondit, Nuncijsq Domini mei Vuladislai Poloniae Regis suos adiungens illos ad Dominum meum Regem in Vngariam transitum facturos, ad placitandum de pace perpetua et eius conditionibus direxit. Dum tamen vnus ex nuntijs Domini mei Regis in Vngariam, securitatem Nuntijs Turcorum obtenturus diuertisset, per tuae Serenitatis Baronem Sponem non secus quam hostis et insidiator captus est, et viginti et vna hebdomadis in horrido carceris squallore tentus, omniaq sua vestimenta, vsq ad calciamenti corrigiam, ne quas literas aduersas, in dolum et perniciem Vngarorum secum ferret, scissa, et scrutata, opusq saluberrimum in derisum versum. Et licet Dominus meus Rex frequenter te literis et Nuncijs monuerit, vt insolentias grandes, in sui Nuncij detentione, suo nomini inusta, poena condigna mulctata fuisset, tua tamen Serenitas non solum ruborem Regium non respexit, sed dissimulando vehementer auxit. Existimat forsitan tua Serenitas Nuncijs Domini mei Vuladislai Poloniae Regis ad Turcorum Caesarem, si opus foret, iturus, non nisi per Regnum Pannonicum patere viam, verum certum teneat Dominum meum Vuladislaum Poloniae Regem in ditione sua obtinere terras, quibus Nuncij sui vsq in Turciam possent non viso Regno Vngariae proficisci. Item pollicita fuit tua Serenitas graui sponsione, causam Domini mei Vuladislai Poloniae Regis in Constantiensi Concilio contra hostes suos Cruciferos se omni posse et conatu promoturum, et finali

decisione

decisione expeditarum, nullam tamen circa hoc monstravit
diligentiam; nec de causa praefata se quomodolibet intro
mittere voluit, licet fuisset per Regios Ambasiatores suis
impensis tibi non minus quam Regi proprio famulantis
sollicitata. Rogatus insuper Dominus meus Excellentissi
mus Poloniae Rex varia et frequenti tua prece, ut apud
Oppidum Lubowlya tecum ageret personalem conventum,
venit illuc, et Hebdomadis tribus illic immoratus te
tardante discessit, Ad quem cum pares preces resumpsis
ses, priore iniuria non offensa, tecum apud Cassoviam
convenit, et te unicum causae suae arbitrum Cruciferis
magnopere id fastidientibus elegit. Et licet tua Serenitas
repudiatum atque spretum se iri a Cruciferis volens, iuran
do in manibus Domini mei Regis motu proprio praesti
to, repromisisset in Cruciferorum exterminium consurgere,
et Domino meo Excellentissimo Vladislao Poloniae Regi per
sonale solatium contra eos, tam constanti et assidua promis
sionis ingeminatione ferre, ut Dominus meus Vladislaus
Poloniae Rex verbis tuis credens inesse virtutem, Marsal
cum Regni sui Poloniae Sbigneum de Bozicze premisit reli
querit, tuam Serenitatem per ~~literas~~ terras Regni Poloniae
cum exercitu contra Prussiam procedentem conducturum,
et tibi tuoque exercitui de victualibus provisurum, tua ta
men Serenitas non solum sibi personale auxilium, iureiuran
do facile oblita, non tulit, sed cum tum multitudinem exercitu
um suorum iam in metis terrarum hostilium consistentem,
et grandes impensas, pro quibus non hae tantummodo
terrae, quas tua Serenitas illi praeter aequitatem abiudi
care voluit, sed multo praestantiores emi compararique po
tuissent, facientem, Compromissi authoritati offerens se illi
benevolum et favorabilem arbitratorem futurum renuntiavit.
Veruntamen audit et experitur omnia sua officia in te deprom
pta perdidisse, et te non amico neque foederato animo, sed ho
stili et callido atque acerbo in eum extitisse. Tenet siquidem
pro constanti Illustrissimus Dominus meus Vladislaus Polo
niae Rex, et id ingenue affirmat, quod si in atrocissimum
suum hostem, et qui in suo cruore balneari affectaret, fecisset

commissum

compromissum, non tam dura, neque tam iniqua, quali tu amicus
et Confoederatus, sententia illum damnasset. Quod ex eo solo
responsu saltem agnosce, dudum enim et ante guerram proxi
mae Sabctam, et pro tuo beneplacito dissolutam, offerebant
Cruciferi per literas Summi Pontificis Martini quinti domi
no meo Serenissimo, Regni terras Michaloviensem et Nyeszo
uiensem se redditauros, de terrarum Samogitiae et Sudorum
iure et titulo excessuros, et viginti aureorum millia soluturos.
Quae quantum oblatio, quantum pronunciationem tuam iniquam
conuincet, tua Serenitas plenius intelligit, quae omnes illas
terras, quarum Cruciferi cessionem offerebant, Domino meo
Excellentissimo Regi abiudicauit. Non sic amplius contine
re valens Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex liga
tionem interruptam ait, in veritate nunquam ego ista scribam,
secus multo sententiam arbitralem laturus, si de his suf
sum tempestiue informatus. Tum Sbigneus de Olesnicza,
nuntius Regius, Sciuisset inquit Serenitas tua et haec et
ampliora, si partem Domini mei Regis audire et instructio
nes per Praelatos, et Barones Regni Poloniae oblatas, videre,
et iustitiam atque veritatem inquirere non fastidisset, ad sen
tentiam quoque praeiudicialem nimis, et onerosam, non praecipi
tasset. Sed nec praesumat tua Serenitas, pronunciatione sen
tentiae praefatae partes dissidentes concordasse, quin pro certo
et indubitato teneat, maiori bellorum strepitu illas inuoluisse,
et seminarium guerrarum inter eos inuexisse, cum Serenissimus
Dominus meus Rex nullatenus grauamen sibi inflictum
laturus sit, Sed etiam nunc vires et solatia contrahit ut
illud aboleat et rescindat. Affligitur denique Illustrissi
mus Dominus meus Poloniae Rex non tam de sua ingenti
iniuria, quam de tuae Serenitatis grandi prolapsu, Ipse
siquidem diuino praesidio fultus, et de iustitia sua praesu
mens, facile iniuriam suam, tua pronunciatione sibi et Re
gno ingestam abrogabit, causam suam tua pronunciatione
quae nec illi detrahere quicquam, neque hostibus vires adi
cere potest, tantummodo infectam, breui reualidaturus.
Verum veretur, et vehementer reformidat, et quasi corde
praesago, tibi dominatur futurum, ut quemadmodum tua
Serenitas

Serenitas, neque sanguinis, neque foederis iura attendens, sed nec iustitiae aut aequitati deferens, gravem atque duram in suorum hostium Cruciferorum favorem, sententiam contra illum proferre non erubuit, et cum naturalibus et propriis terris suis privare, neque turpe neque iniquum duxit, itane Deus ultor iniuriarum et aequitatis inspector, ulterius, quam credit tua Serenitas consurgat, et tuam Serenitatem terris ac Regnis paternis iustius exuat, illisque te privet, qui quantum in te fuit Dominum meum Regem et suum Regnum Poloniae terris naturalibus et paternis, quod et hostilis oblatio profitetur, privare sententia iniusta contendisti. Qui per sententiam tuam huiusmodi iniquam a te latam, atrocissimum bellum suscitasti, inter partes. Sed et famae, honestatisque, animae, conscientiae, et statui tuo pessime consuluisti, et corruptum te auro Cruciferorum magis quam seductum pravo consilio denunciasti, iniquissimo genere arbitramenti et decernendi usus ad pronunciandum sententiam iniquam, parte Regia non audita, et omni audientia illi etiam ad unius horae spatium negata, cum Cruciferos tam per biennium audiveris, inconsulte auro eorum inescatus processisti, ultionem divinam et hic et in futuro non evasurus. Sed et hoc scire te volunt Rex Poloniae et Dux Alexander Lithuaniae, quod pronunciatio sententiae tam iniquae, maius incendium guerrarum inter partes accendit, et profundioris sanguinis mucronem, qui hactenus condebatur in vaginis, evaginavit, adeo ut Rex et Dux depositis armis, quae contra Paganos induerant, ad defendendum principatus suos, haereditates, patrimonia, et Regna, necessitate eis per te inducta, in Cruciferos sint convertere.

Eam legationem dum Sbigneus de Olesnicza Orator Regius diserte complevisset, Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex, disiunctis porrectisque in utramque partem manibus, id tantummodo dicitur respondisse: Quicquid in sententia inter fratrem nostrum Vladislaum Poloniae Regem et Cruciferos de Prussia pronunciavimus, iusti, dante Domino,

nos

nos pronunciasse existimamus, cum omnia et singula de consilio horum omnium, manibus Principes Spirituales et saeculares illic astantes indicans, egimus. Cui illico replicans Sbigneus de Olesnicza ait. Stare, inquit, potest Serenissime Rex te de consilio horum omnium sententiam protulisse, sed si in Domini mei Vladislai Poloniae Regis parte tot promotores, auxiliatores, consultores, et intercessores adhibuisses, quot pro parte adversa Cruciferorum adhibuisti, multo iustiorem et aequiorem sententiam tulisses. Quibus tamen humana subtracta fuere praesidia, spero divina et caelestia illis non defutura. Hac Sbigneus

Post haec Nicolaus Czebulka nomine Alexandri Vitoldi Ducis Magni Lithuaniae legationem suam dicere orsus, ita pronunciat. Non ego me, Serenissime Romanorum Rex, legationem mihi ab Illustrissimo Domino meo Alexandro Vitoldo Duce Magno Lithuaniae impositam, denunciaturus, longe diffundam. Singula siquidem, quae hic Venerabilis et Spectabilis vir Sbigneus nomine Serenissimi Domini nostri Domini Vladislai Poloniae Regis proposuit, repetenda mihi forent, sed ne fastidium et tibi et audientibus ex repetitione ingeram, continebo me, unum hoc adiungam, quod Dominus meus Alexander Vitoldus Dux magnus Lithuaniae adiungere iussit, Nunquam siquidem Dominus meus Alexander Vitoldus Dux magnus Lithuaniae habuit propositum aut mentem, aliquam amicitiam tecum ineundi, aut foedus aut ligam tecum contrahendi, sed assidue tenuit te, tuos mores tuamque naturam sufficienter expertus, suspectum. Quapropter et Serenissimo Principi Domino suo Poloniae Regi Vladislao, ne tecum aliquas ligas et foedera iniret, initas vero dissolveret, magnopere persuasit, Has vero quas tecum Dominus meus Alexander Vitoldus Dux misit, scias non pro sua voluntate, sed pro beneplacito Domini sui Vladislai Poloniae Regis actas esse. Servavit autem Dominus meus Alexander Vitoldus Dux et summa cura custodivit, et fidem initam, et Sacramentum praestitum, quo se devoverat terras, Regna et dominia tua nunquam se ambiturum, sed non ex aequo tua

tua Serenitas fidei sua respondet, quae et foedere et iuram
ento temerato, sententia iniusta privare illum terris avitis
et paternis multipliciter laboravit. Propterquod tuam Se
renitatem avisat, et certificat, non se tecum amplius, qui ~~pri~~
prior foedus et foedera rupisti, in amicitia et liga con
tracta permansurum, sed et tibi et cuilibet alteri terras
suas occupare nitenti ad sanguinem et mortem cer
taturum. Non dubitans quin et quilibet suus successor
Dux Magnus Lithuaniae, parem mentem induet, et quos
libet terrarum Lithuaniarum invasores, fretus virtu
te divina, facile propulsabit. Renunciat quoque per me
Nuncium suum cuilibet tecum inito foederi, et ligam
omnem contractam dissolvit, hostem te suum ex foedera
to clamans, qui prior foedus et ius amicitiae violasti, de
cetero habiturus.

Uterque, Regis videlicet, et Ducis, Sigi
smundus Romanorum Ungariaeque Rex audita ligatio
ne corpore torquebatur anxius et spiritu, quod sub praesentia
tot gravium personarum, varia improperia et facinora
illi nomini Regis et Ducis, contumeliam suam longe lateque
diffusura, fuissent exprobrata. In nuncios etiam Regios et Du
cales crudelius desaevire, et utrumque undis suffocare, iure
gentium temerato, statuerat, nisi illum viri boni, quibus
arcanum suum exacerbati cordis crediderat, a tam ne
fandi et impii muneris occupatione, salubri consilio aver
tissent. Verebatur et Electores Imperii et Principes Ala
maniae, tunc apud Wratislaviam praesentes, ne impi
um facinus suum, ex eorum praesentia, ad ipsius amplio
rem et vulgatiorem turpitudinem veniret.

Feria quarta ultima Januarii Nun
tiis praedictis, Sbigneo de Olesnicza, et Nicolao Czibulka,
Sigismundum Romanorum Regem de responso sollicitantibus,
locus Ecclesiae Beatae Virginis Mariae in arena, et dies
Veneris Purificationis Sanctae Mariae consignatus. Quo
adveniente, longa primum habita cum Consiliariis suis Sigi
smundus

smundus Rex deliberatione, respondit per Federici Marchionis Brandeburgensis organum, specialis se Nuntios ad Vladislaum Poloniae Regem missurum, et ad singula legationis capita responsurum. Ea responsione Nuncij Regij Sbigneus de Olesnicza, et Nicolaus Cziolka accepta, et ad Vladislaum Poloniae Regem die Dominico Carnisprivij apud Jedlna agentem perveniunt, ac suae Serenitati ex ordine cuncta quae gesserant, quaeque pro responso tulerant, in praesentia Pontificum et Baronum multitudine referunt, singulis certatim Consiliarijs Regijs tam prudentem et maturam legationem probantibus, et singulari efferentibus affectu. Quamvis autem omnium Praelatorum, Principum, et Baronum Poloniae uniformis foret deliberatio et voluntas, sententiam a Sigismundo Romanorum Rege nullo pacto standum aut parendum esse, prudenti tamen et digesto consilio sancitum est, ut pro eo ipso, quod Vladislaus Poloniae Rex in tenore Compromissi pollicebatur, non se sententiae ferendae contravenire aut ab ea ad bonorum virorum arbitrium provocare, demonstraret, se Rex verbis illi pariturum, quatenus temporis medio posset aliquid emergere, quo Cruciferi de illius contraventione, et violatione possent quomodolibet aut notari, aut convinci, quatenus ex illorum, in quorum favorem lata est, primaria transgressione atque culpa, Rex in sua iustitia redderetur clarior, et fortiorem haberet occasionem ac iustiorem causam, armis et guerra illos impetendi, si prioresilli contravenirent.

Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege apud Wratislaviam immoranti; primores Regni Bohemiae Barones, videlicet Czenko de Vartemberk, Ulricus de Roszemberg, Halses de Sternbarh, Hynko Krusczyna, Hinko de Valdenstein, Joannes Opporzenski, Czenko de Wesseli, Ulricus Nawarh, de nova domo, Henricus Berka de Duba, Item Consules Pragenses ad eum totius Regni Bohemiae nomine et vice veniunt, et privato tractatu praemisso, in audientia publica ipsum in Dominum et Regem suscipiunt, genibusque flexis illi supplicant, quatenus in Regnum Bohemiae venire personaliter, et illud

velit

velut haeres verus suscipiat, et gubernet. Sigismundus
autem Romanorum Rex Bohemos in eam dum sibi rebelles
amplius humiliaturus, respondit, non se aliter Pragam et Bo
hemiam venturum, et Regni Bohemiae accepturum regimen,
nisi muro civitatis Pragensis in aliquo loco, quatenus ipse
cum gente sua, non per portarum sed ruinarum loca velut
triumphator ingrederetur, ruinato, et disrupto, quodque Con
sulatus Pragensis omnia Civitatis arma cuiuscunque gene
ris in arcem Pragensium conferrent, suoque Capitaneo traderent.
Barones autem Bohemiae et Consules Pragenses etsi ex respon
sione huiusmodi bilem pertulerunt immensam, benignius ta
men pro temporis et loci qualitate, et aliter quam in animo ge
rebant, loquuti, respondent, se super duabus conditionibus
per Sigismundum Regem propositis, cum his qui domi re
sident, Bohemiam regressi, deliberare velle, et tandem ex
sua et absentium sententia, quod placitum fuerit, responde
re. Interim autem Sigismundus Rex unum ex civibus Pra
gensibus, haeresi Wiclephistica infectum, sub eorum conspe
ctu per circulum civitatis Wratislawiensis equis trahi,
et velut haereticum ignibus comburi iussit. Cives insuper
viginti tres notabiliores Wratislawienses, quod ante an
nos aliquot, Consules suos Wratislawienses, bene Rempubli
cam administrantes, livore et invidia permoti, capite trunca
tos deleverant, capite ultima Februarij damnavit. Baro
nes itaque Bohemiae et Consules Pragenses, et responsione pa
rum benigna, et ultione parum tempestiva vehementer scan
dalizati, de venia diffisi, in Bohemiam reversi, et ipsi
rebellant, et caeteros in eandem rebellionem secum trahunt.
Sigismundo quoque Regi extemplo significarant, non se illum,
etiam conditionibus, quas sibi primum exhiberi volebat,
cessantibus, pro Rege accepturos, In rebellionis quoque si
gnum singuli ex Baronibus Bohemiae societatem eius et
divisam ferentes abijciunt, et Draconem cruce super ex
tensa, signatum suae societatis insigne, sibi in rebellionis
signum remittunt, plerique quoque illum etiam per literas pa
tentes diffidant. Rebus his Sigismundus Romanorum

et

et Ungariæ Rex, non serus, quam par erat, motus, frequenti Principum Ecclesiasticorum et Sæcularium Concilio advocato, expeditionem contra Bohemiæ Regnum decernit, Principesque quoque Almaniæ et Slesiæ et alios in sui solatium, pro ætate impendenti consurgere iubet, rebellium Bohemorum contumaciam armis domaturus. Czenko de Vuartemberg arcis Pragensis Capitaneus, præmijs illectus, cum reliquis Baronibus et Civibus Pragensibus in totum Regnum mandata vulgavat, ne quispiam aditum Sigismundo præberet, velut infesto Slavonicæ linguæ hosti, Qui non alia teneretur cura quam Regni et Linguarij perdendi, qui Marchiam antiquam Cruciferorum Ordini in pignus obligasset, Brandeburgensem a corona Bohemiæ abalienasset, Joannem Husz et Hieronimum in Concilio Constanciensi in dedecus nationis damnari, et cremari procurasset, dogmata, quæ Bohemi sequerentur, totis conatibus impugnaret.

Poloniæ Regi Vuladislao ex Jedlna in Ilzam die Dominico Invocavit divertenti, duo Sigismundi Romanorum et Ungariæ Regis Nuncij, videlicet Joannes Szenk de Szydow, et Joannes Czegermeister Juris Canonici Doctor Canonicus Pragensis, ad suam Serenitatem perveniunt, Legationi Regiæ et Ducali per Sbigneum de Olesznicza et Nicolaum Czebulka apud Vuratislauiam perorata responsuri. Et licet ad singula Legationis Regiæ capita, coloratam pronunciassent responsionem, super principali tamen re, qua Vuladislaus Poloniæ Rex et Alexander Vuitoldus Magnus Lithuaniæ Dux cum in favorem Cruciferorum iniquam et iniustam sententiam tulisset, pluribus id respectibus et deductionibus demonstrando, culpaverat, nullam legitimam responsionem, quamvis forent viri raræ eloquentiæ prædicti afferebant, præterea, quod Sigismundus Romanorum et Ungariæ Rex de iustitia et iure Regis Poloniæ Vuladislai et Ducis Magni Vuitoldi parum informatus, errore magis, quam crimine aut iniquitate adductus, præiudicialem et gravem in Regem et Ducem sententiam protulerit, offerendo ea, quæ perperam pronunciaverat, se correcturum, et singula, quæ partem Regis gravabant, revocaturum. Replicatum autem fuit sufficienter Nuntijs prædictis Sigismundi Regis, per Prælatos et Barones

Poloniæ

+

Poloniae, qui Wratislauiensem pronunciationem audituri illuc
destinati erant, plures enim ex eis assistebant. Quo nam, inqui
unt, pacto, Dominum vestrum Sigismundum Romanorum et Un
gariae Regem, ea excusatione, quod non informatus, in senten
tiam a iustitia abhorrentem, prorupserit, iustificare potentes,
cum publicum et notorium sit, Wratislauiam illum non nisi nocte
media ingressum esse, et luce subsequenti, Episcopatuum vendi
cit dic, non instructiones aliquas, non avisamenta, non iura,
non privilegia, quae nos Nuncij Regij coram illo et voce et scri
pto proferebamus, audire et videre voluisse. Et quamuis multi
pliciter a nobis sollicitatum, ut priusquam ad prolationem
sententiae procederet, merita causae Regiae examinaret, singu
la quae ingerebamus contempsisse, et die eodem parte Regia
non audita, ad pronunciationem sententiae praecipitasse, nobisque
Nuncijs Regijs, quod nullis indigeret instructionibus, nulla iura
privilegia, aut avisamenta videre aut examinare vellet, sed
quod iam in pera sententiam confectam et limatam teneret
quam nullatenus variare vellet, respondisse. Hanc repli
cationem velut fortem et notoriam, et quae fauorem Sigismundi
Romanorum Regis ad liquidum exprimebat, nuncij sui quo
ingenio refellerent, non reperientes, priorem responsionem inge
minando, Dominum suum Sigismundum Romanorum et Unga
riae Regem omnia male et iniuste pronunciata correcturum,
et si parti utrique iustum arbitrium demonstraturum, pluribusque
et alijs pollicitationibus obligabant. Quapropter Wladi
slaus Poloniae Rex, oblationem et pollicitationem huiusmodi
existimans sinceram esse, Albertum Jastrzembiecz Episco
pum Cracouiensem et Regni Poloniae Cancellarium, et Sbi
gneum Regni Poloniae Marsalcum, ad praefatum Sigismun
dum Romanorum Regem adhuc in ciuitate Wratislau
iensi agentem, ad sollicitandum et petendum illum de corre
ctione suae praeiudicialis sententiae transmittit, quatenus in
eo loco ipsam corrigeret, in quo illam male persuasus, vel pre
tio corruptus, parum sensate et iuste protulisset. Et licet prae
fati Regij Nuncij, Albertus Jastrzembiecz Episcopus
Cracouiensis, et Sbigneus de Brzezie Regni Poloniae Mar

salcus

saltus Vratislaviam gradu converso ex Ilza progressi, Sigismun-
dum Romanorum et Ungariae Regem iter offendissent, et ipsum
nomine Wladislai Poloniae Regis de corrigenda arbitrali sen-
tentia multifarie sollicitassent, Sigismundus tamen Rex insi-
cratus, si per Nuncios suos Joannem Szenk, et Joannem
Czizermeister de emendanda sua sententia oblationem fecisse,
nullis poterat Nunciorum regiorum solicitis studijs et inge-
nijs ad rescindendum quae perperam pronunciaverat, molliri;
Asserens quamlibet correctionem, partibus non consentientibus,
sibi, qui iam authoritati arbitrariae functus esset, et a quo pars
Cruciferorum pronunciationem suae sententiae in scripto, sigillo
suo roboratam accepisset, nullatenus convenire, dedecoraturam
conditionem sui nominis, suaeq. Caesareae et Regiae dignitatis,
Sed neq. Wladislao Poloniae Regi, potestate Regia et Cruci-
ferorum perfuncto, profecturam. In hunc quoq. modum suas va-
fras et callidas actiones colorando, Wladislaum Poloniae Re-
gem, in singulis quae et per seipsum, et per Nuntios, promisso
simultaneo obtulerat, luserant.

Ex Ilsza Wladislaus Poloniae Rex
in Sendomiriam, abinde Cracoviam, post haec vero in maio-
rem Poloniam, per solita stationum loca processit. Dum autem
in Cloburzko pro Dominica judicia ageret, Albertus Jastrzem-
biecz Episcopus Cracoviensis, et Sbigneus de Brzezie Regni
Poloniae Marsalcus ex Wratislavia advenerunt. Qui cum ple-
nam de omnibus quae apud Wratislaviam cum Sigismundo
Romanorum et Ungariae Rege egerant, qualeq. responsum
habuerant, relationem fecissent, intelligens Wladislaus Polo-
niae Rex iam nullam spem de corrigenda arbitrali senten-
tia sibi superesse, omnem suae indignationis iram de male pro-
nunciata sententia exortam in Albertum Jastrzembiecz
Episcopum Cracoviensem convertit. Graviusq. tunc in illum
quam Regem et Pontificem conveniebat, invectus est, asserens
iniussu suo, eo etiam vetante, plenum in causam compromis-
sum non limitatum scripsisse et sigillasse, cum si compro-
missum iuxta aliquorum Consiliariorum, probe et solerter
sapientium, limitatione temporis fuisset restrictum, nunquam

tam

tam gravi et praeiudiciali sententia Regnum Poloniae percul-
sum foret. Facile autem huic invectivae Albertus Episcopus Cra-
coviensis, tectus innocentia respondit, et instar excusationis fari-
nis obiectum diluit, declarans se in re ipsa nihil ex proprio
arbitrio, sed omnia ex Regis egisse imperio. Indignatio tamen
Regia humili et modesta responsione remitti non poterat, clan-
destino et vaporoso fomento assidue in Regio pectore exacer-
vata. Elisabeth siquidem Poloniae Regina, filium suum ex Vin-
centio Granowski susceptum, Ioannem de Pileza a Vladi-
slao Poloniae Rege in Comitem creari, et sua ditioni nonnullos
milites et nobiles circa Oppidum Jaroslaw consistentes, quo suus
Comitatus diuturnior et solidior ~~foret~~ fieret, subyci et infeu-
dari ordinavit. Dum autem literae creationis huiusmodi con-
scriptae forent, Albertus Jastrzembiecz Episcopus Craco-
viensis creationi huiusmodi se constantissime opposuit. Creationem
quoque et donationem huiusmodi, perniciem Regno Poloniae alla-
turam, omnibus conatibus persequens, etiam ad Sigillandum
literas, velut Cancellarius Regni nullo pacto poterat induci,
cuiusque solius renitentia et oppositione, creatio praefati Joannis
de Pileza in Comitem infecta et abrogata est. Magno itaque
fremitu et ingenti aestu Elisabeth Poloniae Regina iniurias
suas in Alberto Episcopo Cracoviensi ultum iri satagens,
Vladislaum Poloniae Regem in illum concitabat, et dum in
thalamo sine arbitris existeret, credulas Regis aures, crimi-
natione praefata, causam irae, quo in gravius odium crimina-
tum induceret, et quo efficatior foret criminantis auctoritas,
tegens et dissimulans implebat. Persuadebant insuper
nonnulli viri iniqui Vladislao Poloniae Regi quatenus sigil-
lum suum regale praefato Alberto Jastrzembiecz Episcopo
Cracoviensi, etiam tunc in Clobuczko detraheret, aut de-
trahi iuberet. Verum caeteris modestis et timoratis Consi-
liarijs id insanum censentibus, et non violentia, sed iure
de culpa, si cui foret, obnoxius, cum conveniri consulentibus,
assignatur eidem Alberto Episcopo terminus pro festo San-
cti Jacobi Apostoli in Lanciciensi Dieta, quae dudum
ante fuerat pro die illo instituta

CX.

Ex Clobuczsko Vladislaus Poloniae Rex per stationes solitas procedens, pro Dominica Palmarum in Wielun, abinde vero per Siradiam, et Brzeznam in Calisz pervenit, et illic festo Paschae exacto, per solitas stationes in terram Cuiaviae descendit. Cum autem in Brzescie in vigilia Ascensionis Domini ageret, Nuntius illi ex Cracovia allatus est, referens Reginam Poloniae Elisabeth die Dominico ante Ascensionem Domini Cracoviae defunctam esse et apud Mansionariorum Capellam in Cracoviensi Ecclesia sepultam. Quae novitas et Curiam Regis et universum Poloniae Regnum singulari gaudio exhilaravit, cunctis in commune laetantibus, probrum suum et Regis sui detersum esse, maiorque in funere quam in Coronatione ovatio celebratur. A solo Rege Vladislao maeror, brevis tamen, monstratus est, qui illi exequias solenni more apud Brestensem Ecclesiam feria sexta in crastino Ascensionis Domini egit. Nemo autem ex hominibus utriusque status mortis suae moderatam visus est ferre laetitiam, omnesque lugubribus stolis induti, funeribus Reginae risu et laetitia ovantes interfuerant, adeo illis molestum et execrabile fuit illud Regis connubium, laetabiliorque aliquanto in vultu et pectoribus hominum, exequiarum, quam nuptiarum versabatur solennitas. Sed et probra plurima, ludibriaque et tunc et in post in illam edebantur, ut satius aliquanto fuerit sibi fastigium regale nunquam usurpasse. Stanislaus etenim Czyolek tunc Notarius Regius, ex post vero in Vicecancellarium, et processu dierum in Posnaniensem Episcopum promotus, Satyram de illa et plerasque carmina, sugillatione et ignominia plena conscripserat. Socram illam scribebat factus multiplicitate exhaustam, propter thesauros dolabro oris sui ex humo egestos, decepto per mendacium Leone, coniugium suum ornasse. Ob quod facinus Stanislaus ipse Czyolek mandato Regio a curia fuit exclusus, ex post vero propter dicendi peritiam reassumptus, ex Vicecancellario, ad Pontificalem statum promotus.

Sancti Georgii die assistente Vladislaus Poloniae Rex Sbigneum de Olesznicza Praepositum Sancti Floriani, et Ianussium de Koscielecz Palatinum Vladislaviensem, ad levandum a Magistro et Ordine Cruciferorum de Prussia duodecim millia florenorum et quingentos florenorum Ungaricalium, ad quorum solutionem illos Sigismundus

dus

dus Romanorum et Ungariae Rex per arbitralem sententiam apud Uratislaviam latam damnaverat, in Thorun transmittit. Et licet Cruciferi dabis in solutionem praefatae summae aliquot millibus florenorum in auro, residuum argento puro se obtulissent suppleturos, Regij tamen Nuntij, ita enim a Rege mandatum acceperant, nullatenus ad aliud quam aurum monetatum recipiendum poterant induci. Non tam secundum grave quam intolerabile Vladislao Poloniae Regi et Alexandro Vuithaudo Lithuaniae Duci visum est, iuxta Sigismundi Regis decretum de terra naturali et propria Samogitiae facere pro Cruciferis cessionem, emergentiumque defectum aliquem summopere a Cruciferis optabant, quo Rex cum sua Sublimitate et Cruciferorum dedecore posset arbitrio contravenire, et defectum culpamque transgressionis in Cruciferos contorquere. Optimum igitur factu Regij Nuntij, defectum qui in solutione neglecta provenerat, rati, ex Thorun in crastino Sancti Georgij quia solutio in auro formato non implebatur, Cruciferis illos usque ad navigia prosequentibus, et obnixe ut compensationem auri in argento susciperent rogantibus, discedunt, Et ad Vladislaum Regem in Brzescie reversi laetum illi atque gratum nuncium afferunt, Cruciferos solutionem duodecim millium et quingentorum florenorum Ungaricalium non implesse. Ex quo parva, ut plerumque solet, et tenuis, bellum, quod in animo Vladislaus Poloniae Rex gestabat moliendi, et in sequentem aestatem exercitus traducendi, occasio affulsit, et Res ipsa dudum meditata desideratisque Regem et omnes suos magna hilaritate implevit.

In oppidum Cowalye Vladislao Poloniae Rege ex Brzescie divertente, Gentilis de Vuartemberg et Ulricus de Rosenberg caeterique Bohemiae Baronum Nuntius Vernerus de Ranhow advenit. Qui literis credentialibus exhibitis exponit et queritur, Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem praemittere oblationem Baronum Bohemiae humilem et submissam Vratislaviae de suscipiendo Bohemiae Regno illi factam contempsisse;

posse, duasq conditiones parum illis tolerandas et honestas, fractionem videlicet muri, in civitate Pragensi, et omnium armorum traditionem imperasse, sesq ludibrijs et alijs multiplicibus offensis eos laesisse, quarum indignitate permoti firmo proposito atq constanti, nullo unquam tempore in eius ditionem concessuri, rebellasent. Et Vladislaum Poloniae Regem in eorum dominum et Regem conformiter delegissent, petiti suppliciter, quatenus Vladislaus Rex non fastidiret praefati Regni suscipere regimen, neq tot Baronum et militum Bohemiae optime de se sentientum supplicationes moraretur, quas illos astruebat paucis post diebus voluntate Regia et beneplacito exploratis, per solemnes suos Oratores resumpturos.

Nuncio praefato Vuernero de Rabow Vladislaus Poloniae Rex clementer habito et munerato, se super re nova et gravi per eum delata, non nisi cum Consiliarijs suis ad plenum digesta, respondit, dummodo tamen et de sua in Bohemiae Regem conformi electione, et de conditionibus circa illam expressis fuerit primum a Baronibus Bohemiae ad liquidum certificatus, responsurum. Injurias insuper suas a Sigismundo Rege praefato in pronunciatione sententiae Vratislaviensis irrogatas, per praefatum Vuernerum Baronibus Bohemiae insinuat, Adijciens Sigismundum Regem pollicitationem suam de corrigenda iniqua sententia, et per se, et per solemnes suos Nuntios, frequentius repetitam non implesse.

Joannes Ziszha relicta ex Tabore Pilsna, bis a fratribus clade perculsus, ne in victorum veniret manus, versutijs obtinuit, Pepla enim mulieres de more exercitum suum sequentes, in loco aspero et iniquo, in quo ad certamen pedestre venire oportebat, in terram proijci iussit, quibus equites implicati victores a victis obtriti sunt, Lerium quoq castellum vi expugnans, Ulricum illius dominum familiamq suam gladio occidat, Et cum civitatem in quam se necessitate urgente reciperet, fortem non haberet, ad Lusznicium amnem locum natura munitum elegit, moenibusq cinxit, et ut quisq tentoria fixerat, ita aedificari sibi domos imperavit, civitatisq nomen Taborinedit, a quo et comites eius Taboritae appellati, maiorem partem Lusznicius amnis abluit, reliquum torrens non modicus ambit, Nicolaum deinde Magistrum monetae, a Si-

gismundo

gismundo Rege ad curandas res in Bohemiam missum, in sta
rasnicis nocte conflixit, et omnes illi equos ademit, et arma
subripuit

Ex Cowalye Vuladislaus Poloniae Rex

per solitas stationes, in terram Dobrzinensem se recipiens, Pen
tecostes festum apud Juniwladislaviam, Corporis Christi ve
ro apud Gnesnam tenuit. Et solitis progressibus usus, Lan
ciciam, conventionem generalem celebraturus, in festo San
cti Jacobi intravit. In qua universis fere Praelatis et Ba
ronibus Regni Poloniae convenientibus, Vuladislaus Poloniae
Rex in Albertum Jastrzambiecz Episcopum Cracoviensem,
Sbigneum de Brzesie Regni Poloniae Marsalcum, et Janussium
de Tuliszkowo Castellanum Calisiensem, quasi compromis
sum in causa Cruciferorum de Prussia, in Sigismundum Ro
manorum et Ungariae Regem, Rege inscio, et iniussu suo
largum extensum et non temporis restrictione limitatum scribi
et sigillari, suo cum suaque temeritate praesumpsissent, ius publi
cum instaurat, iudiciumque solenne, in tribunali iudiciario ipse
praesidens, locat. Frequens in id spectaculum fratrum, con
sanguineorum, amicorumque Petri Visch olim Posnaniensis,
quemadmodum etiam Cracoviensis Episcopi turba, quasi dato signo
convenerat, lata iram Regis in Albertum Jastrzambiecz Cra
coviensem Episcopum, fratres et amici sui Petri Visch a Cra
coviensi Episcopatu depositionis auctorem credidissent, contume
liam et iniuriam fratris sui occasione praebita ultura, Dum
autem Bartossius Wlodkowicz de Wirschoslawicze miles
de domo Szulima causam Regis procurando advocandoque
mordacius quam sat erat in Albertum Jastrzambiecz Epi
scopum, odio et ipse in Episcopum gravi ardens, germanam
enim neptem Petri Visch habebat pro consorte, invehebatur,
fratres et consanguinei Alberti Episcopi, quorum multitudinem
sororum, periculi discrimen praevaricans adduxerat, domini sui
improperium non ultra laturi, in contentionem versi, seditionem
gravem concitarunt, qua, Baronibus praesidentis indicio, deser
ti, deserere loca sua, et consulere sibi et suis coacti sunt. Con
tentione deinde in castro regali, apud milites in oppido consisten
tis, vulgata, maxima mortalium multitudo armis correptis

suis

sius anxiatura, ad castrum prorupit. Rumor ingens oritur, stri
dit mugitibus aether, periculum et ipse Rex veritus, tribunali de
serto ad Regiam cameram super portam sitam, cum primoribus Ba
ronibus confugit. Nec res sine caede mutua et plurimorum cru
deli interitu, partibus contra se ingenti furore frementibus, potuis
set transigi, nemine efervescentem insaniam interrumpere audente;
si portarum castri obseratio, pontisque elevatio, per quae currentibus
ex oppido et in castrum irrumpere satagentibus aditus restrictus
est, divinitate propitia, non fuissent secuta. Seditione tandem
compressa, etiam reconciliatio inter Vladislaum Regem et Alber
tum Jastrzembiecz Episcopum Cracoviensem, Sbigneum de Brzezie
Regni Poloniae Marsalcum, et Janussium Castellanum Calisiensem,
per medium Baronum, et signanter Joannis de Tarnow Palati
ni Cracoviensis procurata est. Habita deinde est super acceptan
do aut refutando Bohemiae Regno deliberatio, conventusque, conclusum
quatenus Vladislaus Poloniae Rex propter haeresim qua se plu
res Bohemorum inquinaverant, item propter assidue glisentem se
ditionem intestinam, et quod proprium Sigismundum Bohemorum
et Ungariae Regem habebat haeredem, tum propter varios alios
respectus, nullatenus Bohemiae Regnum suscipere consentiat, volun
tatemque suam suspendendo dissimulet, Bohemorumque legatis ad
illum propterea venturis nullum certum responsum edat, sed
proposito suo contecto, in spe illos quoad poterit detineat, ut Si
gismundus Romanorum et Ungariae Rex hostis pro ea tem
pestate infestus Poloniae Regno creatus, eo stimulatus remorsu,
desineret tam leviter in Regni Poloniae offensam grassari

Ad priscas Bohemorum haereses alia
praesens inaudita sub his diebus emersit. Picardus quidam ex
Gallia Belgica in Bohemiam penetravit, qui praestigiis quibus
dam virorum et mulierum sibi plebem concilians, et nudos
utrosque incedere iubens, Adamitas vocavit, et se filium Dei asse
rens Adam vocari iussit, connubiaque eis permiscua, si tamen prius
consulto peteret, atque cum his insulam amnis Luszniciae cin
ctam incolens, vicinos agrestes caedibus et spoliis lacessivit.
In quos Ziszka quamvis scelestus, scelus tamen sceleratissimus
ex Sorrenis exercitum duxit, insulaque expugnata Adamitas
omnes gladio et igni delevit, duobus tamen reservatis, ex quibus
gentis superstitionem cognosceret, Ridentes, cantantesque dum ma
ctarentur et incenderentur, occisionem et incendia pertulere.

Congregato

Congregato forti et numeroso exercitu ex variis gentibus Almanie, Ungarie, et Slesia, Sigismundus Romanorum et Ungarie Rex, ex Wratislavia circa festum Sancti Joannis Baptiste egressus per Swidnizam et Glozko copias ducens, in Bohemiam expeditionem agens, Pragam obsidere, solerti quidem, sed parum prospero consilio, Praga obtenta, faciles ceteras civitates per deditionem accepturus, cepit. Cuius obsidionem sex hebdomadis Pragensibus portas nocte et interdiu non claudentibus, obsidentesque continuis et secundis eruptionibus vexantibus, continuavit. Nec Pragenses, Szysczka accersito, et ei summa rerum tradita, eruptionibus contenti, castrum insuper Wissegrod quod pro Sigismundo Rege tenebatur, Czenko enim bina proditione insignis illud sibi tradiderat spe premiorum illectus, obsident, omnibus ingeniis et conatibus pro illius acquisitione adnixi. Et licet plures numero Barones Bohemie in solatium Sigismundo Regi accessissent, nonnulli tamen ex eis, cum Sigismundo Regi parum fidi, parumque puri forent, Pragensibus quoque Regis arcana prodebant, ex quo in Pragensibus maior animatio ad resistentiam fortius opponendam oriebatur. Almanorumque clades diatim proveniebat. Videns itaque Sigismundus Rex se Pragam acquirere non posse, ad castrum Sancti Wenceslai cum multitudine armatorum ingressus, se in Bohemiae Regem die Dominico Sancti Jacobi Apostoli a Conrado natione Westphalo Pragensi Archiepiscopo coronari et inungi procuravit, Coronationeque perfecta, molestias sui exercitus de solutione illum impetentis non tolerans, obsidione soluta, recepta lancea Domini, et clavo aliisque omnibus Sanctuariis Sanctorum reliquiis, clenodiis, thesauris, libris localibus tam per Imperatores Romanorum quam Bohemiae Reges apud Pragam et castrum Karlstein, quod sua ditionis erat, depositis, quae omnia temporis processu ducente necessitate aut vendidit aut distraxit, recepta insuper materiali corona Bohemiae in Ungariam licentiato exercitu nullo memorabili in rebelles Bohemos edito opere rediit, ex eoque tempore se Bohemiae Regem titulavit. Quo discedente castrum Wissegrod fortius a Pragensibus quati et obsideri coeptum est. Zysczka apud Pragenses agens, ex consilio

suorum

suorum Sacerdotum, omnes Basilicas delere adortus est, quae Sanctorum nominibus dedicatae fuerant, neque enim fas esse dicebant, alteri, quam soli Deo templa sacrari. Hinc plurima Monasteria, nobilesque Collegia, uno impetu in civitate disiecta; Ac dum Pragenses agre ferrent, quibus servandum decus aedificiorum videbatur, sensim ob recentem seditionem crudelius Zysschka cum suis abijt, pluraque fidelium loca expugnans, Sacerdotes Dei et utriusque sexus homines etiam cum infantibus, aut igne combussit, aut gladio extinxit. Fuit et alia in Bohemia Haereticorum factio Orebitarum appellata, quae territorium Grecz(?)ense, vicinasque fidelium gentis magnis afficit cladibus. In arce Vuisschegradensi, fame in dies crescente, cum caetera deessent, equinae carnes aliquamdiu pro cibo fuere, ad extremum nisi ad certum diem Sigismundus auxilium ferret, deditio promissa, lexque promissis adiecta, ut Vuisschegradenses Sigismundo venienti prorsus quiescerent

LANCICIENSI CONVENTIONE EXPEDITA, Vuladislaus Poloniae Rex venit in Vuolborsz, ubi ad suam Serenitatem Nuncij Regni Bohemiae venerant Hinek de Valstein, Halessek de Vurzieschow, item duo Consules Pragenses, Simon et Thanczka, item Joannes dictus Cardinalis, et Petrus Anglicus Sacerdotes, a Crassima et Borzkone caeterisque Baronibus Bohemiae destinati, advenerunt. Quibus dicendi potestate facta legationem suam explicant in hunc modum. Licet Serenissime Rex Venceslao Rege nostro Bohemiae obeunti, per solennes nostros Nuncios Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex fuerit humiliter rogatus, quatenus velut haeres Regni Bohemiae et successor veniret Bohemiam, et Regni Bohemici susciperet regimen; Ipse vero hostium nostrorum Almanorum seductus ingratusque consilio, humilitatem nostram et oblationem sinceram despitans ostentui, non securus Bohemiam accedere, et Regnum suscipere respondit, quam armis omnibus Civitatis Pragensis in suam et suorum officialium potestatem contraditis, et muro civili pro suo ingressu ruinato. Nobis autem hoc ludibrio, et convenientissimum erat, renitentibus, mox destructionem Regni nostri molitus est, et omnium fere Almaniae Principum hostium nostrorum collecto exercitu, Bohemiae Regnum ingressus populatus est illud, longo tempore civitatem Pragensem obsidione coarctans. Quam dum animadverteret se capere non posse, Regnum nostrum

nostrum, corona matriali, Sanctorum ossibus, et reliquiis, thesauris, libris, clenodiis, et omnibus localibus a longo tempore quesitis, spoliarunt, spoliaque huiusmodi et nostri Regni clenodia in Ungariam secum detulit, nonnulla vero distraxit. Quapropter tam crudelis Rex, tam prophanus homo, non solum nobis pro Rege habendus non est, sed velut nostri linguagii, nostraeque gentis hostis infestissimus ad internecionem usque persequendus. Si itaque gratum et acceptum est Serenitati tuae Regni Bohemiae suscipere dominium et gubernacula, illud tibi ab universis Baronibus, militaribus, civibus, et subditis Regni eiusdem deferimus, dummodo Sublimitatem tuam Regia nos certificet ab hostili nos invasione defendere, et quatuor articulos ritus nostri videlicet Communionem utriusque speciei, facinorum publicam correctionem, verbi Dei passim omnibus liberam praedicationem, et temporalium ab Ecclesiis et Clero oblationem nobiscum praestare. Neque enim Serenitas tua, Regno Bohemiae non suscepto, estimet se Regnum suum Poloniae posse aut in pace regere, aut sine grandi guerrarum strepitu obtinere, cum hostis noster communis Sigismundus Rex Bohemiae Regno destructo, aut saltem quassato, Polonicum tuum pessundare aspirabit, postquam pridem lata contra tuam Excellentiam, tuumque Regnum, iniqua et iniusta apud Wratislaviam sententia, plus iniquitati Cruciferorum, quam tuae compertus est iustitiae favisse, qui etiam dudum et nunc praefatos Cruciferos in tuam et Regni tui perniciem animat, et ad belli gerendum terum, gentium suarum solariis ingeniisque et dolis et quacunque valet arte, subornat. Haec Bohemus. Constabat autem et Zysskam, et factionem eius, legationi huic adversari, qui liberis hominibus Regem habendum esse negabat, sed in communi et libertati vivendum esse, nullisque parendum saecularibus Regibus aut Principibus astruebat, suadebatque magis parendum legibus, quam Regibus. Hisque adulterinis et simulatis sermonibus, stolidorum vulgarium animos et favores sibi arte et vafro ingenio conciliabat, ea spe et proposito, quatenus summam imperii apud Bohemos solus ipse facilius occuparet.

Bohemicae legationi Vladislaus Poloniae Rex, deliberatione cum suis habita, in hunc modum responsum reddidit. Molesta est nobis viri Nobiles omnis differentia, quae inter Sigismundum Romanorum et Ungariae

Regem

Regem et vos exorta invaluisset, nec secus de damnis et dispo
pulationibus vestris, quam proprijs, et signanter de interitu Civitatis
Pragensis singulari affligimur dolore, omnem operam nostram ad
rescindendum exortum dissidium, et in vestram reconciliationem,
si nobis collibuerit, navaturi. Cum autem res, pro qua convenistis,
supplicando ut Regni Bohemiae acciperemus regimen, grandis et no
dosa sit, gravique deliberatione egeat, non possumus in praesentiarum
ad illam, consultatione cum charissimo fratre nostro Duce Magno
Lithuaniae Alexandro Vitoldo primum non habita, respondere,
ad quem ex hoc loco speciales Nuntios, quatinus nobiscum in
loco et tempore apto conveniat, destinamus, sua nobis super re hac
consilia largiturus. Duobus deinde Bohemorum Nuntijs vide
licet Hinkone de Valstein et Simone Consule Pragensi in Lithua
niam ad parem legationem Alexandro Vitoldo exponendam
divertentibus, duo residui Vladislai Poloniae Regis ordinatione
in Nepolomicze remittuntur, procurationem plenam pro se et su
is habituri. In omnibus siquidem locis, ad quae praedictos Bohe
morum Nuntios venire contigerat, Ecclesiasticum servabatur apud
Poloniae Regnum interdictum, quoniam Summus Pontifex Mar
tinus quintus, singulos Bohemos haeresim Wicleffisticam praedi
cantes, et anathemati damnaverat, et loca in quibus consisterent
interdicta esse censuerat, propter quod in Nepolomicze deducti
sunt, velut in locum ab hominum conversatione sequestrati, ubi
sub omni tempore mansionis eorum, Ecclesiasticum tenebatur
interdictum.

Castrum Visschegrad apud Pragam

quod Pragenses longa obsidione constrinxerant, ab impendenti pe
riculo, defensoribus illius diuturna inedia maceratis, Sigismun
dus Romanorum et Ungariae Rex liberaturus, grandi exer
citu ex Bohemis, Polonis, Ungaris, et Almanis collecto, per
sonaliter Pragam advenit, Statuensque propius Pragam locare,
opem obsessis ferre, aut si id minus procederet, victualia ad
obsessos importare, omni studio constituit. Pragenses Regem
Sigismundum ad solvendam obsidionem venturum rati, loca
quibus solutio obsidionis administranda erat, scrobibus, fos
sisque subterraneis, et cuniculis occultis, levi desuper sabulo
constratis, quatinus supergradientes falleret, diudum infecerant,
dolis et insidijs hostem validius quam armis oppressuri.

militibus

Militibus itaque Sigismundi Regis et universo eius exercitu ad repellendum castri Vischegrad obsidionem, certatim Sigismundo Rege inspectante irruentibus, Pragenses in adversu iro pergunt, quorum paucitate milites Sigismundi conspecta, dum avidius in pugnam properant, in loca insidiarum praecipitantur, multis quoque locorum tantummodo iniquitate obrutis, caeteri sine aliquo humanitatis respectu barbarica rabie trucidati. Multa tum Bohemorum Sigismundi Regis partes sequentium indigna morte obruta fuere millia, et universus fere Bohemicae nobilitatis flos prostratus concidit. Ex Polonis Andreas Baluzski de domo Bipennium miles insignis, Georgius Smolnensium Dux, qui de suo Ducatu Smolensko ab Alexandro Vitoldo eiectus, ad Sigismundum Romanorum Regem se contulerat, Ex Bohemis Henricus de Plumow, Jaroslaus Konopizki de Sternbergh, pluresque alij milites insignes desiderati. Rex Sigismundus clade tam insperata et cruenta perculsus, cum reliquijs miserabilis exercitus, tristis, maestusque Ungariam repetijt. Ceciderunt ex Moravis quatuordecim Barones, ex Ungaris caeterisque gentibus quamplurimi, Arx Sigismundo Rege recedente Pragensibus dedita. Erant in territorio Pilznensi complura coenobia, opibus et structuris insignia, ex quibus Zyska quinque combussit, in Monasterio vero Cladrouiensi quoniam munitius erat, praesidium posuit. Huc Sigismundus exercitum admovit, sed Zyscha in eum ducente, turpi fuga recessit, nec diu postea Bohemiam quoque reliquit. Zyscha posthaec ad Pilznam ducens tentata magis quam obtenta expugnatione, videbat enim urbem egregie defendi Aponiam petijt, oppidoque potitus, populares cum Sacerdotibus frustra veniam petentes incendit. Oppidum deinde Rab impugnans, alterum oculum amisit, nec propterea castrensem laborem aut rei militaris curam omisit, Caecusque populus caecum Ducem sequutus est, Pragenses in oppido Verona, in quo praesidium Sigismundi erat castum, paucis vita reservatis, caeteros interimunt. Brod Theutonicum expugnant, Kutnam quoque et alias plures civitates dedentibus se oppidanis in potestatem accipiunt

Data

Data responsione apud Vuolborsz, Vuladi
slaus Poloniae Rex Nuntijs Bohemicis, per solitas stationes,
vadit in terram Sendomiriensem, deinde in Lublinensem, expost
vero in Russiae oram descendit. Qua peragrata in Niepolomizi
pro die Sancti Martini Consiliarijs Ecclesiasticis et Saecularibus
conuenire illuc iussis, aduenit, et Sigismundum Romanorum
et Vngariae Regem apud Pragam conflictum, Venceslao Opaviae
Duce celeri Nuntio sibi significante, tum primum agnouit. Bohe
morum itaque legatione frequenti deliberatione ventilata, ne
mini satis placuit Regnum Bohemiae cum haeresibus et
seditionibus cladibusque infestissimis, haerede insuper legittimo
Sigismundo Romanorum et Vngariae Rege existente, qui ad
illud a parte uxoriori assumptus et Coronatus erat, assumi. In
hancque sententiam Bohemorum Nuntijs responsum est, et Vula
dislaus Poloniae Rex propositum suum illis detegens, Regni
Poloniae finibus se contentum fore, et nullius externi egere
se professus est, Regnumque Bohemiae cum articulis ab Ecclesia
Catholica damnatis, nequaquam suscepturum. Licentiatis
deinde Bohemorum Nuntijs per solitas stationes in Litthua
niam procedens, totam illic hyemem absumpsit.

Quarto Calend. Aprilis Martinus
Papa quintus Florentiae agens Joanne Episcopo Lubucensi
qui in pontificatu illos annos aliquot exegerat, ad Strigoni
ensem Archiepiscopalem Sedem in Vngaria Sigismundo Ro
manorum et Vngariae Rege instante translato, Joanni Episco
po Brandeburgensi, petente Friderico Marchione Brande
burgensi prouidet de Lubucensi

ANNVS DOMINI MIL LESIMVS QVADRIN GENTESIMVS VICE SIMVS PRIMVS

Natalis Domini diebus, Vuladislaus Poloniae Rex apud
Troki celebratis, venationibus solitis in Litthuania
immorabatur, Sub quo quidem tempore coeptus est agi tra
ctatus, de Vuladislai Poloniae Regis filiae Hedwigis desponsa
tione

tionem; Sandivogius siquidem de Ostrorog Palatinus Posnani
ensis, Joannem Czarnkowski, et Joannem Surzka de Wroy
szewo, et nonnullos alios fratres et consanguineos suos Polono
rum milites, a Friderico Brandeburgensi Marchione in bello,
quod inter eum et Stetinenses Duces agebatur, apud oppi
dum Tangermunde captos, liberaturus, ad praefatum
Fridericum Marchionem descenderat. Inchoavit itaque
Fridericus ipse primus hunc tractatum, et verbis pru
dentibus multa subsidia contra singulos hostes Regni Poloniae
et signanter contra Cruciferos de Prussia, cum notabili terra
rum suarum pro Regno Poloniae perpetua applicatione, si
Vladislaus Poloniae Rex filiam suam unicam Hedvigim
virginem filio suo Friderico natu maiori desponsare digna
retur, coepit polliceri. Exquisita igitur, cum solerti scruti
nio, praefatus Sandivogius Posnaniensis Palatinus, mente
et oblatione Marchionis praefati, singulos tractatus cum
dicto Marchione habitos, Vladislao Poloniae Regi in Lit
thuaniam, per specialem Nuncium intimat, preces et con
silia adijciens, ut Vladislaus Poloniae Rex cum Mar
chione praedicto ut plurimum deprecante, quanto ocyus
conveniat. Vladislaus autem Rex super re hac cum
Alexandro Vithaudo deliberatione habita, neque affinita
tem Friderici Marchionis, neque conventum abnuiturum
respondit, et post festum Paschae proxime venturum,
Cracoviae locum ad se veniendi consignat.

Carnisprivij dies Vladislao Polo
norum Regi in Litthuaniam in Curia Novani, super flu
vium Merecz una cum Alexandro Vithaudo agenti,
proceres Bohemorum Nuncij Vilhelmus Hinek de Valsten,
Halisch de Wrzeszczow, Petrus Anglicus, venena An
glicana et ipsi Bohemis propinans, Joannes dictus Car
dinalis, item Consules Pragenses Simon Mikosz, et Mani
czka adveniunt. Habitaque audientia, supplicationem
priorem apud Vladislaum Regem resumunt, ut Regnū
Bohemiae acceptare dignaretur. Qui respondens, non
se aliquo pacto responsum superius apud Rzepolomacz da
tum variaturum, Alexandrum Vithaudum Ducem
magnū

Magnum Litthuaniae varijs precibus, oblationibus, et pollicitationibus enixius quo possunt fatigant, et conueniunt, obsecrantes, ut fratre suo Vladislao Poloniae Rege Regnum Bohemiae fastidiente, ipse illud suscipere dignaretur. Alexander autem Vitoldus nullo certo tunc responso edito, anno integro, Bohemicos Nuncios in spe ambigua detinebat, ne tamen prorsus visus foret eorum oblationem abijcere, tali eos spe soluat. Quamuis ego dominio meo Ducatu Magno Litthuaniae contentus existam, et Regni Bohemiae potentijs et diuitijs non indigeam, in odium tamen Sigismundi Romanorum Regis, qui per iniquam sententiam contra me latam, quamuis frustratus minus foret, terras meas natiuas mihi abiudicauit, non recuso Bohemiae Regnum suscipere, dum modo promittatis nihil temere et pertinaciter aduersus fidem Catholicam sapere, sed mandatis et instructionibus Ecclesiae in omnibus obedire, mihi siquidem articulos a vobis dogmatizatos Regno etiam Bohemiae acceptatos, neque defendere neque tenere in animo est. Et quamuis Christianae religionis nouus professor, nouusque Princeps sim, non tamen fidem semel susceptam et ritum illius, vestro pestifero dogmate inquinari sinam, institutis et obseruantijs vniuersalis Ecclesiae me in singulis conformaturus.

Sexta feria post Cinerum Vladislaus Poloniae Rex de Vuorani egressus, per Dubicz, Grodno, Kabno, Thur, Lubowlya, Hrodlo, Chelm, Crasnistaw, aliaque loca consueta ad Regnum Poloniae rediit. Redierunt et cum sua Serenitate Bohemorum Nuntij fuitque illis iterum apud Nepolomicze mansio consignata, donec illis finalis daretur per Alexandrum Vitoldum responsio. Venit autem Cracouiam Vladislaus Poloniae Rex pro Dominica Ramispalmarum, quo ad suam Serenitatem plures numero Slesiae Principes et ex varijs mundi partibus Nuntij confluxerant, quibus comiter habitis et expeditis cum Praelatis et Baronibus Poloniae iussu suo illuc conuenientibus, apud Cracouiam aliquot hebdomadis immorabatur, donec post festum Paschae Fridericus Brandenburgensis Marchio aduenit, a Vladislao Poloniae Rege cum insigni Praelatorum, Principum, et Baronum caterua usque in Prandnik sibi obuiam venire exceptus. Post varios autem tractatus sub diebus quindecim habitos, cum Marchione praefato et filio suo Friderico natu maiore, affinitatis foedus

ictum

itum est, et regia virgo Hedvigis illi desponsata. Foedusq;
huiusmodi etiam inscriptione et conditionibus firmatum sic ca-
vebatur, ut Fridericus filius Marchionis, cum filia Regia
Hedvigi Poloniae Regnum obtineat, si Vladislaum Regem
prolem masculinam relinquere non contigeret. Oram Saxo-
niam et terram Lubusiensem a corpore Regni Poloniae iniuste
alienatam, ipsi Regno Poloniae incorporet. Si vero Vladislaus
Poloniae Rex filium susceperit, Rex Poloniae et Regnum
florenorum centum millia dotem Hedvigi Virgini consigna-
bunt. Et quamvis aliqui Barones Poloniae affinitatem hu-
iusmodi cum Boguslao Stolpensi Duce ipsam per graves et
multiplicatos intercessores expetente probassent, persuasionis
tamen eorum uno facto Cristini de Ostrow Cracoviensis
Castellani confutatae sunt, qui navale solatium quo ipse Bo-
guslaus Stolpensis Dux ex Daciae Regis assistentia valebat
infirmum et casuale respectu terreni quo superabat Marchio
deduxit, asserens navale auxilium flante vento posse averti,
aut si nec ventus imperat, negligentiam et moram in ven-
tum et auram retorqueri, quod accidere a qua non potest in
terreno. Et quoniam Vladislaus Poloniae Rex aestate illa
expeditionem movere in Cruciferos firmaverat, affinem no-
vum Fridericum Brandeburgensem Marchionem requi-
rit de suffragio sibi contra Cruciferos ferendo. Qui certis causis
et respectibus allegatis, respondit se ad ferenda solatia Regi
eo anno parum idoneum parumq; valentem esse; consuluitq;
in annum integrum guerram et Treuga suspendi, se interim
vias ingenia atq; vias reperturum, quibus sine bello et armis
Cruciferi frangi, et in eam attritionem necessitatemq; redigi
poterunt, ut non solum quae Poloniae Rex imperaverit obedi-
enter singula facere sed et quadrigas equitationum suarum
vehere impellerentur. Ea persuasione Vladislaus Rex non
secus, quam vera laetus, a bello in Cruciferos ea aestate absti-
nuit, et Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege per nuncios
et literas procurante, in annum unum Treugam firmavit.
Acceptis deinde praefatus Fridericus Marchio a Vladi-
slao Poloniae Rege magnificis muneribus, suis quoq; in Poloniae
pontifices et Barones distributis, omnibus necessariis abunde in vinculo
et foederum tractatuq;, voti sui compos et hilaris in propria redijt

C. Federico Brandeburgensi Marchione Vladislaus Poloniae Rex licentiato, ex Cracovia, per Zarnowiecz, novam Civitatem, Bytz, Sandecz, in terras Russiae transit et festum Pentecostes in Biecz, Sanctae Trinitatis in Crosna, Corporis Christi in Crossnea agit. Dum autem diem Sancti Joannis Baptistae apud Oszimini ageret, Vuilhelmus de Lanwoy Burgundus miles advenit, et Vladislao Polonorum Regi ex parte Henrici Anglorum Regis literis commendatitijs et muneribus, videlicet stamine atlantico auro intexto, gallea ferrea crista aurea insigni, et duobus Anglicis arcubus praesentatis, petebat sibi per terras dominiorum suorum in terram sanctam Hierosolimorum tendenti, saluum conductum praestari. Vladislaus autem Poloniae Rex suapte in quoslibet advenas comis et munificus, non solum securitatem per terram suam praestitit, sed etiam illum amplissime donatum, Turcorum Caesari per literas commendavit. Quorum contemplatione miles praedictus Vuilhelmus ex Constantinopoli a Caesaris familiaribus per continentem usque Hierusalem perductus est. In patriam deinde reversus, magnis laudibus Vladislai Poloniae Regis in se benignitatem apud Burgundos et Anglicos impleuit, et usque in diem mortis suae gratiarum actiones in Vladislaum Regem celebrabat.

Ex terris Russiae pro festo Assumptionis Vladislaus Rex venit in Lublin, generalem Dietam cum Alexandro Vitoudo Lithuaniae magno Duce illic acturus. Qui cum utrique in frequentia Consiliariorum utriusque dominij convenissent, super rebus Bohemicis et legatione eorum deliberatione habita, talis Bohemorum Nuncijs, qui et ipsi ex Nepolomicze pro responso sollicitaturi advenerant, responsio, a Vladislao Rege et Alexandro Duce data est. Non licet nobis viri nobiles, qui Christiani censemur, an Serenissimus Princeps, Regni Bohemiae a nobis oblatum regimen excipere, cuius iusto haerede Sigismundo Romanorum Rege extante; Qui etsi foederis inita nobiscum amicitia, sanguinis quoque iura praevaricatus, sua arbitrali iniqua sententia gravissime nobis iniuriatus sit, nos tamen causa nostra Deo iniuriarum ad ulciscendum reservata

ta, ultori, fidei et Regni Bohemiae negocia sincere nos ad
ulturos administraturosque offerimus, vobisque omnium nostrā
operam pollicemur. Quod si erroribus a vobis dogmatizatis
quos universalis damnat Ecclesia renunciaturos vos con
senseritis, vos et Regnum vestrum curabimus nostra sol
licitudine ad bonum ordinem reducere, et ad pacem, sic
unata vobis vestri honoris integritate stabilire. Mittemusque
ex hoc loco certos Nuntios nostros ad Sigismundum Roma
norum Regem tractaturos secum modos et vias quibus
vos et Regnum vestrum ad fidem orthodoxam reduci,
et optimis religionis Catholicae moribus informari obtine
bimus. Nec solum illic, sed et apud Sedem Apostolicam
laborabimus pro vestra et Regni vestri honesta redu
ctione, pace, atque unione. Et cum Sigismundus Rex ha
beat duo amplissima Romanorum videlicet et Ungariae
Regna, gubernationi eorum intentus, scit se in tertij re
gimine parum bene posse versari, favendo vobis et Regno
vestro de unione et pace, existimamus illum de iure Re
gni Bohemiae haereditario et quocunque alio sibi competenti
facile, praesertim si haeresis vos reliquisse senserit, cessurum
vobisque largiturum authoritatem alterum Regem vobis
gratum et utilem substituendi. In eo quoque casu posset alter
ex nobis vestris annuere precibus et Regni Bohemiae
suscipere regimen. Sed et vobis erroris legi divinae et
Ecclesiae Dei adversantis dissentientibus, etiam in eventum
quo Sigismundus Rex difficilem se in cedendo monstraret,
non dubitabimus, Sede tamen Apostolica consulta et con
sentiente, in fidei Sanctae favorem, et Regni vestri quieta
tionem, vestrum Regnum acceptare. Ea responsione Bo
hemorum Nuncijs data, Lublinensis conventus solutus est.

Vigore recessuum Lublinensis Deputati
duo Nuncij Regis et Regni Poloniae nomine ad Sigismun
dum Romanorum et Ungariae Regem, videlicet Joannes de
Tarnow Palatinus Cracoviensis, et Sbigneus de Olesnicza
Praepositus

Praepositus Sancti Floriani destinarentur. Qui cum illum
in Tarnawa Regni Ungariae oppido offendissent, in hunc il-
modum Vuladislai Poloniae Regis exponunt mandata. Sere-
nissime Rex, Molestè admodum ferens Illustrissimus noster
Dominus Poloniae Rex Regnum tuum Bohemiae in Saevos
monstra, variasq; calamitates atq; clades civiles et externas
prolapsum esse, habita nuper in oppido suo Lublinensi super
danda responsione Bohemorum Nuntijs, Regnum Bohemiae
sibi offerentibus generali conventione, cui et fratrem suum
Alexandrum Vuitoldum Litthuaniae Magnum Ducem et
utriusq; sui dominij Poloniae videlicet et Litthuaniae Consi-
liarios adhibuerat, de rebus Bohemicis primum, in Sanctae fi-
dei favorem consultandum curandumq; duxit. Ea quoq; omnia
sibi aggredi constituit per quae Regnum illud et in tranquillum
posse reduci, et ab infectione haeresium purgari, summum se
Deo et tibi, summum religioni Christianae et genti illi unum
linguarij commercium cum gente sua Polonica habenti, obsequium
arbitratus praestiturum. Cum autem te abnuente id parum
bene fieri aestimat, obsecrandum et requirendum te per nos
suos Oratores instituit, digneris et ipse paterni antiquiq; Regni
calamitatibus compassionem ferre, faveriq; et annuere, ut
noster dominus Illustrissimus Rex Regnum praedictum, re-
nunciare haeresibus, pacem resumere, bella deponere, tuamq;
profiteri ditionem, vijs modestis et pacificis disponat, armis
id si sua monita a Bohemis spretum iri contigerit, effecturus.
Et quamvis tua Serenitas, ut cum eiusdem loquamur venia,
pollicitationis suas et in foedere cum Rege nostro initas
et post frequentius repetitas, non in aliquo tenuerit, et
solacium personale in Cruciferos ferre detrectaverit, et in ir-
ritum semper cesserit tua quamvis frequens et ingeminata
Iureiurando Regi nostro per te facta pollicitatio, non habet
rebusq; tecum non verbis neq; chartis agendum veter-
omnium itaq; tuarum in se praevaricationum transacta-
rum oblitus, offert se Bohemos ad Catholicae veritatis
puritatem, et Ecclesiae unionem, tuamq; obedientiam et
ditionem, sua cura, suaq; interpositione, modis honestis
et pacificis reducturum. Id si minus prospere successerit,
sua tibi.

sua tibi in Bohemos offert, vicissitudinariã in Cruciferos
a te, quod ad ea ex foedere obligaris, arma, prorsusque ad
domandum Bohemiam, cum omnibus suis potentijs, si tamen
Slesiae universam illi consignabis et insuper obsidijs loco
oram, progressurus non inde prius discessurus, donec Bo
hemi et fidei Sanctae unionem, atque ritum, et tuam aeque
fuerint obedientiam professi. Tu autem Regnum Bohemiae
solatijs Regis nostri adeptus, parem vicissitudinem, ad
quam ex solo foedere obligaris, etiam tunc saltem illi
et Regno suo reddas, et in Cruciferorum de Prussia exter
minium cum tuis copijs, laturus Regi nostro auxilium,
consurge, ut de sedibus ab eis occupatis, nostro communi
brachio possint depelli, et terra Prussiae inter vos duos
Reges, terris Pomeraniae, Culmensi et Michaloviensi
si Regno Poloniae redditis, partiri, maiorem illius par
tem altero ex vobis, qui numero et robore gentium prae
stabit, sortiente. Ubi autem haec omnia Domino nostro
Regi opere impleveris, reddere tibi Slesiae terras et de
illis excedere astrictus sit, sin minus in sua et Regni Polo
niae perpetua remaneant actione. Industriam siquidem
tuam optime sciás a Rege nostro intelligi, nec ita hebetem
esse Regem nostrum, ut verborum tantummodo sonum
et nuda promissa tua pro opere et satysfactione accipiat
Quapropter rogatus a nobis, praeteritarum tuarum
fictionum velamento contentus, vetera promissa novo
saltem aliquando implemento consolida, et non ficto
sed fideli et vero dimonstra te amore Regi nostro
et Regno foederatum. Perpendere quoque velis et scru
pulosius revolvere, qualis erga te Rex noster fuerit, et
an sibi sincero officio responderis, et quali illum et Regnũ
suum torseris assidue, torqueasque malevolentia et simula
ta calliditate.

Altera die Sigismundus Romanorum
et Ungariae Rex Polonorum Regis Nuntijs tale responsum
reddidit. Quamvis de benevolentia et oblatione amplissima,

~~magna~~ pgna

quae mihi ex parte fratris mei Illustrissimi Vuladislai Poloniae Re-
gis per vos denunciata est, admodum gratulor, quamvis optimam
suam voluntatem in reductionem Bohemorum conceptam commen-
dem, et summa efferam, reputemque dignam laude, insidet quoque
animo meo plena rectitudo et voluntas, ut et foedera cum Rege
Poloniae inita observem, et si quae a me neglecta, aut transgres-
sa sunt, instaurem, Slesiae tamen terras in vim observationis foe-
derum dare et inscribere parum iustum, parumque honestum dan-
ti et accipienti censeo. Ut tamen amantissimus frater meus
Vuladislaus Polonorum Rex plenum experimentum sumat, quan-
to ego zelo, quanta affectione, et in fidei Christianitatisque Rem-
publicam, et in suum honorem, amplitudinem, et profectum agor,
filiam meam unicam Elizabeth duorum Regnorum dote
locupletem praefato fratri meo Vuladislao Regi motu proprio
non rogatus, caeterorum principum eam procantium, et signan-
ter Alberti Austriae Ducis, cuius ob eam rem ad me priores
nobis venere legati, affinitate neglecta, in uxorem exhibeo,
gratius Regi vestro, quam cuicunque alteri Regi aut principi
illam locaturus. Cum qua non Slesiae tantummodo quam
expetitis ora, sed et duorum Ungariae et Bohemiae Regnorum,
ipso me, qui plurem prolem non habeo, sed neque amplius, deo
consors a nobis si liberet communiri poterit, habiturus sum, fa-
tis absumpto, veniet haereditas. Quod si Regi vestro filia
mea, quod parum nubilis et tenerula admodum, velut an-
num tantummodo undecimum supergressa, pro aetatis, in qua
vester Rex versatur, conditione visa fuerit, retineo alteram
filiam non secus quam ex me genita foret, charam, cuius con-
iugio terra Slesiae Rex vester poterit iustissime potiri. Sophiam
glorem meam, germani mei Venceslai Bohemiae Regis relictam,
apud Przeßburg commorantem, quam Regi vestro me despon-
saturum, dotisque nomine terram Slesiae cum centum florenorum
millibus inscripturum me polliceor. Vobis videre placeat,
et formam eius atque aetatem viridem, quo facilius id quod
ingero accipi vel refutari possit, experiri. Ea responsione
Sigismundo Rex data, in Poloniam Nuncios Regios,

pro

pro videnda Regina Bohemiae secundarius processit, qui aliquot diebus in Possonio commorati, visa Regina Offka familiarique collocutione cum illa frequenter habita, a Sigismundo Rege liberaliter et magnifice munerati, et in singulis Ungariae locis sufficientibus administrati necessariis Poloniam revertuntur. Crassius gratiusque Regi suo Poloniae quam speraverant quamque expectaverant relaturi responsum.

Lublinensi conventione peracta, Vladislaus Poloniae Rex versus Sandomiriam, deinde in Novam civitatem progressus, iterum in Lublinensem oram reversus est. Quo apud Bystrzycza agente, Nuncii ad Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem missi, Joannes de Tarnow Palatinus Cracoviensis, et Sbigneus de Olesnicza, quarta die Octobris regressi, et serum responsionis ad ligationem eorum factam, et tractatus cum eis per Sigismundum Regem habitos exponunt. Vladislaus autem Rex rem matrimonii, in quod a Sigismundo Rege sollicitabatur ad consilium et deliberationem Consiliariorum, et conventum apud Nepolomicze pro die Sancti Martini tenendum differens, Sbigneo de Olesnicza in Lithuaniam, ad significandum singula Alexandro Vitoldo, quae apud Sigismundum Regem egerant, et ad videndum virginem Ducissam Szoniam, Ducis Andreae filii Iwonis Kyowiensis Ducis filiam, Vitoldi Ducis Magni ex sorore neptem, cuius illi coniugium a Vitoldo Duce magnopere suadebatur, transmisso, ipse Bistrzerzam linquens, in Russiae terras processit.

Sub idem tempus nonnulli Electores Imperii cum Alemaniae Principibus, exercitu haud contemnendo congregato, ad vastandum Regnum Bohemiae ire pergunt, et castris circa oppidum Bohemicum Zatecz positis, expugnare illud summopere nitebantur. Sed cum Zateccenses fortiter resisterent, et exercitum Electorum crebris excursionibus lacesserent, Electores praefati Bohemiae agro

in

in plerisque locis vasto et pervastato in propria, multis tamen damnis susceptis, reversi sunt. Inter quos Sigismundi et praecipui habebantur. Maguntinus Archiepiscopus, Comes Palatinus ~~Regni~~ Rheni, Saxoniae Dux, Marchio Brandenburgensis, Federicus. Venire autem illos Sigismundus Rex pro die Sancti Bartholomei iusserat. A quo tempore illi in Bohemia usque ad diem Sancti Galli immorati, cum Sigismundus ad pollicitam diem non adesset, domos repetere, factis magnis sumptibus, fatigis, et impensis, et nulla rememorabili gesta, solam synonimiae notam ipsos et principatus eorum dedecorantem in proprios referentes penates.

Russiae terris peragratis Vladislaus Poloniae Rex pro die Sancti Martini in Nyepolomicze advenit, sequensque consilium praelatorum et Baronum suorum ad digerendam oblationem Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis tenuit. Omnium autem consiliariorum conformi approbatione et summo consensu Sigismundi Regis de Regina Bohemiae Offka, terrisque Slesiae et centum millium dote oblatio laudata et accepta est, decretumque Regem Vladislaum coniugium celebre et Regno suo perutile subiturum. Datur itaque omne conclusionis huiusmodi matrimonii onus Zawischo nigro de Garbow militi, isque extemplo ad Sigismundum Regem mittitur, singula quae conclusionem praefati matrimonii concernunt, sub oblatis conditionibus firmaturus. Qui dum ad rem iuxta instructiones sibi datas conficiendam, ad Sigismundum Romanorum Regem pervenisset, expeditione in Bohemos eum occupatum, et in itinere constitutum reperiens, legationem cum qua venerat exponit, paulatimque donec de Bohemica expeditione regrederetur, a Sigismundo Rege subsistere, et certam expeditionem legationis sua operiri iussus, Bohemiam et ipse tempore ratus Regem bella gerentem deserere, profectus est. Cumque Sigismundus Rex in multitudine gravi ex Ungaris, Polonis, Bohemis, Almanis, ceterisque nationibus collecta, Bohemiam circa natale Christi festum intrasset, ad oppidum Gora quod Latine Cutsni montis appellatur, primum applicant, et primo impetu, neque enim aut situ, aut arte ad resistendum satis tutum est, capit illud.

Multi

Multi autem ex Bohemis et Almanis, qui Bohemiae Regnum ab annis multis incolebant, haeretica labe indignum ducentes pollui, cum omni suo pignore, et suppellectili, quam ferre poterant, Sigismundo Regi adiuncti sunt, quibus benigne appellatis et recollectis, bono animo esse, de seque meliora sperare iussit. Interim Bohemorum Haereticorum exercitus, ex Taboritis, Pragensibus, caeterisque Bohemis rapto vivere solitis, aut aere alieno gravatis, collectus, Duce Scisska quamvis caeco contra Regem Sigismundum, septus curruum ab omni parte multitudine advenit. Quem Sigismundus Rex, cum numero ac robore gentium validior multo superiorque foret, exercitu suo in gyrum cinxit et conclusit. Non ob id tamen Bohemicus exercitus segnior effectus, praelij congressum nocte et die una, paratus ipse ad decernendum, operiebatur. Dum vero se neque invadi sed neque infestari, a Sigismundi Regis exercitu animadverteret, ausus maiores sumens, ex stationibus suis, et conclusione qua velut corona septus erat, se movet, et gentibus Sigismundi Regis sibi cedentibus salvus discessit. Fugisse autem Sigismundus Rex Bohemicum exercitum pavore non conditione a suo conspectu ratus, movit et ipse suas copias exercitus, et tutum se multitudine atque suorum existimans, solutis ordinibus nulla iusta acie compositus, non secus quam inter fidos et domesticos, nullam hostilem invasionem suspicatus, palatis per agros et diverticula militibus progrediebatur, Cum subito acies Bohemica se ostendit, et sublato valido clamore in dispersos et incompositos irruit, primosque et resistere ausos sternens, in caeteros magnam caedem edit, Multi milites insignes dum turpe fugere existimant, aut occisi aut capti sunt, Rex ipse Sigismundus ne vivus in hostium manus deveniret, cum multitudine exercitus sui fuga in oppidum Nyemeczski Brod, quod ditionis suae fuerat, pervenit. Bohemi haeretici occulto Dei permittente iudicio, victoria ingenti, facili, et brevi dimicatione, potiti, etiam castris et curribus Regijs multisque nobilibus spolijs potiuntur.

Oppido

Oppido deinde Cora, altero post conflictum die spoliato, oppi
dum Nyemeczski Brod, rati Regem Sigismundum illic consistere,
qui nocte praecedenti futuram obsidionem veritus clam profugerat,
obsidione vallant, et gravissimis illud turres moeniaq; bombar
dis quatiunt. Zawischius niger de Garbow miles Poloni
cus, quamvis potuisset ex oppido, priusquam a Bohemis valla
retur, discessisse, parum tamen in sua concertum, suisq; moribus et
institutis connumeratus, et milites notabiles de exercitu Sigi
smundi Regis, qui secum una in oppidum se receperant, et op
pidanos fidem Regis Sigismundi sequutos deserere, consistendum
illic duxit, et quo ad potuit cum caeteris militibus, ne oppidum
capi posset, fortissime restitit. Verum nonnullis oppidanis
prodentibus, hostes oppido potiti, Zawischium nigrum militem
Polonorum, caeterosq; Polonorum, Bohemorum et Almanorum mili
tes comprehensos, in stragam perduxerunt, ubi per tempus lon
gum captivitatis ferre molestias coacti sunt. Haec itaq;
Zawischij nigri captivitas tractatum et conclusionem ma
trimonij inter Vladislaum Poloniae Regem et Offkam Bo
hemiae Reginam consumandi, locum sydere intercepit. Szyszka
Sacrilegae partis Dux ea pugna nobilitatus famosior inde
esse coepit, et in Catholicos Clericosq; desaevire, ne amplius
ullam pati aut statuam Sanctorum, aut picturam, poterat,
nec tolerandum esse putabat, qui prisco more Sacerdotalibus
indutus rem divinam ageret. Oppidum insuper Brod Theuto
nicale incendit, quod annis quatuordecim absq; habita
tore desertum stetit. Pipo Florentinus qui equites in eam
expeditionem quindecim millia ex Ungaria duxerat, per
glaciem iter habuit, quae multitudinis pondere fracta, ple
rosq; mortales mersit

Causam suam pro terrarum Regni
Sui Pomeraniae, Michaloviensis, et Chelmensis repetitione
Vladislaus Poloniae Rex apud tribunal Summi Pontifi
cis Martini Papae quinti, qui se illi iustissimum iudicem
pollicebatur, instauraturus, Magistrum Paulum Vladi
miri, Decretorum Doctorem, Custodem et Canonicum Cra
coviensem, de domo Doliwa, nobilem, et Jacobum de

Paravisino

Paravisino Italicum ex Nyepolomicze in urbem transmittit. Dantur praefatis Nunciis ex thesauro Regio pecuniae necessariae, et instructiones ad causam. Et causa duobus Cardinalibus, videlicet Cardinali Venetiarum, et Cardinali Sancti Marci commissa, Antonius Zeno, utriusque Juris Doctor ad Regnum Poloniae, Summi Pontificis Martini mandato transmittitur, pro testibus pro parte Regis et Regni Poloniae recipiendis et examinandis. Vuladislaus Rex ex Nyepolomicze per solita stationum loca in Litthuaniam proficiscitur, et ferarum venationi, usque ad diem natalis Christi, Litthuaniae insistens, diem Natalitii Salvatoris apud Trokhi celebrat

Joannes Vuladislauiensis Episcopus

appellatus Cropidlo, Opoliensis Dux, cum annis uno et viginti in Vuladislauiensi Ecclesia sedisset, in oppido suo Oppoli, feria secunda post Dominicam Laetare moritur, et in Monasterio Fratrum Praedicatorum eiusdem Opoliensis oppidi sepelitur. Cui per electionem Canonicam et Regiam suffragationem Joannes Pella de Nyewyesch, Praepositus Cruswiciensis nobilis de domo Pomyanowye, licet Martinus Papa quintus Jacobum Plocensem Episcopum transferre in illam deliberasset, succedit. Coemerat autem praefatus Joannes Vuladislauiensis Episcopus sub tempore, quo pro Gnesnensi Ecclesia et eius sede habebat litigium, pro certa pecuniae summa in civitate Vratislaviensi domum insignem muratam, cum aliquot domunculis collateralibus prope Ecclesiam Sancti Matthaei, pro fratribus et nepotibus suis, Ducibus Opoliensibus, ea conditione, ut si quando stirps masculina Ducum Opoliensium deficeret, nullus alius nisi Archiepiscopi et Ecclesia Gnesnensis succederent, perpetuo in domo eadem

Insolentiam Joannis Monachi apo

statae, ex Ordine Premonstratensi, qui in omne scelus audax et seditionibus insignis, ac propterea Seditiosorum

facili

facile princeps, plurimos facundia sua lingua faciebat insanire, Pragenses Consules non ferentes eum in Praetorium vocaverunt, et novem simul scelerum principes, tanquam de Republica cum his aliquid acturi forent, Intromissosque statim percussere gladio, et quasi nihil actum esset, paratam civitatem arbitrati, domos quisque suas repetiverunt. Re autem vulgata ad populum, tumultus e vestigio factus, invasum et expugnatum armis Praetorium, undecim Consulibus qui authores rei putabantur occisis. Collegium Caroli direptum, et omnes Bibliotheca dissuta, Mulieresque Joannem Monachum velut divinum habebant, caput eius intercipientes, pluribus diebus gemitu edito per Ecclesias et plateas circumtulere, Beatum vociferantes, et Sanctum virum, qui pro veritate et patrum traditionibus occubuisset, contra vero nefarios et Sacrilegos qui optimo Sacerdoti manus iniecissent, Itaque caput illud quamvis scelestum et prophanum aromatibus conditum inter sacras reliquias redactum est, et a fatuissima gente, non secus quam celebris Martyris veneratum.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS VICESIMVS SECVNDVS.

Dominico Natali Vladislaus Poloniae Rex apud Trobki exacto, in Vngry venationes resumpturus profectus est. Alexander autem Vitoldus Dux Litthuaniae, dum Sigismundum Romanorum et Vngariae Regem per Bohemos et Pragenses audisset conflictum, et Zawischium Nigrum de Garbow militem, qui pro consumando inter Vladislaum Regem et Offcham Bohemiae Reginam, ad Sigismundum Regem missus fuerat, captum, plurimum casu utroque laetatus est. Temporis quoque opportunitatem nactus, Vladislaum Poloniae Regem precibus, consilijs, donis, et promissis sollicitat, et tandem pervincit, ut spe de contrahendo cum Offcha Bohemiae Regina omissa, Ducissam Szonkam virginem neptem suam in coniugem accipiat. Et licet tam Sbigneus de Olesnicza Praepositus Sancti Floriani, ab omnibus Consiliarijs Poloniae apud Nyepolomicze summo studio rogatus, quatenus

Regem

Regem a matrimonio Litthuanico averteret, ne illius contra
ctu maximos profectus, amplitudines, et commoda, in Poloniae
Regnum per Slesianarum terrarum inscriptionem ex matri
monio cum Offka Bohemiae Regina consumando defluxu
ros contingeret restringi, quam omnes alij Poloniae Barones
et milites cum Vuladislao Rege apud Litthuaniam prae
sentes, varijs persuasionibus, supplicationibus, et ingenijs
Vuladislaum Regem a Litthuanico matrimonio perseve
ranter averterent. Omnium tamen conatus et studia Ale
xander Vuitholdus dissolvens et eludens, Vuladislaum
Regem Neptis suae Duchssae Szonkae virginis, filiae An
dreae filij Iwonis Ducis Kyoviensis matrimonium,
nullam ferme dotem laturum, accipere induxit. Redi
ens itaq; praefatus Vuladislaus Poloniae Rex pro Dubus
Carnisprivij in Nowogrodek, praefatam Duchssam virgi
nem Szonkam, tertio et quarto affinitatis gradu illum
contingentem, fonte Baptismatis, graeci enim ritus erat,
perfusam lotam, et transmutato nomine Zophia appella
tam accepit in uxorem. Et Matthia Episcopo Vilnensi
verba Sacramenti pronunciante, matrimonium Poloniae pa
rum gratum, sibi viro in decrepitam aetatem vergenti
minus necessarium et idoneum consumat. Nuptiaeq; apud
Nowogrodek magnifico apparatu celebrantur, inter dispa
res contrahentes, Vuladislaum Regem decrepitum, et prae
fatam Zophiam virentem tunc aetatem agentem, forma ve
nustiorem quam moribus.

Nuptijs peractis Vuladislaus
Poloniae Rex, novam nuptam Zophiam Reginam secum
ducens, feria quinta in crastino Cinerum e Nowogrodek
egressus, venit Lucam. Ubi ad eum Antonius Zeno
Vtriusq; Iuris Doctor Martini Papae quinti Nuntius
testes in causa cum Cruciferis de Prussia inducendos
examinaturus, Originaliaq; Privilegia et literas visu
rus, advenit. Qui cum pro suo adventu et Regi Vula
dislao, et Alexandro Vuithaudo gratus foret, magnifica
illi a Rege et Duce munera fuere oblata. Quae cum vir
egregius

egregius pro sua integritate fastidisset suscipere, cum enim virum Martinus Papa in causa praefatae examinationem transmiserat, quem noverat iustitiae fidum arbitrum, usurum, avaritiae nec munera quantumcumque pondus habentia, insibito sibi speciali iussu eorum usu, accepturum, muneribus non posset eum corrumpi, Vuladislao Regi et Duci Vuithaudo acceptior coepit esse atque gratior. De Lida Vuladislaus Rex per Vuolkowiszkia et alia consueta loca, Antonium Zeno Apostolicum Nuntium secum ducens, in Regnum Poloniae reversus, Cracoviam divertit. Quem adhuc in itinere constitutum Lampertus de Byenyeszen miles Guilhermi Ducis de Monte Nuncius convenit, Ducis sui nomine supplicans, quatenus praefatum Guillermum Ducem in suum et Regni sui Poloniae Principem Omagialem, et subditum suscipere dignaretur. Vuladislaus autem Rex legatione nova et insperata eius Principis, cuius non nomen, sed nec Principatum velut longe a se distantis unquam audierat, benigne respondit, quod etsi sibi foret grata Ducis Guillermi prona in se et Regnum suum Poloniae submissa devotio, utrique tamen et offerenti, videlicet Duci, et Regi accipienti ius feudi propter distantem situm non convenire, Neutrum enim feudale ius si necessitas deposceret, et defendendi subditum et Omagialem a Rege, et obsequium a Duce praestandi, impleri non posse, Vuladislaum tamen Regem suius devotionis et benevolentiae memoriam, favore diuturno habiturum. Honorato autem et munerato Lamperto Nuncio, donis insuper magnificis, et quae et mittentis liberalitatem atque munificentiam, et accipientis devotionem exprimere possent, Duci Guillermo inter Burgundiam et Almaniam citra Rhenum Principatum suum obtinenti, transmissis, Lampertus ipse in propria rediit. Facultatis autem Apostolicae, quam secum praefatus Antonius Zeno attulerat tenor talis est.

Martinus Episcopus Servus servorum Dei

Dilecto filio Antonio Zeno, Decretorum Doctori, Canonico Paduano, Referendario nostro, Salutem et Apostolicam benedictionem

Apostolica

Apostolica sedes solerti studio semper invigilat, ut dissen
diae atque controversiae, quae inter Christi fideles invicem dis
sidentes exortae sunt, ne scandala graviora exinde oriri
possent, per concordiam, vel saltem iuris medium sopi
antur. Cum itaque dudum per literas nostras, et quaestio
nes et controversiae, quae inter carissimum in Christo fili
um nostrum Vuladislaum Regem Poloniae illustrem, quae
etiam dilectum filium nobilem virum Alexandrum alias
Vuitholdum Lithuaniae Ducem dicuntur contingere ex una,
ac dilectos filios Magistrum et fratres Ordinis Beatae
Mariae Theutonicorum Ierosolimitan. ex alia partibus,
coram nobis pendebant et pendent, ad tollendum pluri
ma scandala, quae utrinque exoriri poterant, per concordiam
et accommoda media tollerentur, utrasque partium praefatam
propensius exhortati fuerimus, Et altera partium ad id mi
nime consentiente, obtulerimus nos ipsas partes in facto,
et in iure plenius audire, probationis amplioris, ipsasque
quaestiones plenissime discutere, ac fine debito, concordia
vel iudicio, terminare, Ideo ac infra proximum festum Do
minicae Resurrectionis eisdem partibus terminum assignan
tes, ita quod pars utraque in Calend. Ianuarij proxime
venturi, super praemissis cum omnibus suis munimentis
ad causas huiusmodi pertinentibus compareret, et inte
rim si qua proponere aut probare voluisset coram deputa
tis aut deputandis a nobis et illa die Calend. Ianuar. pro
duceret, ut exinde infra dictum terminum Dominicae Re
surrectionis plene animum nostrum informare, ipsasque
controversias, concordia, vel iudicio, ut praemittitur, ter
minare possimus. Et ut haec cum maiori tranquillitate
fierent, ac interitus animarum, corporum strages, de
populationes agrorum, et provinciarum exterminia, procul
abessent, partem Regiae Serenitatis exhortati fuerimus,
alteri vero parti mandaverimus stricte, ut Treugas
inter ipsas partes tunc pendentes, per unum annum tunc
proxime sequuturum prorogarent, prout in eisdem no
stris literis utrique parti transmissis plenius continetur

Ac

Ac expost ob pestem, quæ post datam literarum præfatarum
in urbe viguit, ac curiæ nostræ mutationem, aliasq; plures oc
cupationes graves non potuerimus circa præmissa vacare, et
licet eisdem etiam detineamur ad præsens, tamen ad tollendum
scandala huiusmodi dissensiones, et litigia, per concordiam si
fieri potest, aliàs iudicio supremis affectibus aspiramus, Ac
tibi deinde per alias literas nostras duxerimus committendum,
ut ad partes ipsas te conferens, utrasq; partem cum omni solli
citudine ac vigilantia ad concordiam reduceres, prout in eisdem
literis latius continetur. Cæterum si operante satore Zizaniæ
concordiam per te non fieri contingeret, de quo plurimum dolere
mus, ut scandala atq; discordia præfata omnino tollantur, per
viam iustitiæ atq; iudicij ipsas quæstiones decidi expediens
esse dignoscitur. Nos igitur de tua prudentia aliysq; virtu
tibus quibus pollere dignosceris in his et alijs sumentes in
Domino fiduciam specialem, ac tollentes et circumscribentes
terminos dictis partibus in primis literis assignatos, qui ex
lapsu postea temporis ad faciendum et exequendum, quæ ne
cessaria et expedientia sunt, sufficientes nequaquam esse noscun
tur, Tibi præsentium tenore committimus et mandamus, qua
tenus causam et causas, quam et quas præfati Rex Poloniæ
et Dux Litthuaniæ coniunctim vel divisim adversus di
ctos Magistrum et fratres, nec non præfati Magister et
fratres adversus dictos Regem et Ducem etiam coniunctim
vel divisim, cum suis emergentijs dependentijs et connexis
movere voluerint, audias, ac de illis cognoscas simpliciter
summarie et de plano sine strepitu et figura iudicij, usq;
ad diffinitivam sententiam exclusive, cum potestate citandi
ipsas partes etiam per edictum secundum iuris dispositionem.
Et ad tollendum difficultates et discordias, quæ ratione loci
ad præmissa audienda et cognoscenda verisimiliter exorire(n)
tur, locum Glogoviæ magnæ Vratyslaviensis Diœcesis, qui
neutri partium subiectus est, ad audientiam et cognitionem
huiusmodi tibi et ipsis partibus deputamus, nisi partes ipsæ
de alio loco aut locis ad præmissa consenserint. Pro causis
tamen concernentibus terras aut aliqua Ducatus Litthua
niæ aut terræ Samagitarum ad instantiam dictorum Regis
et Ducis audiendas et cognoscendas in Ducatu vel terra Sama
gitarum

gitarum praedictos, quae et qui vicina sunt terris et dominiis
dictorum Magistri et fratrum, propter magnam distantiam
a loco Colloquii praedicto eligas et deputes, de quo commodius
ipsis partibus et tibi videbitur expedire. Volumus autem
ac tibi committimus, et mandamus, quatenus ad recipiendum
literas et instrumenta quas et quae partes praedictae vel earum
altera in modum probationis producere voluerint, ad locum
et loca quem et quae quaelibet ad partium producere volens
etiam in suo dominio vel territorio duxerint eligendum pro
pro se accedas, et altera parti vocata recipias, probationemque
seu confessionis partium super sigillis et signis dictarum lite
rarum et instructorum eidem admittas, Et si pars produ
cens dubitans de periculis perditionis literarum et instru
mentorum praedictorum, si ad alia loca transferrentur, illas
et illa transcribi et transsumi petat, data prius alteri parti
facultate literas et instrumenta huiusmodi plene inspiciendi
illas et illa in formam publicam, vocata altera parte transsu
mas, et transcribi facias, cum designatione sigillorum, sub
scriptionum, et signorum in eisdem literis et instrumentis ap
positorum, Decernasque authoritate nostra sic transumptis fi
dem sicut Originalibus adhibendam, Causamque et causas hu
iusmodi instructas cum omnibus propositis allegatis, et
productis utriusque partis ad nos referas et reportes in
termino de quo tibi videbitur expedire, ad quem partes ip
sas cites peremptorie coram nobis, ut quaestiones ipsas,
causas, et controversias concordia vel iudicio valeamus
terminare. Volumus insuper ac tibi committimus et man
damus, quatenus cuilibet partium praedictarum earumque
procuratoribus, Nunciis, testibus et personis pro eis interveni
entibus ac rebus aliis quibuscunque, pro praemissis expedien
dis securitatem authoritate nostra praestes, et sub nostra
et Sedis Apostolicae protectione suscipias, quos et quas nos
exnunc suscepimus, Et insuper volumus, quod quaelibet
partium praedictarum alteri parti petenti securitatem, in
forma, qua decueris, praestare teneatur. Testes autem
si favore, vel odio, vel timore, aut aliqua alia humana gra
tia se subtraxerint, compellas per censuram Ecclesiasticam

veritati

veritati testimonium perhibere. Non obstantibus Privilegiis ordinationibus et constitutionibus Apostolicis, et praesertim illa felicis recordationis Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri qua cavetur ne quis extra suam Dioecesim, nisi una et in certis casibus dualibus dictis ad iudicium trahi vel evocari valeat, Aut si eis vel alicui eorum a Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possent per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum octavo Calend. Decembris Pontificatus nostri anno quinto.

Aliquot Hebdomadis Vladislaus Poloniae Rex apud Cracoviam immoratus, in terras maioris Poloniae Zophia Regina, et filia Regia Hedwigi in Cracovia remanente profectus. Antonius insuper Zeno Nuncius Apostolicus officium ad quod destinatus fuerat, sincere implicaturus, testibus primum pro parte Poloniae Regis Cracoviae inductis, examinatis, literisque et Privilegiis variis visis et transsumptis in maiorem Poloniam et ipse diuertit. Et Ecclesias Cathedrales, et Collegiatas, Monasteria quoque maioris Poloniae personaliter adiens, quaerendo testes, vetustasque literas et Privilegia veritatem rerum quam maxime attestantes videbat, examinabat, et transsumebat. Vladislaus interim Poloniae Rex apud Vielun oppidum pro Dominica Palmarum agens, Nicolaum Gnesnensem Archiepiscopum, et Andream Lyaszkary Posnaniensem Episcopum ad se venientes de solutione summae quinque millium florenorum in Clero Poloniae sibi per Martinum Papam assignatae requirit. Qui cum ad aliorum provincialium Episcoporum deliberationem rem distulissent, conformiter ab universa Poloniae Ecclesia Vladislao Regi responsum, nullatenus Pontifices et Clerum Papali assignationi pariturus, tum quod Clerus et Ecclesia, consignatione ipsa plurimum gravarentur, tum quod perniciosissima foret sequela, tum quod consignatio conditionalis foret, si videlicet Regem expeditionem in Bohemos haereticos aut Schismaticos agere contingeret, Qua non impleta se Apostolicis mandatis non teneri. Et licet Vladislaus Rex responsionem cleri molestius ferens refellerit, Pontificum tamen constanti oppositione et renitentia, tributum, et exactor quievit.

Ex Concilio Constantiensi Nicolaus

Gnesnensis

Gnesnensis Archiepiscopus, reminiscens molestiam ferens Ecclesiam suam Gnesnensem, Collegium Mansionariorum non habuisse, nec cursum et laudes gloriosae Virginis Mariae in eandem dum cecinisse, Ne Ecclesia ipsa in Officio praefato aliis suis suffraganeis Ecclesiis in Polonia collegia Mansionariorum dudum habentibus censeretur et inferior et deformior, Collegium Mansionariorum de decem personis Officium praefatae Virginis Mariae de Assumptione expleturorum, in praefata Ecclesia sua Gnesnensi perpetua fundatione erigit. Quibus pro dote decimas manipulares mensae suae Archiepiscopalis de consensu Capituli in villis Zorawa, Lyssini, Czyeslawicze, Borowo, Vuyszniewa, Lutsowo, et maldratas in Myrczewo assignavit

De Vuielun oppido Vladislaus Poloniae Rex egressus, festo Paschae apud Calisz celebrato, feria tercia post conductum Paschae in Radziow advenit. Quo illi suus gener et filiae Regiae Hedvigis sponsus Fridericus iunioris Marchionis aetatis octennis Brandeburgensis, Friderici filius, per Joannem Lubucensem Episcopum et aliquot spectabiles Brandeburgenses milites adductus et praesentatus est. Quem Vladislaus Rex gratissime excipiens, curam illius viro venerabili Magistro Helieo Servei Theologiae Professori, Sendomiriensi Decano, et Petro Cebinski militi optimis erudiendum moribus mandavit. In curia quoque sua assidue illum in latere suo ad tabulam locando tenuit, ut Regni Poloniae Optimatibus notior fieret, quorum Princeps et Rex futurus fuerat declaratus. Ex Radziow Vladislaus Rex proficiscit in Brzeszcze, sub quo tempore Sigismundus Korybuth Lithuaniae Dux et nepos regius germanus de mandato Alexandri Vitholdi Ducis Magni Lithuaniae, Vladislao insuper Poloniae Rege et consentiente et probante ad recipiendum Regni Bohemiae nomine Alexandri Vitholdi possessionem cum frequenti et valido Polonorum exercitu, impensis Alexandri Vitholdi expeditus, Bohemiam proficiscit. Erat autem sub tempus idem Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex conquisitioni castri et civitatis Ostrog in Moravia occupatus, Qui Ducis Sigismundi Korybuth adventum, ne ipse et exercitum suum

um

um irruerat, pertimescens, singulis apparatibus bellicis, quibus ob
sessos conquirere nitebatur, concrematis, obsidionem soluens, et in Vula
dislaum Poloniae Regem Alexandrum quoq Vuitaudum grani indi
gnatione fremens, Vngariam regrediebatur. Dux autem Sigismun
dus hostibus Morauiam ingressus oppidum Vinczow situ et mu
nitione forte quoniam illum non suscipiebat expugnare aggressus,
facile conquirit, datoq oppido militibus in praedam in Bohemiam
contendens Pragam aduenit, Et a plerisq Baronibus et nobilibus
Bohemiae, ab uniuersis vero Pragensibus ciuibus de aduentu suo
laetantibus, et claues Ciuitatis Pragensis et castri utriusq po
ssessionem sibi consignantibus, summo studio et fauore, summaq gra
tulatione exceptus est, et magni illi honores tam a Baronibus
quam a ciuibus Pragensibus habiti, summaq rerum tradita,
Qui ciuitatem breui ad meliorem formam redegit, nobilibus
et qui viuere quiete vellent blandus atq amicus, in seditiosos
ac facinorosos asperrimus vindex. In Sinus aduentu munitissi
mam arcem in editiori monte sitam, quam Karlsztin aliàs
Castrum Caroli vocant, oppugnare placuit, quod illic literae
priuilegia, et iura Regni seruabantur. Pro cuius defensione Si
gismundus Romanorum et Vngariae Rex quatuor centurias
militum pro praesidio reliquerat. Castra tribus locis posita
sunt, obsidio sex ducta mensibus, neq die neq nocte prouisione
ingentium saxorum omissa oppugnatio, Illam dum et resil
ribus et humano stercore in fossis omissa, tantum obsessis
factorem attulerunt, ut omnibus dentes inficerent aut decaderent,
aut nutarent, Tolerauerunt tamen forti animo et in hyemem
usq protraxere certamen, accepto clam ex Praga medicamento
quo dentes continere possent, donec Fridericus senior Brande
burgensis Marchio infesto agmine Bohemiam ingressus longe
lateq praedas agens, Pragenses ab obsidione desistere compulit.

Ex Brzeste Vuladislaus Poloniae
Rex discedens, Jumnilaclauiae festum Pentecostes egit, ubi
frequenti Praelatorum et Baronum numero ad illum conflu
ente, quoniam Treuga cum Cruciferis inscripta in festo
Sanctae Margarethae subsequenti expirabant, consulitur Regi
Treugas ulteriores prorogat et assumat. Antonius Magi

Zeno p

Zeno Apostolicus Nuntius, qui et ipse ad Regem ex Craco
via venerat, ineundarum Treugarum author erat, scribit
Cruciferis suscipere illas Treugas persuadens, Quarum ut
facilior firmatio proveniret, partem utramque in oppidum Solecz
ad placitandum de Treugis comportat. Quo cum nomine Re
gis Jacobus Plocensis, Joannes Pella Vladislaviensis Epi
scopi, Sbigneus de Olesnicza Praepositus Sancti Floriani, Mat
thias de Labischin Brestensis, et Janussius de Koscielecz
Vladislaviensis Palatini, Nomine vero Magistri et Ordi
nis, Joannes Abezier Episcopus Warmiensis, Ulricus Czan
ger Marsalcus, N. Commendator primarius, Ludovicus
Thorunensis Commendator, Franciscus Doctor Decretorum
Secretarius Magistri, item aliquot militares et cives conve
nissent, Anthonio Zeno Apostolico Nuntio et sollicitante et
partes commonente ad pacem, Treuga a parte utraque susce
pta est. Cumque pro illius robore, minuta conscripta et a par
tibus laudatae forent, Cruciferi dolum a Sigismundo Ro
manorum Rege inferere Treugae edocti, et jussi, non amplius
valentes continere, conditionibus Treugarum eam clausu
lam exponunt apponi, ut firmatio Treugarum prorsus cense
retur invalida, si Apostolico mandato aut Imperiali ad ab
rogandum illam Cruciferi arctarentur, non secus, quam
per religionis speciem machinatam fraudem, quo facilius
irritum fieret factum celaturi, nihil autem in specie pra
va religione fallacius. Erant iam Praelati et Barones
Poloniae dudum ante doli huiusmodi gnari et conscij, qui
dam enim rusticanus et vilis homo mendicum se habitu
et gestu, quo facilius intuentes falleret, praeferens, Sigi
smundi Romanorum Regis literas Cruciferis titulatas,
calliditate vestium suarum insuens, et iter per Poloniam in
Prussiam agens, apud oppidum Poloniae Konin moriturus
vestes suas petebat in Thorun ad Commendatorem deferri
Quam rem nemini quid lateret perspicienti, a vero Koni
nensi Thelonatore dum Sbigneo de Olesnicza Secretario
Regio retulisset, mittuntur celerrime qui vestes defuncti
mendici iam in alios mendicos distributas conquisitas adfe
runt. quibus diligenti quaesitu perscrutatis literae Sigismun
di

di Romanorum Regis literis insertae reperiuntur, sic significabat
omnes fere gentes Poloniae et omne robur militiae Poloniae in Bo
hemiam cum Duce Sigismundo Koributh discessisse, Regnumque Po
loniae vacuum gentibus militaribus esse, exhortans Cruciferos
et commonens, ut temporis opportunitate uterentur. Treugaque
simulata, quam ad Papali aut Imperiali imperium solvere liberet
intercedita, Poloniam perimentes Treuga ex improviso aggressi, dif
fusius quo possent vastarent. Ea siquidem calliditate et dolo Si
gismundus Romanorum et Ungariae Rex ultionem de Wladi
slao Poloniae Rege, quod gentes suas cum Duce Sigismundo Ko
ributh in Bohemiam ire permisit, sumpturus videbatur. Cruci
feri itaque Sigismundi Regis parendo requisitionibus, et creden
tes Regnum Poloniae vacuum militia esse, conditionem prae
scriptam literis Treugarum inseri petebant. Consiliarij vero
Regij de dolo, qui ex literis Sigismundi Romanorum Regis
proditus erat, et quas Apostolico Nuntio Antonio Zeno ad
publicandum Cruciferorum iniquitatem ostenderat, sufficienter
avisati, nullatenus eam conditionem apponi patiuntur. Sin
gulis Cruciferis in Treugas consentire recusantibus, cassus
fit omnis labor, et pars utraque in bellum stomachata et in
censa, improperijs non abstinens, capto coetu discessit. Fer
tur enim Joannes Pella Wladislaviensis Episcopus parum tem
perata passione motus in Cruciferos dixisse, Student bello Com
mendatores et Cruciferos castrorum cubilia et abdita pe
tituros, militares cives et eorum coniuges et filias paenas
spreta quietis volent nolent iusto Dei permittente iudicio da
turos. Et ad extremum adiecisse, non pudet vos tam callida
in lucem proferre ludibria, et ad fallendum Regem et Regnu(m)
Polonorum fraudulentijs uti ambagibus, gnavarumque ve
strarum nidore atque fumo nostram fallere puritatem, Pacem
perpetuam frequenter irritam fecistis, et semper aliqua fraude
circumvenitis nos, spretis iuris aut aequitatis oppositis.
Nunc quoque fraudem in parvis sub specie religionis et obedien
tiae praestructis, quemadmodum literae hae originales Sigi
smundi Romanorum et Ungariae Regis, produxatque illas ori
ginaliter, testes in vos sunt, in maioribus nos et Regem
Regnumque nostrum per dolos et fraudem, quos divina de
texit ordinatio, decipitis

Consiliarij

Consiliarijs Regijs ex conventu cum Cruci
feris apud Solyecz habito, Junivladislaviam reversis, postquā
pacem cum Cruciferis quaesitam nulla modestia et aequita
te obtineri posse compertum est, Consiliarijs singulis probanti
bus, expeditio contra Prussiam indicta est, Alexandro Vi
tholdo Duci Magno Lithuaniae caeterisq. Principibus et
militibus Poloniae scriptum, quatenus pro festo Sancti Jacobi
Prussiam armati procedant. His perfectis Antonius Zeno
Nuncius Apostolicus receptis multis grandaevorum ho
minum idoneis testimonijs, visis insuper in Cathedralibus
Collegiatisq. Ecclesijs et Monasterijs antiquis Privilegijs,
literis, et scripturis, ex quibus apertissime constabat ter
ras Pomeraniae, Chelmensem, et Michaloviensem, a cor
pore Regni Poloniae per iniuriam abstractas esse, dolos insu
per et iniustitias Cruciferorum probe agnoscens, de Junivla
dislavia egressus, per speciales suas literas tam Vla
dislaum Poloniae Regem, quam Magistrum et Ordinem
Prussiae ad videndum in causa super terris praedictis
sibi commissa, apud Glogoviam maiorem, pro die Sancti
Joannis Baptistae iustam sententiam proferri, citari procura
vit, Oppidumq. maioris Glogoviae in Cruciferorum favorem
Slesiae Principibus claudentibus, dato in locum interdicto
aperiri compulit. Dum autem terminus ferendae sententiae
advenisset, et Antonius Zeno Judex et Nuntius Apostolicus
terras praescriptas Vladislao Poloniae Regi et suo Regno
adiudicaturus, pro tribunali consedisset, Martini Papae
quinti, speciali pro inhibitione per literas ipsi etiam Anto
nio Zeno iudici molestas, in favorem Cruciferorum petitione
importuna Sigismundi Romanorum Regis concessas, interve
niente, impeditus est, et de Glogovia adveniens, Vladi
slao Regi valedicto, cum omnibus causa productis, re
bus rediit. Martinumq. Papam et de iure Regni Poloniae
et de iniustitia Cruciferorum ad liquidum informavit,
Cruciferi siquidem cum causam iuribus non muneribus
fundari atq. niti viderent, summa rerum suarum diffi
dentes, et integritatem animi Zenonis, quem adversus pe

cuniae

cunia corruptibilem intellexerant iudicium, veriti, suspectissimum illum sibi allegare et velut incompetentem non tam fugere, quam accusare ceperunt. Nihil in Antonij conditione, quod suis artibus conduceret, rati se reperturos. Deinde causam et omnem cognitionem, et adversus se intelligentes ferri sententiam, facto ad Sigismundum Romanorum Regem recursu, non tam prece quam precio causam regiam infectum iri obtinent

Junivladislaviensi oppido Vladislaus Poloniae Rex relicto per Kamberze, Mogelno, Trzmino, Gnesnam, Pobiedziska, Posnaniam, Pyzdry, Scharzih providens in Vuolborz quo copias convenire iusserat, pro die Visitationis Sanctae Mariae pervenit. Illic ad suam Serenitatem magnus Dux Magnopolensis, et Camyenensis Episcopus venientes, ferre Regi solatia contra Cruciferos pollicitus, suamque pollicitationem patenti literarum innouat, atque firmat, sponsione. Cuius obligatione Vladislaus Rex et commendata et acceptata eum muneratum remittit

Exercitibus Regijs de terris duntaxat Cracouiensibus Russiae et Podoliae pro die instituto convenientibus, Vladislaus Rex per viam priorem et eadem pene statiua quibus in expeditionem, qua magnus conflictus secutus est, transitum agens, ex Vuolborz discedit, et in Prussiam contendit. Dumque in die Sanctae Mariae Magdalenae in Czyrwiensko Vislam superaturus applicuisset, copiae illi occurrerunt terrarum maioris Poloniae. Sequenti deinde die amne Vusla ponte nauali iuncto, universum suum traducit exercitum, et die tertia Alexander Vitoldus Lithuaniae magnus Dux cum gente sua advenit, coniunctisque potentijs Vladislaus Rex hostilem terram penultima die mensis Julij feliciter introiuit, et statiua circa oppidum Luterborg supra lacum locavit. Ex Luterborg prima die Augusti non serius quam in conspectu foret hostis, aciebus ordinatis versus Lubow, hostis ferrum propediem ratus devenire, processit. Collegerant siquidem Cruciferi ex proprio et mercenario milite exercitum, et Magistro generali Michaele Kochmeister apud Marienburg relicto, copias in campum, fortunam tentaturi, deduxerant, easque in ~~prato~~ agro

prope

+

prope castrum Lubow fossis cincto, quod sylvae per circuitum
contexerant, adeo occulte locaverant, ut exploratores Regij
longo satis tempore, quonam locorum hostilis existeret exercitus
odorare nequiverint, cuius Ulricus Czanger Marsalcus Prus
siae erat Capitaneus, quem ne vi cogerentur decernere intra
vallum et fossata continebant. Cruciferi audito, quod Rex
versus Lubow ad Drwanczam fluvium iter flexisset, exer
citum et ipsi movent, et in obviam Regi pugnam conserturi
ire pergunt. Wladislaus autem Rex et exercitus suus, hostium
audito adventu, plurimum laetatus, ea hilaritate animatus
ad pugnam, ut una acies alteram, unum signum aliud,
festinatione vehementi excederet, et praeiret. Poloni enim
tunc tanta pugnandi ardebant cupiditate, ut nec Ducum
nec praefectorum poterant cohiberi imperio, quin festinatione
nimia ordines et loca egressi, unum alterum praeire, et in prae
lium ruere contenderent. Increverat tum Polonorum animis sin
gularis alacritas et incitatio haud mediocris ad decernen
dum, omnesque studio pugnae incensi in pugnam ruebant. Fuis
setque absque dubio exercituum facta congressio, quoniam et Cru
ciferi de ordine, ardentius tamen Dux Cruciferorum exercitus
Ulricus Czanger Marsalcus, fortem sperati, triginta enim
fere millia continere aestimabatur, habere exercitum, aspira
bant ad certamen, existimantes Regium exercitum, in quo plus
quam centum pugnatorum aestimabantur millia, praeter pede
stres copias, debiliorem esse, nisi Conradus Nyemes miles
de Slesia in bellis et disciplina militari peritus, praefatum
Ulricum Marsalcum ab incidenti congressus temeritate
reduxisset, et videre atque explorare priusquam decernat,
quantus sit regius exercitus, incomendabilem vim Mar
tis differens, consuluisset. Hac persuasione Marsalcus ad
monitus, velocibus equis cum Conrado Nyempcz con
scensis, exercitum Regium diffusum latissime in locusta
rum modum conspiciunt, nec eius potentiam quanta sit
aestimare queunt. Territi admodum festinantissime rede
unt, et exercitum suum ~~primum~~ gradum sistere, deinde
periculo denunciato in fugam verti, aciesque petere priusquam
involvatur

innolvatur periculo compellunt. Sic Cruciferorum exercitus pro pugna fugam inivit salvatus est, qui si congredi tentasset in fortissimum Polonici exercitus mucronem fatue incidisset. Fuerant tamen de exercitu taliter fugienti et disperso per plures milites capti, Regio enim mandato fugax Cruciferorum exercitus usque ad flumen Drwancza, quo facilius evaderet contendens et pontem in flumine, persequentes averturus, disrumpens, a Polonorum militibus persequutionem pertulit, ex qua multi mortales fuere intercepti. Vuladislaus Rex eadem in Dorra duobus milliaribus a Lubow distante, nocturno exacto, die Saturni secunda Augusti motis castris medio milliari a Lubow posuit statiua, quae duobus diebus illic ut interim sciret, si in aliquem locum Cruciferorum exercitus divertisset, habita sunt. Comperto autem Cruciferorum exercitum in loca varia diffugisse, die Lunae quarta Augusti castra ad castrum et oppidum Lubow applicat et quatriduo in illorum conquisitione immoratus, cum demum cognovisset utrumque ditionis Culmensis Episcopi esse, ab eius conquisitione cessari mandavit.

Die Veneris octava Augusti Vuladislaus Poloniae Rex motis ab obsidione oppidi Lubow castris, venit ad flumen Drwancza, Et licet hostes bombardis et sagittis caeterisque propugnaculis prohibere exercitui Regio transitum fluminis niterentur, pergentes tamen Regios sub banderio Gonczą quod imprimis ad flumen pervenit consistentes repressi, et victi cedere coacti sunt, et plures ex illis capti, aut occisi, Obstaculo summoto omnis Regius exercitus flumen Drwancza inter castrum Brathian et pontem destructum Vuladislao Rege in ea parte fluminis ex qua venerat, missam audiente transiit, et in parte altera fluminis ad milliare unum castra metatus, Illo denique die plures de Regio exercitu propria sponte et iniussu Regis ad spolia conquirenda dispersi, ad civitatem Szabrzeszno alias Riesemburg, in qua Cathedralis Ecclesia Chelmensis sita est, a flumine Drwancza novem milliaribus distante pervenerunt, Et impetu facto contra eam, licet muro et situ fortis foret, illam conscen-
dunt

Sendunt, omnibusque viris desiderabilibus potiti igne succendunt, a quo et Cathedralis Ecclesia concremata est, et tristitudinis viis destructa, Biduum in statiuis illis absumptum

Die Dominico Sancti Laurentij motis Rex castris ad villagium quoddam exustum, castra supra lacum locat. Feria secunda moto inde exercitu venit ad fluuium Ossa, vbi duobus diebus absumptis, die Mercurij tredecima Augusti fluuium Ossa transit, castraque haud procul a flumine constituit. In quo Petri de Szech Corbauiensis Episcopi Nuncius ex Marienburg per gentes Regias conductus aduenit, significans Regi praefatum Episcopum Corbauiensem nomine Sigismundi Romanorum Regis aduenisse, sed propter regias armorum gentes vbique offusas venire timuisse. Ex industria siquidem Rex manus spargi, et populationem latius inferri extendi, hostes vago copiam pugnae non facientes, nec quisquam euidenti sine periculo in Regis statiua poterat peruenire. Propter quod Nuncius praedictus Episcopi Corbauiensis non nisi per Polonos, qui a gentibus Cruciferis dum spolijs et incendijs parum prouide intenderant, fuerat captiuati in castra Regia ex Marienburg deductus est. Cui Rex vnum ex Polonis et vnum ex Lithuanis adiungens remisit, quorum ductu et Petrus de Szech Episcopus Corbauiensis incolumis ad praesentiam Vladislai Poloniae Regis perductus est

Feria quinta in vigilia Assumptionis Sanctae Mariae venit Rex ad magnum lacum, illoque et altero die propter diei celebritatem in eisdem statiuis quies habita est. Sabato vero in crastino Assumptionis Sanctae Mariae facto Rex in vna villarum nocturno, die Dominico dum ad oppidum Golub peruentum foret, gentes Regiae impetu facto facile illud conquirunt, praeda oppidi ingenti et multa militi concessa. Et licet plures numero ex oppidanis in turrim vnam fortem et munitam supra fluuium Drwancza sitam se recepissent, et aliquantulum ex illa se defenderent, expost tamen videntes se subsistere non posse, gratia impetrata, in captiuitatem se tradunt. Multipliciter enim gentes Regiae illos infestando turrim praedictam

etiam comprehendere nollebantur. Miles Mißnensis Parzoltz dictus apud Regem donativo militans, cognatus Henrici de Plawen olim Magistri Generalis a Cruciferis capti, et in vam dum in vinculis asservati, in conquisitione turris praedictae per lapidem cum se muro turris appodiaret ictus desideratus est.

Oppido Golub conquisito Rex arcem quae civitati imminebat in monte editiori sitam obsidione vallat, et bombardis maioribus fortissime illam quatit. Die vero Jovis vicesima prima Augusti fit militaris impetus contra castrum. Et quamvis tam ab Ordine, quam mercenariis militibus Slesitis videlicet Misnensibus probe defenderetur, equis tamen melioribus quos in castro inferiori habebant ne Polonorum milites illis poterentur interfectis, castro insuper inferiori proprio igne immisso exusto, castrum superius machinis pro parte maiori debilitatum in manus et potestatem Regiam tradere coacti sunt. Regius exercitus omnibus quae in castro superiori reperierat direptis, Cruciferos et alios mercenarios milites in captivitatem accepit, quindecim milites ex Ordine interfecti, inter quos Golubensis Commendator, quadringenti mercenarii capti, Sacramentum Corporis Christi de castro cum magna reverentia candelis ardentibus prosequentibus noctu receptum, et in tabernaculum Sbignei de Olesnicza praepositi Sancti Floriani importatum, altera quoque luce a celebrante sumptum est. Sub eo autem tempore quo impetus militaris edebatur in castrum regio mandato turris civitatis castris fortior et editior in fundamento suo suffossa et in flumine Drwancza praecipitata, ruina sua maximum et horrendum sonum causans, alveum fluminis Drwancza sua mole quasi aggere complevit, undasque fluminis praefati Drwancza fluorem suum aliquanto tempore cursum suum continuare retardavit.

Stante Wladislao Poloniae Rege in castri Golub obsidione, Petrus de Bzecz Crbaviensis Episcopus ex Marienburg perductus advenit. Et audientia obtenta nomine Sigismundi Romanorum Regis cuius erat legatus Wladyslao Regi in praesentia Alexandri Witoldi Ducis

Ducis Magni Lithuaniae Consiliariorumque utriusque dominii legationem suam in hunc modum exponit. Miratur plurimum Serenissime Princeps Dominus meus Sigismundus Romanorum Rex quod Serenitas tua foederibus inscriptionibus atque pactis se invicem peractis, parum attentis, nepotem suum Ducem Sigismundum Lithuaniae Korbuth cum exercitu gentium Polonicalium potenti, in subsidium Haereticis et adversariis suis transmisit, qui fideles suos ab obedientia sua abstraxit. Castra quoque et civitates suae ditionis conquirit, et Bohemorum Haereticorum rebellionem et sectam quam maxime nutrit et confortat. Miratur insuper quod Serenitas tua fratres Ordinis Cruciferorum de Prussia sibi et imperio Romano devotos et subditos, bello duro et gravi affligit atque vastat, postquam inter tuam Serenitatem et Ordinem Ventilatis iustam sententiam Vratislaviae se arbitratur pronunciasse. Rogat itaque tuam Serenitatem et obsecrat, quatenus nepotem suum Ducem Sigismundum Korbuth cum omnibus gentibus, quae cum illo sunt, ex Bohemia revocet et morari sibi illic ferreque Haereticis praesidia interdicat. Si autem Serenitas tua existimat sibi Dominum meum Sigismundum Romanorum Regem in aliquo iniurium, offert cum tua Serenitate in arbitrium communium venire amicorum, aut in Consiliariorum utriusque Regni Pannoniae videlicet et Poloniae iuxta inscriptionum communium formam decisionem. Obsecrat insuper maiori quo valet affectu ut Serenitas tua ex terris Ordinis desistens eas amplius ferro et igni vastare et consumere desinat. Et si Cruciferorum Ordo in aliquo tuae Serenitati est culpabilis, offert Dominus meus Sigismundus Romanorum Rex, qui illum in sua ditione et potestate continet compellere Ordinem ad omnem iustitiam et aequitatem, et sententiam suam atque pronunciationem si gravis et onerosa tuae Serenitati apparet, reformare et corrigere. Haec Legatus Caesareus

Legationi Sigismundi Regis a Corbaviense Episcopo pronunciatae, Vladislaus Poloniae Rex tali:

tale edit responsum. Non habet frater meus Sigismundus Roma
norum et Ungariae Rex iustam mirandi causam, si ego pluri
bus annis pacem cum Cruciferis hostibus meis et apud Sedem
Apostolicam et apud ipsum Romanorum Regem aliisque locis
frequentibus quaesitam nunquam invenerim, iusta et necessaria
arma contra illos induerim, et deficiente in terris iustitia
a caelestibus illam mihi praestari quaesiverim. Quamvis e-
nim licet lacessitus iniuriis, publicis provocatus opprobriis, for
tissimo militiae robore abundans, bellum tamen hosti meo non
intuli, sed primum in omnium, Sigismundum Romanorum Re
gem super singulis quaestionibus et iniuriis compromisi. Qui
etsi partem meam, quod etiam apud Scythas iniquum cense
retur, audire dedignatus, iniustam in me sententiam tulisset,
et potestate sibi tradita abutens, paternas meas et natura
les terras, de quibus arbitrandi, velut his, quae in quaestio
nem non venerant, nullam habebat potestatem, mihi abiudi
casset, volui tamen principis Catholici more, onerosam et
duram mihi sententiam custodisse, nisi Ordo ipse, in cuius fa
vorem lata est, in omnibus fere illis contraveniens, neque sol
vit aurum decretum, nec castra demolitus erecta, nec terras
restituit occupatas. Deinde ad Sedem Apostolicam recurrens,
non sine ingenti sumptu, et meam iustitiam et Ordinis iniqui
tatem monstravi, et tam claram reddidi, quod Apostolicus
iudex Antonius Zeno iustissimam pro me et contra Crucife
ros laturus sententiam, restitutionem terrarum Pomeraniae,
Chelmensis, et Michaloviensis imperantem, apud Bologniam
pro certo die concessisset, sua tamen pronunciatio Sigismundo
Romanorum Rege operante, efficienteque, Apostolica prohi
bitione extitit impedita. Quaesivi posthac Treugas fir
mare cum Ordine, etiam iustissimum perosus bellum, nisi
fratrem meum Sigismundum Romanorum Regem vafrum et
duplicem in me agnovissem, qui me et Regnum meum pe
riculosius laesum et pessumdatum iri satagens, ea condi
tione atque lege Ordini firmare mecum, destinatis literis, quas
originaliter apud te produco, mandavit Treugam, quatenus
liceret illam ad Apostolicam vel Imperialem iussionem vio
lare, ut Treuga confecta et ipso mandante, me quoque exi
stente securo, Ordo liberius in Regnum meum grassaretur

et

Et nisi operante Dei clementia literae suae dolum praefatum detegentes in manus meas et notionem pervenissent, firmare Treugam cum Ordine, etiam sub conditione praefata, quam in scriptis petebat annuissem. Non licet itaque mihi fidere de sua amicitia amplius, neque causam meam illius cognitioni credere, quem et opere et literis experior callidum et gravem hostem, non prius, neque serius, propitia mihi divinitate, de hostilibus terris excessurus, donec eas aut finali vastabo excidio, aut armis pacem mihi et Regno meo aequis conditionibus procurabo. Liquet autem quod Ducem Sigismundum Coributh ego in Bohemiam non miserim, quapropter nec pro eo intendere spondere, alium itaque qui misit illum non me cum ea querela conveniat. E vestigio vero, Alexander Vitoldus Dux Magnus Litthuaniae in haec verba rescripsit. Non abnuo, neque inficior, quinimo profiteor libere atque clare, Ducem Sigismundum Coributh, meo mandato, meis impensis meisque auspiciis ad faciendum resistentiam hosti meo Sigismundo Regi, Domino tuo, Bohemiam transmisisse. Qui cum foederatus et iuratus mihi frater foret, pollicitus se ad occupationem terrarum mearum nunquam aspiraturum, per pronunciationem tamen sententiae suae, evidentem iniustitiam continentis, me terris meis spoliare, et illas Cruciferis applicare, non turpe putavit. Vicem itaque iniuriarum hosti meo Sigismundo Regi rependens, Ducem Sigismundum Coributh, nepotem meum Bohemiam misi, gentibus et pecunia illum adiuturus, et personaliter, si deposceret necessitas, illi solatium laturus. Ut hostis meus Sigismundus aliquando tandem intelligat quem offenderit, et sciat mihi aliquid roboris et animi inesse, desistatque me suis iniuriis suaque calliditate gravare. Ea responsione Cerbaniensis Episcopus accepta, licentia obtenta, et his, qui illum conducerent, ad Magistrum Prussiae declinans, ad significandum ei Wladislai Poloniae Regis et Alexandri Vitoldi responsionem in Mariemburg divertit, et abinde in Ungariam rediit. Neque apposuit de caetero redire ad Regem et exercitum eius, aut aliquam tractare iuxta ac illi a Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege iniunctum fuerat,

pacem

pacem perpetuam, vel treugam, intelligens animum Vladislai Poloniae Regis et omnium suorum iusta ira percitos, susceptum bellum, cum praesertim si superiores hostibus euaderent nullo pacto deposituros

Sub tempore eodem Vuowoda Moldauiae Alexander, gentis Valachi, in solatium Vladislao Poloniae Regi transmissa, quadringentorum militum numerum explentis, usque prope Marienburg praedatum pabulatumque descenderant. Contra quos Cruciferi in forti militum, qui in praesidio castri Marienburgensis morabantur, exercitu erumpentes, illos inuadunt. Qui cum hostium numerum et vires, suamque exiguitatem metirentur, in desperationem versi, rem fortunae committunt, sumpsitque tunc, postquam nihil superesset, arma, formido. Et nemus proximum ingressi equis desiliunt, facilius ut est natura et mos gentis tecti fronde et ligno pedestres certaturi. Cruciferi rati Valachos certam non simulatam fugam capessisse, et latitatum syluas abijsse, velocius quo possunt ad nemus contendunt, et in Valachorum, existimantes rem nullius negotij fore, armantur, cum et plures ex eis equos desilijssent, capturam. Verum Valachi vibrando in hostes tela, tuti ipsi, a telis, non secus quam imbrem mittunt, et tam hominibus quam equis frequenti proiectione telorum vulneratis, plures etiam ex illis conficiunt. Adeoque in Cruciferos inuehuntur, ut primis eorum ordinibus aut occisis aut captis, reliquos in fugam verterent. Sicque miro modo Valachi cum parua gentium suarum caterua grandi hostium exercitu conflicto, ad stationes exercitus Regij, onusti praeda ingenti victores reuertuntur. In signum quoque victoriae plures nobiles captiuos Cruciferos videlicet de ordine, item militares stipendiarios et Ciues adductos Vladislao Regi praesentant.

In expeditionem Cruciferorum praefatam, et quae apud Polonos a castro et oppido Golub conquisito, Golubiensis intitulatur, Vladislaus Poloniae Rex transiturus, veritus ne ex castro Nyeszowa, quod ditionis Cruciferorum erat, terra Cuiauiensis vastaretur,

Andream

Andream Brochoczki militem de domo Osorya, tunc Brestensem Capitaneum, pro defensione et custodia terrae Cuiaviensis relinquit. Mathiam de Labiszin Brestensem, et Janussium de Koscielecz Junivladislaviensem Palatinos, omnesque Cuiavienses milites in solatium adiungens, illisque parere iubens. Qui copiis in unum coactis, castrisque in Borra inter Murzinow et Orlow positis, sub universo expeditionis tempore in Cruciferorum possessiones, et terras, varias vexationes et spolia agebat, non sinens Cuiaviae terram per Cruciferos invadi aut offendi. Subrepsit interim in Mathiae et Janussij Palatinorum pectora, quod parere Andreae Brochoczki iussi, deteriori haberentur loco, livor, quapropter cum nonnullis Cuiaviae militibus partes eorum sequentibus in domos suas militia relicta, et Andrea Brochoczki deserto elabuntur, specie quidem contrahendi novos commeatus, revera autem in Andream Brochoczki, quem sibi indigne praepositum stomachabantur, odij explendi, quatenus in medio hostium derelictus, periculi discrimini obijceretur, At Andreas Brochoczki animum infractum gerens, quem ceperat incolebat locum, vigilias tamen in singulis locis duplicaverat, impendens periculum vitaturus. Palatinorum defectione et eorum qui cum Andrea Brochoczki remanserant paucitate ab exploratoribus Cruciferi comperta, exercitu octingentorum equestrium congregato, quem Commendator de Nyeschow ducebat, Andream Brochoczki et suum exercitum invasuri, ire pergunt, nox caliginosa ad exequendum destinata, et invasio, non a fronte, sed a tergo, nullam custodiam illic consistere rati, Cruciferis aptior videbatur. Silenti itaque agmine septima Septembris die progressi, licet primarum excubiarum custodes negligentius vigilantes occidissent, secunda tamen excubiae custos de manibus eorum elapsus, hostes adesse maximo clamore vociferabatur, qui etsi ab hostibus necatus foret, clamor tamen suus tertiarum excubiarum vigiles commovit. Qui ad stativa Andreae Brochoczki pertingentes, subitum hostium adventum denunciant, quo nihilo Andreas Brochoczki miles animosus

religionis

religionis et devotionis plenus, perculsus, de lecto exiliens, lorica corpore nudo vestita, suis, qui et ipsi dormierant inermis bono et forti animo ac se sequi iussis, hostibus iam tunc sepes et gaspiones irrumpere nitentibus, intrepidus occurrit, et cum illis fortissime dimicare coepit. Cadentibus et caesis his qui in arcu constiterant, assistente illi divina clementia, erat enim miles virtuosus, et in cultura Dei assiduus, quaslibet fastidiens et execratus rapinas, reliquos hostes ad extremum fundit, et in fugam agit. Qui dum per opaca noctis tenebras locorum ignari quo nam fugerent parum nossent, in nemora et loca varia dilabuntur, propter quod errabundi ab agrestibus multi eorum circa Lanciciam, nonnulli circa Clodawam, Przedecz, et Brzescie comprehensi fuerunt aut obtruncati. Captus erat in conflictu praedicto vice commendator Toruniensis, Commendatore principali Duce per fugam elapso, capti duodecim fratres de Ordine, et plures mercenarij milites et universi ergastulis apud Brzescie inclusi, paucique de Cruciferorum exercitu creduntur non capti aut non desiderati extitisse.

Die Dominico Sancti Bartholomaei Apostoli castro Golub Vladislaus Poloniae Rex conquisito, motis copijs venit ad castrum et oppidum Nowale alias Szunsze, et oppidum per hostes repertum, ne Polonus eo poteretur, exustum, castrum obsidione cingit, bombardisque quatit. In die vero Decolationis Sancti Joannis Baptistae militari impetu contra castrum edito, conquirere illud nitebatur, his tamen qui castrum tuebantur, probe resistentibus, omnis conquisitionis et impetus labor recidit in irritum. Multi insuper ex Polonorum militibus qui antemurali fracto et expugnato fossatum castri ingressi grande periculum inciderant, hostes siquidem in fossato praedicto pluribus rotis positis, straminibus illas contexerant, militibus insuper per fossam intrantibus hostes stramina succendunt, et Regij milites vix illaqueati non sine pertinaci difficultate mortis aut captivitatis periculum vitavere. Captus tamen fuit per hostes Dobrogostius Castellanus Camunensis, miles de domo Nalancz, qui ante motam Golubensem in Cruciferos guerram, castrum Regni Poloniae Drasim, cuius erat tenutarius, hostium interceptione et fraude negligenter amiserat, quod non multo post plures dies Paulus Wazyh Almanus in angulo castri habens dormitorium, tractis sursum per feri

nalis

nalis rasis Polonis quamplurimis, et hos qui castrum detinebant, occupavit, et castrum Regi reddidit, pro quo illi liberalitate Regia census annuus apud Zupas Vieliczen consignatus.

Castri Cowalye expugnatione omissa, feria tertia post Sancti Egidij Vladislaus Poloniae Rex castra versus Thorun movet. Et dum ad castrum Papow facile illud expugnaturus consisteret, ab exploratoribus doctus Cruciferos clandestine notabilem exercitum non ad decernendum sed ad offendendum ex insidijs et loco iniquo regias gentes congregasse; sedecim Banderia de gentibus Regni Poloniae, et alia sedecim Banderia de Lithuanis mittit versus Radzim, quoniam illic hostium statiua fuisse ferebantur. Dum itaque Regius exercitus in hostes copiam decernendi quaerendo procederet, Cruciferorum exercitus, qui totam fere noctem praecedentem circa quoddam nemus girando per inuia errabundus absumpserat, viso in aurora Regio exercitu, pavore nimio consternatus, quasi levis nebula Sole desuper feruenti dissolutus et in fugam actus est, fugientes castrum et oppidum Radzim excepit, pauci fugientium a Regijs militibus comprehensi, Exercitus Regius quaesita pugna et non inuenta ad Vladislaum Regem apud Papow consistentem rediit.

Sabbato post Sancti Egidij Vladislaus Rex contra Thorun volens procedere, et eius conquisitioni intendere, salubri consilio reductus est. Vigebat enim pestifera apud Thorunenses lues, propter quod nemini satis placebat locum infectum adire, ne contagio quoque pestis ad exercitum Regium penetraret. Motus itaque Rex a Papow castris procedit, habendo in manu dextera Thorun, et ad castrum Lubicz a Cruciferis demollitum peruenit. Ubi propter celebritatem festi Natiuitatis Sanctae Mariae statiua triduo habita sunt. Et licet Alexander Vitoldus magnus Lithuaniae Dux licentiam in Lithuaniam ex eo loco summopere flagitasset, a Vladislao tamen Rege persuasus, propositum deposuit. Infra triduum autem illud suburbana omnia igni consumpta, et vineae Thorunnenses a gentibus Regijs fuere demollita; et omnis regio iuxta Thorun consistens populationibus latius in gyrum extensa, incendijs, ferro, et praeda vastata

Feria

Feria tertia in crastino Nativitatis Sanctae Mariae Vladislaus Poloniae Rex a Lubicz discedens retrorsum in terram Culmensem proposito vastandi eam regrediebatur. Et aliquot diebus prope oppidum Chelm commoratus, populationem agrorum et exustionem tectorum latius iussit extendi. Quo malo Magister et Ordo Cruciferorum conterriti, intelligentes Vladislaum Regem ex terris eorum, quod maxime speraverant, non discessisse, sed itinere retrogrado commeatibus ex Polonia ad Stativa apud Lubicz subito adductis quadrigis oneratis ad vastandum terras eorum et ad resumendum ex integro bellum, cogitationes et animum traxisse, suas quoque vires ad resistendum imbecilles fore, querelis insuper et vociferationi militarium et civium suorum defectionem ni eorum calamitati consulant minantium expugnati, Gerardum Pomesaniensem Episcopum cum aliquot Commendatoribus, militibus, et civibus ad Vladislaum Poloniae Regem petentes pacem transmittunt, qui illam non secus quam Rex Catholicus et pacificus supplicationi magis quam contentia per victus, armis depositis obtulit daturum. Quae ut facilius proveniret aequis conditionibus posset, statimus ab oppido Chelm ad lacum Melno motis, tractatibus pacis intendit. Et aliquot Consiliariis pro parte sua videlicet Joanni de Tarnow Cracoviensi, Sandivogio de Ostrorog Posnaniensi, Nicolao de Michalow Sandomiriensi, Nicolao de Oporow Lanciciensi Palatinis, Sbigneo de Olesznicza Praeposito S. Floriani, et Sbigneo de Brzezie Regni Poloniae Marsalco, Rumpoldo Lithuaniae militi, et Nicolao Sepinski Capitaneo Luceoriensi, totidemque pro parte Magistri et Ordinis videlicet Joanni Opiczer Episcopo Varmiensi, Gerhardo Pomezaniensi Episcopo, Henrico Holt in Elbing, Volframo de Hunsbach Marsalco Livoniae, Ludovico de Lansze Thoruniensi, Martino Kemnather Dzirgoniensi Commendatoribus deputatis, plena illis pacem concludendi potestas tributa est. Qui in Papilione Regio ex Scarlatico panno elaborato, quod Comes Ciliae Hermannus Vladislao Regi transmiserat, a mane usque ad vesperam stando in tractatibus tandem pacem in die Translationis S. Stanislai concludunt quae ab utraque parte accepta etiam literis et inscriptionibus firmata est, quarum tenor sequitur.

Perpetua pax apud lacum Melno confecta

eta, Vuladislaus Poloniae Rex die eodem videlicet Translatio
nis Sancti Stanislai inde discedens, et prope oppidum Brodnicza
castris positis, die altera videlicet Sancti Wenceslai festiuo in flu
mine Drwancza pontibus constructis transitum, et statiuis posi
tis operam diuinis dabat. Quibus expletis singuli feriendarij
signa eis commissa flexis genibus ornati Vuladislao Regi
reddunt, in hunc modum Regem alloquuntur. Serenissime Rex
vexillum praesens fidei et curae meae per tuam Maiestatem tra
ditum, humiliter reddo, quod fauore diuino cum omni sollicitu
dine et fidelitate integrum gestaui. Et quemadmodum illud
a Serenitate tua cum honore mihi praebitum est, ita illud nul
la fuga, nulla labe pollutum repraesento, non existimemus ali
quem ex militibus sub illo consistentibus socijs meis mea teme
ritate et incuria perijsse. Quibus receptis Vuladislaus Rex
primum Alexandrum Ducem magnum Lithuaniae, datis si
bi pacis osculo, deinde Masouiae Principes, ex post vniuersum
exercitum licentiat. Et Alexandro Vitoudo cum Lithua
nico exercitu in laeuam diuertenti, Polonicus in dextram abijt
Tartarorum nonnulli praedas agere soliti dum in extrema
agmina Polonorum debacharentur, a Polonis inuasi conflicti
et trucidati, quinquaginta fuere desiderati.

In die Sancti Michaelis Vuladislaus

Poloniae Rex de terris hostilibus egressus, per Brzesczie, Ra
dziow, Strzelno, Gambirze, Mogilno, Trzemeszno, Gnesnam
transitum faciens, Posnaniam ad adorandum diuinissimum Eu
charistiae Sacramentum peruenit. Non enim omnibus diebus
quibus Regno Poloniae praeerat, eam obseruantiam negligebat
sed de qualibet hostili expeditione reuersus ad agendum cle
mentissimo Deo gratias de suo et suae gentis prospero euentu
Posnaniam ad Monasterium Corporis Christi, item ad limina
Sanctae Crucis ad caluum montem pergebat. Gratiarum itaq
actione in Deum celebrata, factis apud Posnaniam oblationi
bus solennibus, per Pysdry, Sczadek, in Masouiae terras di
scendens, in Vishithi venationes taurorum siluestrium qui
in Polonico Thury appellantur agebat. Ex Masouia ad
Monasterium Calui montis Sanctae Crucis pro die Sancto
rum Simonis et Iudae perueniens, sacrificijs et oblationibus
expletis

expletis, ad Oppatow discessit. Ubi illi Zophia Poloniae Regina occur
rit, exinde per Sandomiriam, Przyssow, Pilzno, Bycz, Bochnya, pro
die Sancti Martini in Niepolomicze advenit.

Praelatis et Baronibus Regni Poloniae primari
bus iussu Regio ad Niepolomicensem convenientibus conventum,
post plures deliberationes et tractatus super Rebus publicis Regni
et alijs occurrentibus habitos, Vladislaus Rex Consiliarios suos
videlicet Nicolaum Gnesnensem Archiepiscopum, quamvis vehe
menter valetudinarium, et se illuc, si eo cogatur, moriturum asseve
rantem, Albertum Cracoviensem Episcopum, et Cristinum Caste
llanum Cracoviensem, Joannem de Tarnow Cracoviensem, Nico
laum de Michalow Sandomiriensem Palatinos, Sbigneum de
Brzezie Regni Poloniae Marsalcum, Janussium de Tuliszkowo
Castellanum Calisiensem, et Zawiscium nigrum de Garbow Ca
pitaneum Scepusiensem ad conveniendum cum Praelatis et Ba
ronibus Ungariae in Scepusiensi terra transmittit. Magister
enim et Ordo Cruciferorum de Prussia fidei suae obliti conditionibus
pacis perpetuae recenter apud lacum Melno confectae, Sigismun
do Romanorum et Ungariae Regi prohibente, non satysfaciebant,
quoniam nec castrum Nyeszowa sub tempore constituto demol
iti sunt, neque promissas pecunias solvebant. Timebatur
itaque inter Poloniae et Ungariae Reges novum propterea universu
rum bellum, quod Praelati et Barones Ungariae intervenire sol
liciti, prece et studio singulari interpositis, agere secum Praelatos
et Barones Poloniae mutuam conventionem ordinarunt, differen
tias et simultates inter Reges exortas provida complanatione
prius quam illas fervesceret, succisuri. Vladislaus Rex ex
Niepolomicze, per Lublin, Parczow, Brzescie, caeteraque solita loca
in Lithuaniam proficiscitur.

Sancti Andreae Apostoli die qui ad conveniun
dum utriusque Regni Consiliarijs positus fuerat illucescente, apud
villam Lubicz prope oppidum Kieszmark situm conventus Con
siliariorum utriusque Regni, Poloniae videlicet et Ungariae, et tra
ctatus pro pace inter Reges solidanda fieri captus est. Ve
rum cum absque Regum praesentia pax stabilis et diuturna com
poni non posset, conventionem Regum personalem pro Quadra
gesimae medio in Czorstyn et villa antiqua fiendam institu
unt, et Regem utrumque ad illam venturum obligant. Ea cti
am conditione apposita, ut et Magister et Ordo Prussiae suos
ad

ad Dietam huiusmodi Nuntios plenam autoritatem habentes transmittant, pacem perpetuam apud Melno ordinatam noua sollicitatione firmaturos.

Nicolaus Gnesnensis Archiepiscopus assidua aegritudine senium vexatus, qua, non obstante instantia Regis et Consiliariorum deductus, in conuentionem cum Vngaris pro die Sancti Andreae tenendam ire consenserat, parum expauescens futuram mortem, quam ex valetudine graui cum premeretur, priusquam ex Niepolomicze disgrederetur, apud Regem et Barones denunciauerat sibi portendi, in villa Lubicz Sacramentis omnibus procuratus religiose et deuote feria quinta in die Sanctae Barbarae, alias quarta Decembris, morte absumptus est. Vir plurimarum virtutum genere perfectus, amator patriae, cuius nomen et gloriam Parisys apud Gallorum gentem et in Constanciensi Concilio apud orbem vniuersum extulerat, ornauerat, magnificauerat, pius in omnes, liberalis et munificus in egenos, natura mansuetus et benignus. Ex Lubicz corpus eius per familiares suos qui charissimo illum venerabantur affectu, Gnesnam deductum est, et in maiori Gnesnensi Ecclesia ante sepulchrum Beati Adalberti iusto honore mandatum sepulturae. Sedit annos duodecim, menses septem, Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae de Ruda in Ecclesiam Sancti Michaelis in Vielun velut in locum magis honestum et cultum translator, Nobilis genere, de domo et familia tubarum, tres tubas pro insigni deferentium, ex patre Vuilhelmo et matre Elizabeth, vir statura iusta et procera, capillo et colore nigro, eo etiam facinore apud praesentem et posteram aetatem celebrandus, quod Collegium Mansionariorum apud Gnesnensem Ecclesiam primus instituit, et de decimis mensae Archiepiscopalis dotauit. Cuius virtus in Concilio Constanciensi adeo vulgata erat, vt ad Summum Pontificium a pluribusque Electoribus deposceretur, qui etiam ab eodem Concilio Constanciensi priuilegio Primariatus obtento, Ecclesiam suam Gnesnensem insigniorem reddidit, primusque se inter Gnesnenses Archiepiscopos primatem titulare coepit, propter Leopoliensem metropolim ex Chaliciensi ciuitate translatam, sub temporibus paruum ante transactis erectam.

Priusquam ex Lubiczensi conuentione discessum foret, Albertus Cracouiensis Episcopus ceterique Consiliarij Regni Poloniae omnium rerum positionem atque statum cum Praelatis

Prælatis et Baronibus Ungariæ contextam, obitum insuper Nicolai
Gnesnensis Archiepiscopi, misso speciali nuntio in Podwody Bartho
lomeo Obulecz per literas suas Vuladyslao Poloniæ Regi significat
Precesque et intercessiones adijciunt, quatenus Sbigneum de Olesnicza
Præpositum Sancti Floriani Secretarium suum ad Ecclesiam Gnesnen
sem dignaretur promovere, aut saltem promotionem ipsam usque
ad reditum suum in Poloniam differre. Non minus Regi Vula
dislao, quam consiliarijs persona Sbignei de Olesnicza placebat,
eiusdemque et Rex Sbigneum in culmen pontificale astruebat. Ve
rum Alexander Vuitholdus Dux magnus Litthuaniæ in
Sbigneum de Olesnicza, propterea quod in pacis perpetuæ apud
Melno lacum habito tractatu, ne molendinum Lubicz Magistro
et Ordini iuxta ipsius Alexandri Vuitoldi Ducis fervens desi
derium inscriberetur, paris existens arbiter, impedierat, vehemen
ter iratus, propositum Regis, præfatus, hostem suum non conveniret
efferri, averterat, et Albertum Cracoviensem Episcopum ad Gne
snensem transferri, Ioannem vero Schafraniecz Regni Poloniæ
vicecancellarium ad Cracoviensem Ecclesiam surrogari, Regi pro
bante, disponebat. Ad Gnesnense itaque capitulum electionem
futuri Archiepiscopi pro Epiphaniarum die apud Gnesnam cele
braturum, scribit Vuladyslaus Rex literas rogando et exhortan
do illud, quatenus Albertum Iastrzambiecz in Archiepisco
pum postulent, Iacobum vero Przekora de Morawiany mi
litem ad Albertum Iastrzambiecz Episcopum Cracoviensem
transmittit, ea quæ de sua in Gnesnensem Ecclesiam transla
tione, et Ioannis Safraniecz in Cracoviensem substitutione
Rex animo destinaverat, significaturum. Qui cum illum in
nova Sandecz agentem offendisset, et mandata Regia dete
xisset, Albertus Iastrzembiecz Cracoviensis Episcopus or
dinationem Regis in acceptum non referens, respondet se Cra
coviensis Ecclesiæ pontificio et dignitate contentum, Gnesnen
sem Ecclesiam non accepturum, cumque responso Regium Nun
cium Litthuaniam remisit. Iacobus itaque Przekora ex Polo
nia in die Innocentium in Trokhi reversus, cum Vuladyslao
Regi responsionem Alberti Iastrzembiecz Episcopi Cracovi
ensis et eius deliberationem significasset, nova deliberatione
Secretissima Vuladyslaus Rex cum Alexandro Vuitholdo
Duce habita, Sbigneum de Olesnicza Præpositum Sancti Flo
riani in Gnesnensem Archiepiscopum designat, nominat

et

et promovere deliberat. Jam secundum Alexander Vitoldus indignationis suae nubilo proprio motu remisso, prudentiam quoque, integritatem et industriam Sbignei in frequentibus et gravibus rebus expertus, illum sibi reconciliabat, et ex hoste intercessor effectus, suae et non alium, Alberto Jastrzambyecz Episcopo Cracoviensi suscipere honorem Metropoliticum detrectanti, sede Gnesnensi dignum censet. Facili persuasio Ducis Alexandri Vitoldi a Wladislao Poloniae Rege suasu in promotionem Sbignei de Olesznicza proclivi, accepta est, qui specialem et novum Nuncium ad Capitulum Gnesnense, quod electionem suam pro die Epiphaniarum institutam in diem Conversionis Sancti Pauli transposuerat, destinat, et vel Albertum Jastrzambyecz Episcopum Cracoviensem postulari, aut si id minus gratum foret Sbigneum de Olesznicza, quod et Canonicus Gnesnensis, et unus de gremio eorum sit, eligi interpellat

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS TERCIUS

Natalis Domini diebus et eius Octavis Wladislaus Poloniae Rex in Lithuania absumptis, per Szolandch, Szlonim, Sdyczow, Thur, Ratno, Lubowlya, Parczow, providens et pro diebus Carnisprivii in Jedlnam perveniens, Albertum Jastrzambyecz Cracoviensem Episcopum ad se accedentem Gnesnensis Ecclesiae regimen suscipere precibus et persuasionibus obtinuit, ex eo potissimum capite et respectu, quod in electione Capitulari Gnesnensi in die Conversionis Beati Pauli celebrata, aliquibus Praelatis et Canonicis Gnesnensibus Vincentium de Marczinkowo Decanum Gnesnensem de domo Nalecz eligentibus, ipse Albertus Jastrzambyecz fuit a maiori et saniori parte Praelatorum et Canonicorum Gnesnensium postulatus. Regalibus itaque persuasionibus Albertus Jastrzambyecz devictus, sedem Gnesnensem suscipere consentit, et Rex Wladislaus Sbigneum de Olesznicza Praepositum Sancti Floriani, quem Ecclesiae Gnesnensi desideraverat praeficere, nolens reddere molestum, et eius conditionem efficere inferiorem, Ecclesiae Cracoviensi, Joanni Szafraniecz Regni Poloniae vice Cancellario neglecto praeficiendum deliberat, juxta

quam

quam deliberationem Martinus Papa quintus ad postulationem Canonicam et supplicationem Regiam, Albertum Jastrzambiecz de Cracoviensi ad Gnesnensem transferens, Sbigneo de Olesnicza de Cracoviensi Ecclesia, interveniente Vuladislao Rege et Cracoviensi Capitulo, decima die mensis Julij providet, cum iam Albertus Jastrzambiecz annis circiter quodecim in ea sedisset.

Ex Jedlna Vuladislaus Rex per Sendomiriam, Novam civitatem, Vuoynicz, Czchow, proveniens, pro Dominica Laetare venit in Novam Sandecz, ubi post varios nuntios inter ipsum et Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem sine inde frequenter destinatos, Vuladislaus Poloniae Rex cum Alberto Cracoviensi, Joanne Pella Vuladislaviensi Episcopis, caeterisque Consiliarijs, in Czorstyn, Sigismundus vero Romanorum et Ungariae Rex cum suis Consiliarijs in villam antiquam Srzamowcze descendit. Ambo deinde Reges in campo prope Srzamowcze conveniunt, et de equis descendentis dextras et amplexus iungunt. Cumque in villam Srzamowcze divertissent, suas utrique iniurias in alterutrum tam personales quam publicas coram Praelatis et Baronibus Regni utriusque edicit. Super quibus deliberatione habita Praelati et Barones Regni utriusque prudenter et mature singulas Regum contentiones, simultates, odia, iniurias, et quaslibet inimicitiarum respectus et semina componunt, succidunt, et extinguunt. Quo facto ambo Reges in Keszmark transeunt, et illic foedera pacis perpetuae et ligae fraternae novis literis et inscriptionibus quasi altero funiculo innovant et corroborant.

Concordia inter Reges stabilita atque innovata, Vuladislaus Poloniae Rex compositioni praefatae pariturus, Ducem Sigismundum Korybuth ex Bohemia et per Nuncios et per literas revocat, non amplius Sigismundo Romanorum Regi et suis Bohemicis rebus nociturum. Magister vero et Ordo Cruciferorum de Prussia, qui aliâs propter Regum praedictorum discordiam, pacem perpetuam apud lacum Melno firmatam, languide et tepide visi sunt tenuisse, pacisque conditiones in inscriptionibus contentas implere, signanter in Castri Nyeszawa demolitione cunctabantur, cognita Regum concordia et foederum renovatione, castrum Nyeszawa demoliunt, et omnes pacis explent conditiones. Ex Keszmark Vuladislaus Poloniae Rex per Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem rogatus in Luboszam descendit, et illic Pascha Domini

celebrant

celebravit, a Sigismundo Rege omnibus necessarijs cum omni
cura sua procuratus. Ubi Cruciferorum de Prussia veniunt
solennes Nuntij promittentes pacem apud lacum Melno conclu
sam observare, et petentes ut ad satisfaciendum paris condi
tionibus dies aptus consignaretur, et locus, de partium itaque
consensu locus Vuyelnya in Litthuania supra fluvium Nyemyen,
et dies Ascensionis futura fuere consignata.

Tercia die festi Paschae venit ad Vladi
slaum Poloniae Regem in Luborzei tunc agentem, Fridericus
Senior Marchio Brandeburgensis, petens sibi ignosci, quod Vla
dislaum Poloniae Regem contra Cruciferos belligerantem, rogatus
et requisitus, iuxta suam obligationem et pollicitationem non
iuverat, asserens se tunc fuisse altera expeditione contra Bo
hemos Haereticos occupatum, Verum Vladislaus Rex ex
cusationem huiusmodi non ferens in acceptum, moleste tulit
post recentem ligam et foedus Marchionem praedictum ver
bis et promissis virtutem non dedisse

Feria sexta post festum Paschae exivit
Vladislaus Poloniae Rex de Luborza, Sigismundo Rege illum
usque in Bardiow comitante. Et in Byecz pervenientes ad
terras Russiae descendit, quibus per solitas stationes usque ad
diem Beati Joannis Baptistae peragratis, in Sandomiriam
pro festo Mariae Magdalenae advenit. Ex Sandomiria per
Oppatow, Bodzanczin, Chanczyny, Andrzeiow, Zarnowiecz, Ilkusz,
Rabstyn, Slawkow, Byalobrzegi, Thanczyn, Thyniecz venit
Cracoviam, et illic festum Assumptionis S. Mariae egit

Die Ascensionis Domini adveniente, Conven
tio generalis apud Vuyelnyam supra Nyemyen tenta est.
Ad quam Vladislaus Poloniae Rex Sbigneum Cracovien
sem Electum, Stanislaum Czolek Regni Poloniae Vicecanc
larium, Sandivogium de Ostrorog Palatinum, et Dobrogostium
Castellanum Posnaniensem transmisit. Hi cum in una comitiva
ad locum destinatum gradiuntur, a Duce Litthuaniae Ale
xandro Vitoldo omnibus necessarijs fuere procurati. Et
quadrigis apud Grodno caeterisque impedimentis relictis, na
vali itinere per fluvium Nyemyen versus Vuyelnya procede
bant

bant, reperientes in ripis Sabtacula frondibus et lignis contexta, pro desensione eorum praeparata, omnibus victualibus et commeatibus refecta. Aderat conventioni praefatae Alexander Vitoldus Dux cum Consiliarijs suis Lithuaniae, aderat et Prussiae Magister Paulus de Rusdorff cum Praelatis et Commendatoribus Prussiae, diesq; octo, quibus conventionibus pacis, apud Melno initae effectus dabatur, absumpti. Illic terrae Lithuaniae, Samogitiae, et Sudorum a terris Prussiae, distinctione reali per scopulos et per signa, iuxta quod inter Regem, Ducem, et Prussiae Magistrum convenerat, limitatae sunt, et protensioni earum termini positi. Ex Vuyelunya consumatis conventionis negocijs, Regij Nuncij discedunt, et cum Alexandro Vitoldo, usq; in Trohki perveniunt, ubi ab eo remunerati in Regnum Poloniae incolumes revertuntur, Et Vuladislaum Poloniae Regem in Oszimini prope Szambor reperientes, suam Serenitatem de singulis apud Vuyelunya gestis certiorem efficiunt

Festo Assumptionis et diebus sequentibus,

in quibus propter praesentiam Boleslai Theschnensis Ducis, curia solennis in Sabtaludijs militaribus tenebatur, apud Cracoviam peractis, Vuladislaus Poloniae Rex in Novam civitatem, deinde Sandomiriam processit, festumq; Nativitatis Sanctae Mariae Sandomiriae egit. Sub idem tempus Sbigneus Electus et confirmatus Cracoviam die Dominico decollationis Sancti Ioannis Baptistae processionaliter per omnes Ecclesias, clerum et populum, qui illi ad molendinum arenosum occurrebant, exceptus est. Cui etiam in praesentia Vuladislai Regis Sandomiriae, in vigilia Nativitatis Sanctae Mariae similis fuit honos per Clerum et populum Sandomiriensem impensus. Ex Sandomiria Vuladislaus Rex in Lublinensem, deinde in Russiae terras divertens, Autumni partem notabilem illic exegit.

Feria quinta in die Sanctorum

Simonis et Iudae Conventio generalis terrarum Regni Poloniae Vuladislao Rege absente, apud Oppidum Vuartha acta est. Ad quam cum Albertus Jastrzambiecz Archiepiscopus Gnesnensis, Sbigneus Electus et confirmatus Cracoviensis Andreas Posnaniensis Episcopi, Christinus de Ostrow Castellanus, Ioannes de Tarnow Palatinus Cracoviensis, Sandi

vogius

nogius de Ostrorog Posnaniensis, Nicolaus de Michalow Sando
miriensis, Nicolaus de Vszerado Calisiensis, Matthias de
Labischin Brestensis, Janussius de Kosczielecz Vladislaviensis Pa
latini, Dobrogostius de Szamotuly Posnaniensis, Joannes de
Sczekoczin Lublinensis, Janussius de Tholiszkowo Calisiensis,
Martinus de Kalinowa Siradiensis, Dobeslaus de Olesznicza
Woinicensis, Castellani, Sbigneus de Brzezie Regni Poloniae
Marsalcus, caeterique Dignitarii et Magistratus Regni Poloniae
conuenissent, attendentes per iura terrestria a Casimiro Secun
do Poloniae Rege edita, non satis omnibus Regni necessitatibus
fuisse prouisum, post plurimos et varios tractatus noua iura
plurimum Regno et Reipublicae proficuum afferentia, cum ma
gna maturitate atque libra condunt, et in scriptum redacta ve
teribus iuribus Casimiri Regis adiungunt, quae uniuersitas
militarium et nobilium Poloniae commendauit, et in acceptum
retulit, posteritas quoque absque dubio est commendatura, per sen
ni laude iurium praedictorum dignos existimans conditores.
Prouidebatur enim inter alia iuribus huiusmodi, quod no
bilium vxores maritis mortuis suis, tantummodo doti et dota
litio contentae sint, quae alias ex vetusta Regni consuetudi
ne vel potius corruptela, uniuersa bona maritorum, vidui
tate durante, possidebant, et in suas delicias et commoditates,
quo pro libito nancisci possent maritos, dispensabant. Dux
insuper Sigismundus Koributh regio mandato ex Bohemia
reuocatus, Dobrzinensem terram sibi petebat conferri a Re
ge in tenutam. Quam Vladislaus Rex ad Consiliarios
conuentionem Wartbensem agentes, reiecit, non conueni
re sibi respondebat Consiliariis non consentientibus terras
Regni, Ducibus committere, et iuramento proprio contraire.
Verum cum concordi Consiliariorum decreto, Sigismundi
Koributh Ducis preces personaliter supplicantis repudiatae
forent, irritatus huiusmodi repulsa Sigismundus, coepit clan
destinos in Regno agere conuentus, et nonnullorum militum
animos ad nouandum res procliuium, sollicitare in conspira
tionem et Regni scissuram. Quae res Vladislai Regis Prae
latorum quoque et Baronum Poloniae animos ab illo plurimum
alienauit, et fecit, ab eoque dici contemni et despici coepit,

velut

velut pestis mortifera, quam verebantur in destructionem Poloniae Regni quandoque grassaturam. Putabat Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex Polonico exercitu et eius ductore Sigismundo Korybuth, e Bohemia discedente, Haereticos, Polonorum auxilijs destitutos, mox imperata facturos, sed longe deceptus est; nam illi magis ac magis insolescentes, subactis intra Regni fines Catholicae fidei cultoribus, exercitum extra Bohemiam duxere, et vicinas regiones et praesertim Austriam, praedis et spolijs afflixere. Per idem tempus Sigismundus Rex Alberto Duci Austriae genero suo Moraviam, ne defensore careret, dono dedit, quamvis iam plerique illius provinciae Proceres ad Hussitarum insaniam defecissent

Ex terris Russiae Vladislaus Poloniae Rex in Cracovienses terras reversus, festum Sancti Martini, et dies plures subsequentes apud Nyepolomicze absumpsit. Et de consilio Praelatorum et Baronum Regni sui tunc habito, coniugem suam Zophiam Reginam solenni coronationi coronandam decrevit, diemque Coronationis Dominicam Esto mihi constituit. Ac ad invitandum Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem, Zawischium nigrum de Garbow militem Capitaneum Scepusiensem, ad invitandum vero Ericum Daciae Regem, cum eorum Praelatis, Principibus et Consiliarijs, Sbigneum de altomonte Castellanum Rospergensem, caeterosque milites Poloniae pro alijs Principibus vicinis pro solennitate Coronationis praefatae transmisit. Providens summo studio, summaque cura, ut Cracoviam pro die Coronationis omnium victualium et commeatuum ex Regno Poloniae summa et referta abundantia inveheretur. Ex Nyepolomicze Rex per novam Civitatem, Sendomiriam, Lublin, transitum faciens in Lithuaniam descendit, et illic tempus hyemis egit, ferarum tantummodo venationibus deditus et intentus, quae pro Coronationis futurae celebritate in singulos invitatos hospites et advenas possent sufficere.

Bregensis et Lignicensis Dux Ludovicus ardorem et religionem fidei ac religionis suae in Deum monstraturus, in die Sanctorum Felicis et Adaucti

domum

domum et Ordinem Carthusiensium in nemore prope oppidum suum Legniczam ad fluenta fluvij Harzbach fundat, et tam Ecclesia, quam Monasterio et cellis atq. officinis cunctis ex muro adfabricatis, et erectis, Ducali largitione villis censibus atq. praedijs illud dotat. Primarius inter Poloniae Principes habitus, cui tam insigni officio contigit defungi, et sub Regni Poloniae terminis Monasterium primum Carthusiensium in Polonica Ecclesia fundare.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS QUARTUS

Natali Domini nostri et numero dierum sequentium Wladislaus Poloniae Rex apud Grodeck acto in Poloniam propter Coronationis negotia citerius solito regredi instituit. Et licet pro solemnitate Coronationis praefatae fratrem suum Alexandrum Vitoudum Ducem Magnum Lithuaniae frequentius invitaverit, ex causis tamen multiplicibus, et quarum magis praecipua ea erat, quod iam Zophiae Reginae infensus tam gravi in illam odio grassabatur, ut et honorem sibi per Coronationem impendendum parum grato animo se monstrabat laturum, venire recusavit. De Lithuania Wladislaus Rex egressus venit Jedlnam, et exinde per Ilzam, et Calvum montem, Wislicam, pervenit Cracoviam, rebus et solemnitati futurae Coronationis procurandis. Certus iam de Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis et aliorum Principum invitatorum adventu, Iam et Henricus Daciae Rex in pulcherrimo apparatu singula utensilia et vasa in usum et administrationem mensae necessaria habens aurea, non petita securitate, sed cum omni familia Prussiam primum, statim festo Nativitatis Christi elapso adveniebat, et per notabiles Poloniae Barones iussu et ordinatione Poloniae Regis deputatos, exceptus, et in Cracoviam deductus erat. Ex Cracovia quoque in Ungariam descenderat, et visitato Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege.

Rege in Poloniam rursus redierat. Cui ex Ungaria revertenti Vladislaus Poloniae Rex in villagio Brzeznicza prope Bochniam occurrit, et ipsum humanissime excipiens et honorans in Cracoviam usque deduxit. Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex alterius vir ingenij longo tempore venire cunctatus est, gravemque sibi salvum conductum personalem et literalem mitti expetebat. Restiturus illi Vladislaus Poloniae Rex morem, Hericum Daciae Regem, Sbigneum Cracoviensem Episcopum, Sbigneum de Brzezie Regni Poloniae Marsalcum transmittit, qui cum illi in villa antiqua post Szamowicze feria quarta ante Dominicam Esto mihi occurrissent, Hericus Daciae Rex sic ad Sigismundum Romanorum Regem loquutus est, Et pro meo in te Serenissime Rex officio, et pro Illustrissimi Vladislai Poloniae Regis desiderio, spontaneus cum duobus Regis praefati Nuntijs adveni, vivam securitatem tibi praestiturus, quatenus nos liberos aut vinctos in Regno tuo Ungariae detineas, donec sospes et incolumis ex Polonia revertaris. Sigismundus Rex ea legatione tam submissa audita respondit tam notabili securitati nunquam se eguisse, et de Vladislai Poloniae Regis fide nihil unquam veritum, Cracoviam, sine quocunque salvo conductu venire velle. Feria quinta ambo Reges Romanorum videlicet et Daciae, sed et Barbara Romanorum Regina in oppidum Nowitarg ad prandium et ad noctem pervenerunt. Feria sexta inde egressi procedunt in Myszlimicze, quo illos Vladislaus Poloniae Rex in campestribus excipiens et humanissime invitans in Myslimicze deduxit. Sabbato omnes tres Reges in multitudine gravi et apparatu nobilissimo ex Myslimicze egressi, in Wieliczham perveniunt, factoque ad unam tabulam prandio, in Sala Zupparum superiori in Cracoviam die eodem, qui mitem et placidam auram dabat, ingrediuntur. Occurrebant autem Regibus Praelati, Principes, Barones diversi qui non solum ex Poloniae Regno et eius dominijs sed etiam ex remotis oris et Regnis rogati advenerant et singuli per turmas et exercitus, turbas, et cuneos, in splendore insigni, iuxta quisque suas facultates occurrebant, sed et matronae, virginesque nobiles in vehiculis et curribus fulgentibus et deauratis faciebant occursum. Expectarat etiam Regis suo occursu Branda tituli Sancti Clementis Presbiter Cardinalis Placentinus, a Martino Papa quinto in solennitatem

Coronationis

Coronationis præfatæ missus, item Dux Sigismundus Koributh in quingentorum equorum numero Reges excipiunt. Zophia deinde Poloniæ Regina in monte Lyaszotino tapetis constrato, Sigismundum Romanorum et Ungariæ Regem, eiusque Reginam Barbaram excepit, Et invitatione expleta, Reginam Barbaram in vehiculum suum miro ornatu superbum assumpsit, et usque in Cracoviensem arcem et thalamum pro Sigismundo Rege præparatum, cubiculum videlicet pictum conduxit, Henrico Regi caminata superior consignata, quæ ex illo tempore vocabulum ab hospite sortita Cubiculum Regis Daciæ nominatur.

Die Dominico Esto mihi quæ fuit duodecima mensis Februarij in Sancti Stanislai Cracoviensi Ecclesia maiori, et in eiusdem Ecclesiæ medio ad Sancti Stanislai sepulchrum coronatio Sophiæ Reginæ agi cœpta est. Et tribus Regibus præfatis in copiosa multitudine Principum et Baronum, nobilissimoque et fulgenti apparatu considentibus, præfata Zophia per Albertum Jastrzambiecz Gnesnensem Archiepiscopum voce sonora Missarum solemnia celebrantem, in Poloniæ Reginam coronata et uncta est. Inspectantibus et præsentibus Branda Cardinali Placentino Apostolicæ Sedis apud Regnum Poloniæ legato, Joanne Archiepiscopo Leopoliensi, Sbigneo Cracoviensi, Andrea Posnaniensi, Joanne de Vualdow Luburzensi Episcopis, Juliano de Cesarinis cameræ Apostolicæ auditore. Coronatione expleta omnes tres Reges in stuba apud Lyaszkowyecz ad unam tabulam epulati, Et Sigismundo Romanorum et Ungariæ Rege considente in medio, Vladislaus Poloniæ Rex dextrum, Ericus Daciæ Rex lævum latus ambibant. Proximus Vladislao Regi Poloniæ fuit Branda Placentinus Cardinalis, deinde cæteri Pontifices iuxta Ordines suos ad dextram locati, læva Principibus sæcularibus cesserat. Prandio opiparo et splendide instructo finito, choreæ in noctis partem maiorem protensæ sunt. Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, certaminibus hastiludiorum dies, choreis vero noctes absumebantur. Feria sexta ante Dominicam Invocavit Zawischius niger de Garbow miles suæ ætatis temporibus in Christianitate nulli secundus, omnes tres Reges Romanorum videlicet, Poloniæ, et Daciæ, item Brandam Cardinalem

Cardinalem Placentinum, et omnes Principes Ecclesiasticos et secu-
lares ad prandium invitat, et in domo dicti Bohemi in platea
Sancti Joannis sita, invitatos locat, eosq; deliciosis tractat epulis
Aderant Coronationi prefatae varij Principes videlicet Ludo-
vicus Bavariae Dux, frater germanus Reginae Franciae, qui etsi
invitatus non fuerit, sola tamen futurae solemnitatis fama pel-
lectus, audiens Polonorum celebrem et sonoram famam adve-
nerat. Ferturq; quoq; visa huiusmodi coronatione et eius appa-
ratu atq; pompa, multiplicato sermone dixisse, maiora multo
hausisse oculis, quam auribus. Item Semovitus, Vladislaus,
Casimirus, Troydenus, germani Mazoviae Duces, item Bernar-
dus Opoliensis, Boleslaus Teschinensis, Janussius Ratibo-
riensis, Casimirus Oswiecimensis, Wenceslaus Oppaviensis,
Conradus niger et Conradus albus Olesnicenses, Wenceslaus
Zeganensis Duces, item Lithuaniae et Russiae principes
plurimi, item duo Commendatores Elbingensis et Thorunensis
nomine Prussiae Magistri missi Pauli de Rußdorff

Infra dies quibus Reges apud Cracoviam
immorabantur, fiebant continui et secreti per Reges eorumq;
Consiliarios super rebus varijs et signanter pace Regnorum
tractatus. Item de Haereticorum Hussitarum, quorum invale-
scebat virus exterminio, quas res Branda Cardinalis Pla-
centinus nomine Summi Pontificis fervide et instanter solli-
citabat. Ut autem utriusq; rei facilior, solidior, atq; compen-
diosior proveniret consumatio, duo Reges videlicet Romano-
rum et Daciae, maximis supplicationibus hortum, Vladi-
slaum videlicet Poloniae Regem conveniunt, quatenus affini-
tatem cum illis iungat, et Duci Stolponsi Boguslao stricto
sanguine Sigismundo Romanorum Regi iuncto, Regi vero Da-
ciae nepoti germano filiam suam virginem Hedwigem desponset
in consortem, prima desponsatione filio Friderici Marchionis
Brandeburgensis abrogata. Offerebant autem ambo Re-
ges si huiusmodi affinitas proveniret pro Regno Poloniae multa,
repromittebantq; maiora, Inter quae terrarum et altarum Re-
gno Poloniae alienarum, quarum ipse Stolponsis Dux sarcis
fuerat perpetuam incorporationem. Afferebant contra
sebantq; pro intentione sua Praelatis et Baronis Poloniae,
et

et munificis largitionibus et promissis, quapropter et Schisma varians inter Consiliarios Regni Poloniae exoriebatur, probantibus nonnullis, ut prius foederi cum Brandeburgensi Marchione inito, qui pollicitationem suam violavit, disrupto, prius duorum Regum adhaereretur, et affinitas, magnas commoditates secum latura, cum illis iungeretur. Sanior tamen et maior Consiliariorum pars, variationem et levitatem huiusmodi abhorrens, non poterat in eam sententiam trahi; pro comperto habens, Alexandrum quoque Vitoldum Ducem Magnum Lithuaniae, apud quem tunc iunior Fridericus filius Marchionis morabatur, in rupturam foederis non consensurum. Ne tamen simplici et nuda denegatione duorum Regum et hospitum sollicitas interpellationes repudiatum iri contingeret, Wladislaus Poloniae Rex totius rei negocium in Alexandrum Vitoldum refundit, asserens se sine illius consilio et consensu in rebus magna importantiae, qualem illam constabat, non solitum quicquam statuere. Suadetque postremo ut Oratores suos Reges ad illum mittant, spondens se in eius ordinatione et voluntate futurum. Laeti ambo Reges eo responso extemplo de Cracovia notabilem Ambasiatam ad Alexandrum in Lithuaniam transmittunt, rati precibus illum pro suo voto inclinaturos. Sed et Wladislaus Poloniae Rex a Regibus praedictis rogatus, suos et ipse notabiles Nuncios, videlicet Sbigneum Cracoviensem Episcopum, Joannem Safranyecz Regni Poloniae Cancellarium, et Sbigneum de Brzezye Regni Poloniae Marschalcum, Lithuaniam mittit, suam et Consiliariorum Regni Poloniae dispositionem Alexandro Vitoldo explicaturos. Quamvis autem maiori et saniori parti Consiliariorum Poloniae, accessio terrae Stolpensis, Poloniae Regnum reintegrans, urbesque illius magnae et opulentae, Episcopatus insuper Camycnensis ad Gneznensem Metropolim, a qua abstractus fuerat, reunionis, magni res commodi sequuta affinitate cum Duce Stolpensi videbantur, tamen tanta necessitate utilitateque fidei attendebatur praestantior

Quindecim diebus Reges apud Cracoviam commorati, firmata inter se amicitia, verbis et pollicitationibus

nibus amplissimis digrediuntur. Vuladislaus siquidem Polo niae Rex a Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege rogatus, suf fragium se contra Bohemos Hussitas in aestate futura cum quinque millibus equestrium repromisit laturum. Utrumque deinde Re gem, vasis et clenodijs aureis et argenteis, equis, vestibus, pel libus magnifice honoratum, usque in novam Sandecz est comita tus. Ubi dextris iunctis inter se et osculis latis discessum est, Et Sigismundus quidem Romanorum et Ungariae Rex, simul una cum Henrico Daciae Rege Ungariam profecti sunt, ex qua Da ciae Rex vice altera Hierosolymam adijt, Vuladislaus vero Poloniae Rex Cracoviam rediens, exercitum in solatium Sigi smundi Regis Bohemiam mittendum congregat, et comparatis quinque millibus electarum gentium ex Polonis Petro Mrozowi dzski illis in capitaneum praefecto, illas in Olomuncz ad diem constitutam, festum videlicet Pentecostes ad futurum, transmisit.

Ex Cracovia Vuladislaus Poloniae Rex egressus, pro die Annunciationis Sanctae Mariae Vui sliciam venit. Ubi Bohemorum Nuncijs supplicantibus qua tenus illis Ducem Sigismundum Korybuth gentium robore ad iutum, per eos in Regem assumendum transmitteret. Respondit, neque Ducem Sigismundum Korybuth missurum, neque suffragia aliqua se illis laturum, donec relictis pestiferis erroribus et fidem Catholicam et unicum Summum Pontificem profitean tur, et recognoscant, abnuentes vero, non secus quam Iudaei et religionis Christianae hostes persequuturum, et solatia in gentibus Sigismundo Romanorum Regi pro illorum ex terminio laturum. Tunc insuper quendam Bohemorum Sa cerdotem sectam Bohemicam in Curia regali Vuisliciensi prae dicantem, et extollentem, ad instantiam exhortationem Sbi gnei Cracoviensis Episcopi sectam nefariam constanter persequentis, suadentisque Regi, ne in curia sua, qui Rex Ca tholicus et devotus Romanae Ecclesiae erat, haereses pu blice fovere, foedam exinde labem sui nominis incursurus, per mitteret, deijci ex loco, in quo praedicare audebat, et captiua ri iussit. Sed et ipse Sbigneus Cracoviensis Episcopus illico ob praesentiam Bohemorum, Ecclesiasticum servari interdictu[m]

mandavit

mandant. Ex Vngheria Vladislaus Rex in partes ma
iores Poloniae per Zarnowiecz, Crzeprze, Vngelun processit,
et Pascha Domini apud Calisz celebrato feria tertia in die
Sancti Jacobi in ~~Cesten~~ Costen, pro festo vero Sancti Lauren
tij in Lanciciam divertit.

Feria quarta ante festum Paschae,

Ambasiatores Sigismundi Romanorum et Vngariae Regis
videlicet Joannes Corbauiensis Episcopus, Theodricus de
Brzozowicze miles, et Bartholdus Doctor legum, item He
rici Daciae Regis unus Archiepiscopus et duo milites,
item Vladislai Poloniae Regis Sbigneus Cracoviensis Epi
scopus, Cancellarius, et Marsalcus, in Grodno ad Alexan
drum Vitoldum Ducem Magnum Lithuaniae pervenerunt.
Et in die sequenti, feria videlicet quinta, data audientia,
primum quidem Nuncij Sigismundi Romanorum, deinde He
rici Daciae Regum, legationem eis commissam explicaturi,
oratione longa et diserta, Ducem Stolpensem Boguslaum,
de excellentia virtutum et generis, de praestantia formae,
de multitudine opum, de amplitudine Principatuum mul
tipliciter commendatum, petebant neptem suam Hedvigim
virginem, filiam Regiam, matrimonio illi consociare digna
retur, in Regni Poloniae et Ducatus Lithuaniae ampli
tudinem et profectum

Nuntij Vladislai Polonorum Regis

summaria propositorum commemoratione, per organum
Sbignei Cracoviensis Episcopi habita, rogabant et postquam
duo Reges notabilibus Nuncijs iungi suorum affinitatem
et filiam Regiam, suam vero neptem virginem Hedvigim
Duci Stolpensi Boguslao dari in consortium expeterent, di
gnaretur velut frater Regis, et patruus virginis, quid
facto opus, et si affinitas ipsa, priori cum Brandeburgensi
celebrata, abrupta, ineunda foret, consuleret. Alexander
autem Vitoldus, trium Regum Nuncijs apud se in omni
um rerum abundantia per dies octo retentis, nono demum
die

dux illos sine aliquo certo responso muneribus honoratos remisit promittens deliberatione habita se suam intentionem Vuladislao Poloniae Regi proprijs Nuncijs remissurum. Eam autem dilationem ideo factus est Alexander Vuithaudus interposuisse, ut interim ex tempore capitare posset consilium alterius affinitatis probandae. Licet quoque et ipse ad contrahendam cum Regibus duobus et Duci Stolpensi affinitatem, tam solenni supplicatione apud eum per Ambasiatores Regum habita, consilijs insuper et persuasionibus Vuladislai Poloniae Regis motus, animum inclinasset, Ducis tamen Sigismundi hortatibus contra Regis Poloniae Vuladislai et suam prohibitionem clandestinus in Bohemiam transitus, paululum post secutus, avertit illum a consumanda cum Regibus et Stolpensi affinitate. Quapropter missis in Poloniam Nuntijs Vuladislao Poloniae Regi suadet pacta Marchioni Brandeburgensi promissa, negligenda non esse, iuxta quam deliberationem res acta est, et Stolpens. Duci Marchio Brandeburgensis praepositus, praesertim cum et Martinus Papa quintus, ne affinitas cum Marchione praedicto confecta dissolutionem acciperet, vigorosis literis interdicebat, quarum tenor sequitur, et est talis

Martinus Episcopus Servus servorum Dei
Charissimo in Christo filio Vuladislao Poloniae Regi
Illustri Salutem et Apostolicam benedictionem.

Commendandum est nuptiale bonum in Christianis hominibus, quod ad licitam propagationem humani generis et confirmationem universam, Dominus ordinavit. Sed illae sunt nuptiae magis optandae ex quibus praeter illam communem omnibus utilitatem, alia quaedam magna bona proveniunt, et Regnis, et populis, quales sunt nuptiae quae celebrantur inter illustres, a quibus pendet multarum gentium pax et salus. Cum itaque iamdudum senserimus te Dilectam in Christo filiam nostram, natam tuam Heduigim desponsasse in uxorem, Dilecto filio, nobili Adolescenti Friderico, nato Dilecti filij nobilis Viri Friderici Marchionis Brandeburgensis, eamque personaliter constitutam in conspectu Serenitatis tuae, astante notabili congregatione Praelatorum, Baronum, militum Regni tui per verba de praesenti consensisse,

et

et accepisse in maritum suum legittimum, praefatum Fredericum, ipsius Marchionis natum, eodem Frederico Marchioni etiam similiter acceptante in uxorem legittimam, vice et nomine filij sui praedicti, Et cum hoc Matrimonium viderimus utrique parti honorificum, ac multis gentibus fore salutare, laetati sumus in Domino, et continuo gratulari sublimitati tuae, existimantes te prudentissime consuluisse et providisse quieti senectutis tuae, et statui filiae tuae, ac paci perpetuae Regni tui. Etenim cum propter magnitudinem et excellentiam tuam haberes facultatem ex omnibus Regibus et Principibus Christianis generum eligendum, illum accepisti potius, quem multis ex causis existimare potes tibi obsequentissimum filium, filiae tuae amantissimum virum esse futurum, cumque ad coronandum et erudiendum sub tua disciplina Regia suscepisti Ex hoc etiam matrimonio declarasti benignitatem voluntatis tuae erga Almanum sanguinem, apud quem tam charum et dulce pignus collocare voluisti, Nosque cum nostra prosapia de columna, ex qua carnaliter nati sumus, obstrinxisti vinculo affinitatis, Nam sunt, ut ab antiquis accepimus, qui priscam originem nostram, per manus traditam, ab antiquioribus retulerunt, nostra de Columna Romana, et praesentium Burgraviorum Nurnbergensium domus, quae etiam Romana fuisse dicitur, ab eodem stipite derivatae sunt. Ex quo cum essemus antea Serenitati tuae affecti, propter gloriam et virtutem tuam, et propter merita et officia tua in populum Christianum, esse nunc debemus et erimus, accedente vinculo affinitatis, magis cum Excellentia tua coniuncti, et ad honorem Celsitudinis tuae exhibendum inclinati, qui simul cum Nurnbergensium, nostram quoque prosapiam illustribus et regalibus nuptijs honorasti. Quare fili charissime etsi nullatenus dubitamus de constantia et fide tua, et huius matrimonij firmitate, tamque illud omnibus cordi, ut ex eo credamus plurima et magna bona esse secutura, libenter te in hoc laudabili proposito nostris literis confirmamus, Rogantes Excellentiam tuam, ut modis omnibus atque signis, quibus honeste potes, mun-

do

do declares Sanctitatem tuam immutabilem voluntatem, ita ut
nullum dubium sit, quin matrimonium istud debeat annuente Do
mino feliciter perfici et consumari. Datum Romae apud Sanctos A
postolos quinto Calend. Junij Pontificatus nostri anno septimo

Eodem tempore Henricus Daciae Rex et infans
Petrus Regis Portugaliae germanus, ad Sigismundum Romanorum
et Ungariae Regem accedentes, copias eius suis auxilijs auxere,
ob quam rem Lutimbergum Moraviae oppidum obsessum, et
tribus mensibus continuata obsidio. Erat apud Zyscham
Sacerdos Procopius, postea ob res gestas magni nomen sortitus,
Joanni cognomento Vuoda ex sorore nepos, et ab eo in filium
quod sobole careret, adoptatus, Zyschae vero quod robustus
et manu promptus, nullius fugax laboris, plurimum charus,
cui provinciae Moravicae defensio commissa est. Qui non parva
militum manu accepta, invitis obsidentibus, commeatus ad
obsessos, importavit, irritamque Sigismundo obsidionem fecit.
Obsedit posthaec Zyscha, Pragensium auxilio fretus Au
sscham oppidum in fide et ditione Friderici Marchionis
Misznensis consistens. Obsessis autem Fridericus Marchio
solatium laturus, collecto ex proprijs et auxiliarijs forti exer
citu, praelium ante urbem commisit. Anceps diu tenebatur
pugna, cum fortissimi hinc atque illinc caderent, ad extremum
caeca caecum sequuta penes Saxones fuit. Novem millia
ea pugna ex fidelibus caesa, Ausshia capta, et funditus
deleta. Elatus ea felicitate Zyscha insolentior in dies,
nobilibus infensus esse, civitatibus gravia imperare tri
buta caepit. Ob quas res Pragenses, Baronum obtento au
xilio, adversum eum copias eduxere. Verum ille imparem
se videns ad montes confugit, et in angustijs locorum certa
mine commisso tria millia Pragensium cecidit, reliquos in fu
gam vertit. Nec moratus Cutnam a Pragensibus instaura
tam iterum capit, atque incendit. Mox successu rerum tumens,
infestis signis Pragam petijt, et obsidere urbem de proxim
quo caepit. Erant et in civitate et in exercitu quamplurimi,
qui hoc dissidium detestabantur, et alij Zyscham, alij Pra
genses accusabant. In castris quoque res ad seditionem spe
ctabat, dicente milite indignum esse, eam urbem armis premi,
quae caput Regni esset, neque de religione secum dissentiret,

casuram

casuram brevi Bohemorum potentiam, si divisio irrepserit, quod
Schyscha accipiens apud multitudinem ita concionatus est,
Nec verbo, inquit, animo, comminationes vestras exaudiam, qui
vobis meis periculis salutem peperi, qui vestri causa utriusque
lumen amisi, qui vos ex omni loco victores reduxi; Nec mihi
labor durus est, nec caecitas, nisi quod rei vestrae consulere
optime nequeo. Non meum Pragenses sanguinem, sed vestrum
sitiunt, nec meas sed vestras manus timent; qui dum mihi
parant insidias, animas vestras expetunt. Pragam expu
gnari, seditiososque cives exterminari, si victores esse vultis,
oportet, liberam tamen vobis, ne me accusare possitis, et pa
cis, dum modo insidiae absint, et belli faciendi potestatem, utri
usque adiutor ero. Quibus auditis, mutati militum animi,
bellum decrevere; quod ne in excidium urbis amplius
serperet, Sacerdos quidam Joannes nomine ex Rokiczana
oppido ortus, mendici cognomen sortitus, obscuris parenti
bus et tenuissimo censu, virum ingenio et lingua promptus,
Jacobelli quondam auditor, permissu civium in castra pro
fectus, civitati Zyscham conciliavit. Sigismundus autem
Romanorum et Ungariae Rex ubi Zischam prosperatum,
et res Bohemicas ex eo pendere animadvertit, clam sibi
eum conciliare tentavit, gubernationem sibi totius Regni,
militiae quoque ducatum, et ingens auri pondus quotannis
promittens, si se Regem nominaret, et in verba sua civita
tes iurare cogeret. Monstruosum profecto facinus, ut Ro
manorum Imperator quem omnis Europa venerata est, seni
caeco, nebuloni Sacrilego supplex fieret, pecuniamque
et summos honores offerret. Sed avertit divina pietas eam
pestem, fidelium suorum miserata, Zyscha enim conditioni
bus annuens, dum conventa completurus Sigismundum
Regem petit, inter eundum apud castellum Przibrowiam
peste tactus expirat. Cum aegrotaret interrogatus ubi se
peliri vellet, iussisse cadaveri suo pellem adimi, carnes vo
lucribus, ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eoque
duce bella geri; arrepturos fugam hostes, quamprimum

eius

eius tympani sonitum audirent. Zyscha mortuo, cui Thabo-
renses sacra quotannis agunt, maeror ingens exercitum invasit,
Duae quoque factiones exortae, altera Procopium magnum Ducem
fecit, altera sibi electis paucis, inter quos Procopius minor potior
habitus est, qui communi consilio bellum administrarent, hi se
orphanos appellarunt, qui etsi aliquando inter se dissentirent,
ubi tamen extrinsecus vis ingruit, unitis viribus cum ho-
stibus congrediuntur

Dux Sigismundus Koributh

Bohemorum variis promissionibus illectus, redire Bohemiam, Vladislai
Poloniae Regis et Consiliariorum spreta prohibitione, in ani-
mum induxit, sperans se Bohemiae Regnum facili negotio ob-
tenturum. Die itaque Pentecostes collecta numerosa Polo-
norum colluvie qui aut sua patrimonia profuderant, aut iu-
diciis damnati, aut aere alieno gravati erant, in Bohemiam
ire pergit, et tum demum communionem utriusque speciei,
quam alias Haereticam credebat, quo facilius ad Regni Bo-
hemiae gubernacula pertingeret, et per se et per suos practica-
re coepit, et Bohemorum pestiferos fovere erroribus. Ex qua
re et Bohemos pesti Haeretica infectos pertinacia et robur,
Vladislao vero Polonorum Regi et suo Regno vehemens su-
spitio et sugillatio, tam apud Summum Pontificem, quam
apud nonnullos Reges et Principes Catholicos accessit, quam
Vladislaus Rex frequentibus nuntiis et literis extenuare
et purgare non destitit. Ex pectore quoque Sigismundi Roma-
norum et Ungariae Regis illam depulsurus, promissum
quinque millium armatorum exercitum, ducente illum Petro
Myedzwiedzki, et Henrico de Rogow vice Thesaurario
Regni Poloniae illi administrante necessaria, pro die et loco
de quibus inter Reges convenerat, transmittit. Fecit au-
tem exercitus ipse transitum per Osswanczin, Ratibor,
Opawiam, Carnowiam, et Moraviam ingressus, versus Olo-
muncz locum a Sigismundo Rege destinatum processit, ab
omni parte et latere hostilium civitatum et castrorum perfe-
rendo et reprimendo vexationem. Dum autem ad Olomuncz
pervenisset, Dux Austriae Albertus, Sigismundi Regis Ro-
manorum gener, qui bellum gerendum contra Bohemos

Haereticos

haereticos et rebelles susciperat, et pro eodem tempore in Olomuncz cum Australium, Ungarorum, et Theutonicorum gente degebat, non permisit ut Polonicus exercitus civitatem Olomucensem ingrederetur, tum ne inter suos et Polonos exoriretur scisma, tum quod verebantur ne Polonicus exercitus fraudem et dolum sibi et suis moliretur, subsidium huiusmodi propter Ducis Sigismundi Korybuth et Polonorum in Bohemiam transitum habens suspectum. Propter quod Polonicus exercitus ante Olomuncz diebus quindecim cum pestibus subsistens, veritus ne hostium robore aliquando occupatus opprimeretur, et incertus, an ex Olomuncz sibi Dux Albertus laturus foret auxilium, inde discedens in Poloniam incolumis rediit. Vladislaus Poloniae Rex plures Polonos contra suam prohibitionem cum Sigismundo Korybuth Duce Bohemiam progressos, confiscatione bonorum effectuali, si extabant, sin minus, perpetuo exilio atque bannitione damnavit.

Maioris Poloniae terris Vladislaus Poloniae Rex peragratis, in terras Cracovienses rediit, deinde in terras Russiae processit. Quo illic agente, filius ei primogenitus ex Sophia Regina Poloniae, die Martis, ultima Octobris in vigilia Sanctorum omnium Cracoviae natus est. Quae novitas Vladislao Regi apud Przemysl nunciata, magnam illi et omni populo suo attulit iocunditatem, quapropter post novum sibi huiusmodi denunciatum, ex Ecclesia non discessit, sed orationibus vacans et lacrimis in gratiarum actionibus et piis operibus diem absumpsit. Dilatus autem fuit Baptismus filii praedicti in tempus satis longum, interim enim Vladislaus Poloniae Rex ad Martinum Papam quintum, notarium suum Martinum de Goworzino Canonicum Gnesnensem significando sibi filii sui nativitatem, et rogando ut dignaretur illum de fonte sacro levare, et adoptare in filium, transmisit. Qui novitatem huiusmodi cum singulari exceperit gaudio, Nuncio Regio honorato rebus et beneficiis

filijs, ipsi etiam Zophia Regina maxima munera in pannis axa
mentis, auro intextis, congratulando eius fæcunditati destina
uit. Et Sbigneum Episcopum Cracouiensem ad leuandum infan
tem Regium suo nomine per literas speciales deputauit. Petierunt
idem Sigismundus Romanorum Rex, Dux Mediolanus, Philippus
Maria Dux, et Dominium Venetorum, Franciscus Foscari, multique
alij orbis Principes. Adeoque felix fausta et famosa et omnibus
qui audierant grata fuit huiusmodi filij natiuitas, ut Dei proui
dentiam multiplicater, et Regis senis fæcunditatem attollerent, et
Nuncios Regios natiuitatem filij denunciantes, muneribus donis ho
norarent.

Ex Russiæ terris Vuladislaus Rex in Litthuani
am profectus, et hyemis tempus venationibus intentus deduxit, sin
gulis necessarijs ab Alexandro Vuitoldo procuratis. Confessoris
autem sui Joannis Chelmensis Episcopi Ordinis Prædicatorum, pre
ce et persuasione instigatus terram Lublinensem amplam et nota
bilem abstrahere a Cracouiensi Diœcesi, et Chelmensi applicare, in Op
pidumque Lublinense Cathedram Chelmensem transferre conatus
est. Ut quoque conatibus suis firmitatem maiorem adijceret, per Ni
colaum Lyashocski Canonicum Cracouiensem Nuntium suum obtinuit
huiusmodi abstractionem et translationem apud Martinum Pa
pam quintum confirmari. Qua iniuria Sbigneus Cracouiensis
Episcopus non secus quam par erat motus, magno animo con
surgit, et murum se, ne Diœcesis sua scinderetur, opposuit. Ac
primum Vuladislaum Regem orat, ut si personam suam dignam
execratione duceret, omissa Cracouiensis Ecclesiæ offensa, in ipsum
potius verteret iras, se ad sanguinem et mortem defensioni Ec
clesiæ non defuturum; Dignaretur tamen prudenter attendere
Lublinensem terram a vetusto tempore et sub præsidentia San
cti Stanislai Episcopi Cracouiensis, ad Diœcesim Cracouiensem per
tinuisse, Et in ea suscitato Petro tricenne abinferis, ad repellen
dam calumniosam Sacerdotis occupationem in testem, ad Bo
leslai Regis tribunalia duxisse, Attenderet insuper quod ex Lit
thuania in Poloniam Regnum Poloniæ suscepturus descendens
primum a Clero Diœcesis Cracouiensis, in Lublin exceptus sit
processionis honore, in Ecclesia Cracouiensi fonte renatus bapti
smatis, et Diademate sacro ornatus, illic quoque sepulturam fo
ret excepturus, caueat in eius Ecclesiæ iniuriam grassari; a qua
tot

tot fuisset charismatibus insignitus. Coram Praelatorum deinde et Baronum multitudine in conventione generali Siradiensi, plurimum in Regem, et praefatum Joannem Episcopum Chelmensem quaestus, eorum assistentiam et suffragia implorabat. Communi autem Consiliariorum consensu suffragium latum est, et literae nomine omnium Summo Pontifici, ut scissuram huiusmodi dignaretur rescindere, scriptae. Causa insuper in Apostolico consistorio contra Joannem Chelmensem Episcopum praefata, super tam notabili offensa, ad instantiam Sbignei Cracoviensis Episcopi, Lucido Cardinali de Comitibus commissa. Sentiens autem Vladislaus Rex proposito suo obicem fortem et durum obiectum esse, et intelligens rem non solum perniciosi exempli, sed seminarium variarum discordiarum et simultatum esse, continuo ut princeps benignus et modestus, factum suum ad quod parum sano conductus fuerat consilio, correxit, et penitus revocavit. Sed et ipse Joannes Chelmensis Episcopus et Sbignei Cracoviensis Episcopi, et totius Regni resistentia deterritus cessit a proposito et omni iuri, liti et causae renunciavit. Magnaque Sbignei Cracoviensis Episcopi constantia et animositate, ne Cracoviensis scinderetur, effectum et provisum est, Ecclesia, decreto Apostolico, ad instantiam Regiam obtento, abrogato, de quibus omnibus in aerario Ecclesiae Cracoviensis specialia retinentur privilegia atque documenta

Die Veneris vicesima sexta Junii vesperarum hora eclypsis in Sole notabilis, quae per tres horas a principio usque in finem duravit, visa.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS QUINTUS

Calibrato

Celebrato Natalis Domini apud Vuilnam, Vladislaus Poloniae Rex, dic, aliquot insuper septimanis postea in Lithuania commoratus, in Regnum Poloniae rediit. Pro duobusque Carnis privij Cracoviam adve niens, die Dominica Esto mihi, quae fuit decima septima Februarij filium suum primogenitum in Cracoviensi Ecclesia per Albertum Jastrzembiecz Gnesnensem Archiepiscopum, Sbigneum Cracovien sem, et Andream Posnaniensem, Episcopos, baptizari procurat, et ei paternum suum nomen Vladislaus adoptat. Aderant suo bapti smati Martini Papae quinti, Nicolaus de Glamboczecz Archi diaconus Posnaniensis, et Sigismundi Romanorum et Ungariae Re gis Clemens Episcopus Jadrensis, multorumque aliorum Regum et Principum Oratores, et Nuntij, aderant Pruthenis vicini, aderant Pauli de Ruzdorff Magistri Prussiae duo Nuntij, Martinus Kempnat Sen magnus Commendator, et Henricus Holdt Commendator Elbin gensis. Aderant Regni Poloniae Praelati et Proceres, qui infantem et eorum quorum nomine advenerant, et proprio, de fonte levarunt. Alexander Vuitholdus Magnus Lithuaniae Dux de novo nepo te exultans, Cunabulum argentium ponderis centum Marcarum argenti, infanti transmisit. Celebris dies illa plurimum apud Polonos habita est, et in magna hilaritate traducta, quod ex Re ge universis charo, haeredem masculum Polonia suscepisset, sibi quidem gratum, hostibus vero et vicinis terribilem. Celebritate Baptismalium perfecta, Principibus et Nuntijs Regum et Prin cipum, per munera et clenodia honoratis, ex Cracovia feria quarta post Dominicam Oculi egressus, in terras Maioris Polo niae per solitas stationis processit, et Pascha Domini apud Calisz egit, Ubi ad eum venit Ericus Daciae Rex ex sancto sepul chro Hierosolimitano reversus, Gratus fuit Poloniae Regi suus ad ventus, comiterque et benigne exceptum, omnium rerum affluentia procuratum, pluribus diebus detinuit, et varijs domo munera tum in magna charitate Daciam remisit. Ex Calisz in Posna niam et caetera Maioris Poloniae loca processit, et diem Assum ptionis Sanctae Mariae in Przeborz tenuit, abinde per Radi Scherze, Chanczijny, Woltze, Bodzanczin, Sonno, Solecz, in Zu blinensem, post in Russiae terras descendit, fugiendo pestem quae fere universum Regnum Poloniae pervaserat, et per tem pus aestatis, autumni, et hyemis sequentis, plures mortales utri usque sexus variarum conditionum absumpserat

Penultima

Penultima mensis Junij Clavus unus ex his, qui Sacratissimo corpori in passione Domini nostri Jesu Christi erant infixi, Wladislao Poloniae Regi et consorti suae Sophiae Reginae per Latinum Episcopum Hostiensem Cardinalem de Ursinis vulgariter nuncupatum transmissus, et Cracoviam allatus, omnium processionum urbis Cracoviensis honore susceptus est, ac Ecclesiae Cracoviensi, insigni pro sempiterno memoriali donatus. In qua pro consolatione fidelium, et Cracoviensis Ecclesiae decore ostenditur, et singulari colitur veneratione, multiplicia languentibus praestans beneficia

In die Sancti Marci in Brzescze Cuiaviensi conventio generalis habita est, in qua Wladislao Poloniae Rege petente et instante, Praelati, Principes, et Barones Regni Poloniae obligarunt se filium Regis noviter natum, Wladislaum, patre mortuo, pro Rege et Domino per literas speciales suscepturos, Literas tamen huiusmodi in Sbignei Cracoviensis Episcopi fidem commendant. Tunc demum Wladislao Regi tradendas, cum Regno, et cuilibet terrae, literae speciales Regiae, Sigillo Maiestatis munitae, libertates et immunitates continentes, iuxta minutam tunc conceptam forent consignatae. Sustulerat enim Wladislaus Rex, ab omnibus Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, et Conventualibus onus Stationum, et a militibus terrae Cracoviensis, eorumque hominibus annualem solutionem perpetuo indulserat, pluresque alias libertates vel contulerat, vel antiquis aliquid liberalitatis et gratiae adiecerat. In speciem itaque huiusmodi libertatum obligatio de suscipiendo filio Regis inita est, quae si negarentur, non teneri se ad illam, et Sbigneum Cracoviensem Episcopum ad literam obligationis reddendam arctabant.

Habita est et in festo Pentecostes in Lanciciensi oppido Synodus provincialis, in quam singuli provinciae Gnesnensis Episcopi, praeter Jacobum Plocensem Episcopum, valetudinarius enim erat, convenerant, Convenientes an contributio viginti millium florenorum per Martinum

Papam

Papam quintum Vladislao Poloniae Regi in clero Regni Poloniae, sub ea conditione, si personaliter cum potentijs suis in Bohemos Haereticos expeditionem ageret, concessa, deberet iuxta Regiam requisitionem iam factam solui, vel negari, varijs tractatibus digerebant. Capta autem fuit uniformis conclusio, nullo pacto clerum Polonorum ad solutionem taxae tam onerosae subijciendum fore, sed et Vladislaus ipse Polonorum Rex attendens Martinum Papam nihil illi de proprio largitum esse, contributionem quoque ipsam si exigeretur, clerum Poloniae multipliciter fore offensuram, sollicitare eius redditionem destitit, onus quoque expeditionis contra Bohemos Hussitas suscipere detrectavit, intelligens Papam Martinum non de proprio in res fidei collaturum. Contigit autem in Synodo praedicta, Gnesnensi Archiepiscopo, et Episcopis comprovincialibus, vota sua in ea materia fundentibus, Stanislaum Pawlowski Ploczensem Archidiaconum, nomine Jacobi Ploczensis Episcopi, et suae Ecclesiae illic comparentem, votum dicere iussum, publice asserere mandatum Apostolicum ad Ploczensem Dioecesim non extendi, cum Ducatus et terra Masowiae in Ploczensi Dioecesi consistentes, proprios habeant Principes liberos, nec Poloniae Regi nec cuicunque alteri subiectos, propter quod Clerus Ploczensis de Regno Poloniae non debet computari aut censeri, neque ad contributionem obligari. Qui sermo parum aequis auribus auditus, cum in notitiam quoque Vladislai Polonorum Regis perlatus foret, in vehementem indignationem illum, contra Semovitum Masoviae Ducem, sororis suae Alexandrae maritum, cuius consilio et mandato a Stanislao Pawlowski fusus ferebatur, provocavit. E vestigio quoque conventionem generalem in Brzescze Ruthenicali pro die Sancti Martini Confessoris indixit, quo ordine, quave via motus Semoviti Masoviae Ducis contra Regem et Regnum se erigentis, priusquam invalescerent, opprimendi forent, provisurus.

Die Dominico Penthecostes, quae fuit vicesima septima Maij, Jacobus Ploczensis Episcopus, vir religionis et modestiae spectatae, qui Ploczensem Ecclesiam plurimum auxerat, extulerat, vasisque et clenodijs varijs nobilitaverat, in sua curia Episcopali in Ploczko moritur, cum annos triginta

tres

tres sedisset, et in Plocensi Ecclesia sepelitur. Post cuius mortem Capitulum Plocense futuri Pontificis electionem celebraturum, dum in vota varia scissum vix constaret, Semovitus senior Masoviae Dux precibus et intercessionibus Praelatos et Canonicos Plocenses permovens, obtinuit Stanislaum Pawlowski de Gnatkowice nobilem de domo Rzeschala Archidiaconum Plocensem, Cancellarium suum eligi, a parte parum saniori et minori. Perturbatur tamen electio sua a tribus Ducibus Semoviti filijs, Semovito, Vladislao, et Cazimiro, Stanislaum Pawlowski singulari exercentibus livore. Conatusque suos non desistebant interponere, ut electio in alios recideret. Et licet a parte saniori et minori Cristinus Nyeborowski Canonicus Plocensis nobilis de domo Prawdzitarum fuisset electus, cessit tamen instanti Semovito Duce de iure electionis. Et Stanislaus ipse Pawlowski impedimento sublato, anno eodem, decima octava Decembris Romae a Martino quinto confirmatus, ab Alberto vero Jastrzambecz Gnesnensi Archiepiscopo in Plocensi Ecclesia consecratus est

Die Dominico Sancti Martini in Brzesczie Rutheniali supra flumen Bug Conventio generalis acta est. Ad quam Vladislaus Poloniae Rex cum consorte sua Sophia Regina, et Alexander Vitholdus Magnus Dux Lithuaniae cum consorte sua Juliana, Praelati, Principes, Barones, Boiary utriusque dominij convenerant, causam rebellionis et inobedientiae contra Semovitum Ducem Masoviae Semovitum instauraturi. Dux autem praefatus Semovitus, licet citatus et vocatus foret, ut in ipsa conventione compareret, et fidelitatis ac iuramenti Omagium Regi praestaret, comparere tamen propter adversam, qua detinebatur, valitudinem, non valens, nuncios qui absentiam suam excusarent, interponendo languorem corporis, transmisit. Absentia itaque praefati Ducis Semoviti obstante, processus contra illum suspensus est, et in tempus longius continuatus. Ex conventione quoque praedicta Brestensi, duo Barones ad Ducem Semovitum Regio nomine missi, sibi denunciant, ut Semovitus coram Vladislao Rege personaliter

liter comparavat, Omagij et fidelitatis praestiturus iuramentum. Non destitit in ea conventione Alexander Vitoldus Litthuaniae Dux animos Praelatorum et Baronum Poloniae conducere et mollire, quatenus Molendinum Lubicz vigore faederis pacis perpetuae inter Regnum et Cruciferos demollitum, Cruciferis donaretur. Magister siquidem Prussiae Paulus de Ruszdorff perpendens, quantus illi profectus ex demollitione Molendini detractus sit, Litthuaniam ad Alexandrum Vitoldum Ducem venerat, precibusq et oblationibus varijs conduxerat, ut sibi Molendini restitutionem sua opera polliceretur. Consiliarij autem Poloniae nullum certum allegabant se posse suae postulationi dare responsum, sed rem ipsam in Conventionem generalem proxime instituendam reijciebant

Ex Conventione Brestensi Vladislaus Rex cum consorte sua Sophia regina, in Litthuaniam divertit, et illic hyemis tempus in venationibus deduxit. novercam enim luis pestilentiae in Regno Poloniae saeviens, Litthuaniam etiam pervaserat, expost tamen serpendo etiam in Litthuaniam grassata est. Coactusq Vladyslaus Poloniae Rex et Alexander Vitoldus oppidis castris et curijs derelictis, in Sylvarum, et nemorum latebris hyemis medio commovari. Filius autem Vladislai Regis Vladislaus infans in Chanczyny castrum delatus est, ubi per omne Chsi ~~sania~~ domini tempus tenebatur

Sabbato in die Conceptionis Sanctae Mariae Vladislao Poloniae Rege et Alexandro Vitoldo Litthuaniae Duce apud Grodno immorantibus, Magister Prussiae Paulus de Ruzdorff cum nonnullis suis Commendatoribus advenit, Ducemq Alexandrum Vitoldum quatenus Molendini Lubicz donationem apud Poloniae Regem efficeret, tanto studio, tantisq conatibus et instantijs interpellare coepit, ut Alexander Vitoldus vel se molendinum Lubicz apud Regem et Regnum impetraturum, vel distri

ctum

ctum Polangam supra sinum maris Samagittici situm Magistro et Ordini donatum astrinxerat. Vladislaus Poloniae Rex frequentibus precibus et persuasionibus Alexandri Vitaudi expugnatus, benevolum se ad donationem molendini Lubicz exhibebat, dummodo Consiliarij Regni Poloniae, sine quibus rem tam arduam decernere non posset, impedimento non forent. Sentiens insuper Summus Pontifex Martinus Papa quintus Regni Poloniae castra, civitates, oppida, villas, ceterosque introitus per Vladislaum Poloniae Regem prodige magis, quam fructuose, et necessarie donasse, inscripsisse, et distraxisse; Archiepiscopo Leopoliensi dat in mandatis, ut literis, donationibus et inscriptionibus Regijs non obstantibus, Regnum Poloniae reintegret, decernatque Regem ad observandum donationes, inscriptionesque bonorum per eum factas non teneri; quod ne cui scrupulum in credendo afferat, copia bullae Apostolicae videatur.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS SEXTUS.

Solennitatem dierum Natalis Domini et temporis intervalli, dum Vladislaus Poloniae Rex apud Vilnam cum consorte sua Zophia Regina exegisset, et ante Carnisprivium ex Litthuania rediens, in Poloniae Regnum pisti conquirente inciperet, in loco venationum, qui appellatur Bialowiezy, venationi ursi incumbens, casualiter pedem fregit, et exinde in terram Chelmensem descendens, dies Carnisprivij et tempus Quadragesimae in Lubomlya et Crasnystaw, crus ossium medendo absumpsit. Acta est autem pro Quadragesima medio in Oppido Vuartsa Conventio generalis, ad quam licet Vladislaus Poloniae Rex propter pedis languorem non venisset, Consiliarij tamen principales illuc convenientes tractabant, qualiter Alexandro

xandro Vitoldo Duci Magno Lithuaniae, molendinum Lubicz donari Cruciferis petenti responderent; post varios autem tractatus in re ipsa habitos, deliberatum fuit, petitionem Alexandri Vitoldi audiendam, et molendinum Lubicz donandum Cruciferis non esse, cum ex donatione ipsa pacis perpetuae inscriptionis, conditione de molendino Lubicz abrogata, laesum et violatum iri contingeret. Neque respectus per Alexandrum Vitoldum invectus estimandus, quo se afferebat molendino Lubicz negato, Polangam supra mare Samagitarum sitam centum gradibus quam Lubicz utiliorem, ex pacti sollicitatione Cruciferis largiturum. Mittuntur deinde ex ipsa Conventione Vladislaus de Oporow Decretorum Doctor, et Iarandus de Brudzewo Cuiaviensis Vexillifer ad Magistrum et Ordinem Prussiae, qui sibi denuncient, illumque admoneant, ne in violationem foederum pacis perpetuae donationem molendini Lubicz ambiat, Ducemque Alexandrum Vitoldum sollicitare et inducere pro eius largitione, et quasi quandam ponere inter fratres divisionem desistat. Spem insuper de Polangae donatione, per Ducem Alexandrum Vitoldum, casu quo donatio molendini Lubicz non perveniret, sibi factam deponat, cum Dux Alexander donationes in terris Lithuaniae Rege Vladislao dissentiente facere non potuerit. Quamvis autem Prussiae Magister Paulus Ruzdorff legatione huiusmodi accepta, constanter negasset, se Ducis Magni Alexandri, pro donatione molendini Lubicz quaesivisse suffragia, eo tamen calidius et scrupulosius et per seipsum et per Nuntios ac literas coepit Ducem Magnum Alexandrum pro praedicti molendini Lubicz donatione interpellare, Non quod magnopere huiusmodi indigeret molendino, sed occasionem oblatam non esse negligendam censebat, per quam Unionem et Charitatem fraternam inter Vladislaum Regem et Alexandrum Ducem scinderet, et iurgia atque bella inter illos consereret, quos unitos et concordes sibi scribat esse magno terrori

Pascebatis

Paschatis festo apud Crasznystaw exacto,
in Octaua illius Vuladislaus Poloniae Rex per Vuislam
in nauibus, in terram Cuiauiensem, cuius iam pridie descen
dit, in transitu suo, per Janussium Ducem Masouiae, in Vuar
szowia, in Plocsko vero, alysq; pluribus locis, per Ducem
Semouitum exceptus et honoratus. Ex terra Cuiauiensi
venit Lanciciam, et generalem pro festo Pentecostes, fre
quenti numero Consiliariorum ad illum confluente, tenuit
Conuentionem. In qua cum imprimis Vuladislaus Poloniae
Rex a Praelatis et Proceribus vniuersis rogaretur, vt
vigore recessuum Conuentionis Brestensis pro die Sancti
Marci habitae, iura et libertates nouas, et veteres confirma
re, et innouare dignaretur, respondere diutius rogationi
cunctatus est. Sigismundi enim Romanorum et Vngaro
rum Regis consilio, quod per specialem Nuntium ad ipsum
vsq; in Vngariam missum exceperat, persuasus, mutauerat
propositum, qui antiquorum iurium confirmationem, et largi
tionem nouorum sibi et Successoribus perniciosam, neq; respe
ctu promissionis de suscipiendo filio, cum ad id lege obligeren
tur diuina, libertates nouas concedendas fore censebat.
Studuitq; magis vt singuli Consiliarij per singulares
literas facerent de suscipiendo filio singularibus nominibus
sponsionem. Id consilium non secus, quam a Minerua lar
gitum, Vuladislaus Rex obseruans, neq; se antiqua iura
confirmaturum, neq; noua largiturum edicit. Murmure
illico orto, Sbigneus Cracouiensis Episcopus in contionis
medio assurgens, literam vniuersalem Regni sigillis Prae
latorum et Procerum communitam, qua se filium Regis Rege
obeunte pro Rege accipere astrinxerant reproducit. Haec inquit
est litera fidei meae credita, quam Regi nostro seruare pro
missa abnuenti, integram reddo. Excepta illico a Proceribus
est, et gladijs nudatis non sine strepitu et fragore micantium
mucronum et pauorum nimium adsistentium, inspectante Rege,
in partes minutas discerpta. Quo facto Rex tristis et anxius

e consilio

e consilio discessit. Ne tamen animos Consiliariorum exacerbatos
relinqueret, diebus sequentibus spem dabat, deliberatione sum
pta promissam iurium et libertatum confirmationem et dona
tionem se daturum. Interim tamen a pluribus Consiliarijs sin
gulares literas exigere non destitit, paucique admodum reperti,
qui largitionibus et promissis Regijs non cederent, et publicis
rebus atque iuribus neglectis, se per singulares literas de susci
piendo filio Regis, proprioris utilitatis privatae, quam publicae, non
obligarent.

In eadem insuper Lanciciensi Conven
tione, post multas considerationes et respectus, scrupulosius
libratas, ne Scisma aliquod inter Vladislaum Poloniae Regem
et Ducem Alexandrum Vitoldum oriretur, deliberatum
fuit, ut ad preces frequenter et tunc repetitas praefati Ale
xandri Vitoldi molendinum Lubicz, Magistro et Ordini
Cruciferorum donaretur, et eius demollita permitteretur
reaedificatio. Missique sunt ex Conventione praefata ad Ale
xandrum Vitoldum in Lithuaniam, Sbigneus Cracovien
sis, Petrus Saffraniecz Succamerarius Cracoviensis, Doma
ratus de Cobylany Castellanus Biecensis, et Nicolaus Trze
wiczki Notarius Regius, qui docerent illum, Regem et Re
gnum non sine periculo pacis perpetuae cum Cruciferis fir
matae, et dispendio Regni atque dedecore precibus suis conde
scensum esse, quatenus gratiam et liberalitatem Regni et
Regis in eum factam attenderet, Regique et Regno Poloniae fi
deliorem se in dies propterea praestaret, et expost res similes
perniciem Regni secum trahentes expetere desineret. Insuper
ut actiones suas, quibus aliquando contra promissa et inscri
ptiones Regi et Regno factas excedebat, carperent, et impro
barent, correctionemque et emendam requirerent. Nuntios
praedictos ad se in Trolki venientes Alexander Vitoldus
singulari comitate honoreque excepit, primum quidem Mathi
am Vilnensem Episcopum cum omnibus Ducibus et Boiaris
maioribus Lithuaniae illis ordinavit duobus milliaribus

a Vilno

occurrere, a Vilno occurrere, expost vero et ipse ex cameris et thalamis superioribus descendens, in porta castri inferioris Nuncios excepit. Tribus diebus continuis in referenda legatione Sbigneus Cracoviensis Episcopus legationis princeps usus est, et dulci modestoq; ac facundo sermone, qui ei naturali gratuitoq; dono inerat, cunctis qui audiebant in stuporem tam limati sermonis certatim illum laudantibus conversis, nihil silere, de his, quae sibi et suis collegis erant imposita, omisit. Adeo audaci et constanti corde frequenter Alexandrum Vitoldum Ducem obiurgans, corripiens, atq; carpens, ut Dux ipse bilem continere saepius accensam non posset, Ut tamen erat vir ingenij solertis et maturi ea bilera compressa ad omnia modeste respondit, et singulis capitibus reprehensionum suarum mansuetam reddidit responsionem, pollicens, universa quibus in Regnum et Regem deliquerat studio propensiori se emendaturum. Nuncijs quoq ipsis apud se diebus aliquot tractatis et altis honoratos muneribus, Vladislao Polonorum Regi per illos quinq millia Marcarum latarum grossorum dono misit. Ab eoq; quoq tempore Mohrungium Liberz ex donatione Regia in ditionem Prussiae Magistri redierat

Aestate eadem Alexander Vitoldus Dux Lithuaniae, praedictis Regijs Nuncijs in Poloniam remissis, expeditionem in Pskowitas, qui et ipsi genus et linguarum a Ruthenis ducunt, parat. Causa belli tenuis et pene nulla suberat, quod Pskowienses limitare dominia Lithuaniae a terris suis, et lapides Alexandrum ponere pro beneplacito non sinebant. Rumore autem, contra illos per Vitoldum suscepti belli, intellecto, etiam et Sanctaubam in tutum rescindere, bellum perosi, parant. ~~Missis ergo~~ missis quoque iuxta morem gentis Nuncijs. Qui cum, Regijs legatis adhuc apud Trokhi praesentibus, supervenissent, rogant, ne Alexander Vitoldus illis bellum inferat, parati cedere de proposito, et limitatione

terrarum

terrarum pro suo beneplacito permittere. Nihil motus ea hu
militate aequitateque Dux Alexander arma contra illos sumit,
licet expeditio ipsa velut parum iusta per Sbigneum Cracovien
sem Episcopum fuisset sibi multipliciter dissuasa, Et suppeditatis
omnibus, quae vel ipsi, vel exercitui, quoniam regio Pszkowi
ensium magna ex parte inculta et deserta est, usui forent,
magnum ex Baronibus et militibus Poloniae secum ducens
exercitum, terras Pszkowiensium in locis bassis sitas vastare
aggressus, castrum Vronarz inter castra Pszkowiensium, quae
novem tantummodo habere feruntur, secundum, obsidione cin
git, caeteras arces incendijs et vastatione villarum terret
et allicit. Verum, ut fit in bello aequitate omissa suscepto, even
tus desiderijs Alexandri Vuithaudi nunquam minus respon
debant. Quinque hebdomadis coelum pluvias fundens, adeo
coelesti imbre terram effecit compluitam, consurgente ab Euro
tonitrua simul et fulgura frequenti tempestate concutiebant
praecipites e coelo nimbos diffundentia, ut equos terra non su
stinens undique ad genua involveret. Terra insuper suapte
mollis et aquosa pluviarum multitudine resoluta, quadriga
rum et quadrupedum transitum, nisi virgultis et viminibus
constrata, non ferebat. Equis pabulatio, hominibus quoque com
meatus deerant, plures mortales fame deperibant. In congres
sibus singularibus Pszkowienses, gens pavida et fugax, Polo
nis et Lithvanis evadebant superiores. Omnia incepta Ale
xandri Vuithaudi cedebant aut in adversum aut in irritum.
Pluribus itaque molestijs et angoribus Alexander defatigatus,
tractare cum animo suo anxie coepit, omitteret ne bellum inci
denti infelicitate hactenus gestum, an fortunam rursum experi
retur, quae crebro illi adversa, paenitere cum sui consilij, et sero
Sbignei Cracoviensis Episcopi memorari coegit. Itaque ad hostis
mittens, pacem, si conditionem oblatam implere velint, offert.
Pszkowitae autem eventibus aliquot elati, pacem abnuunt,
nunciosque sine pacis spe, felicitati sua non statuendo modum,
vacuos remittunt. Mutatur illico fortuna, mutatur et coeli
intemperies, subitoque ex coelo caliginoso, serenitas votiva coor
ta,

ta, exercitum Ducis Alexandri ex locis vicinis omnium victualium copiam contra Serr permisit. Cedere et fugere Esszkowienses, clades insuper frequentes excipere coacti sunt, sensimque omnis fortuna, omnis victoria, ad Alexandrum Vitoldum redibat. Quo malo Esszkowienses perterriti, missis Nuncijs pacem quam ~~spreverant~~ spreverant, multifariam rogant, et impetrant, a quibus Alexander Vitoldus magna auri et argenti, tam fusi, quam signati, quantitate accepta, quam in Barones et nobiles Poloniae secum militantes liberaliter erogaverat, pacem Esszkowiensibus per certas conditiones et capitula, quibus limitatio terrarum suo arbitrio relinquebatur, concessit, solutaque castri Vuronarz obsidione incolumis cum exercitu suo Litthuaniam rediit. Erat enim Vitoldus Dux sicut adversantibus asper, ita supplicibus et aequa offerentibus placabilis. 185

Conventione Lanciciensi expleta Vladislaus Poloniae Rex Cracoviam ad visitandum consortem suam, Sophiam Reginam, ad videndum quoque prolem alteram, nuperrime ea natam transijt. Filium enim secundo Casimirum, Sexta decima die mensis Maij in Solis Ortu fuerat enixa. Cracoviae autem solennia Baptismi secunda Junij egit, et Casimirus infanti nomen imposuit. Exultans insuper de ortu alterius filij Curiam regalem instituit, ac militibus in palestra certantibus praemia proposuit, eaque athletis donavit. Ex Cracovia, per Ilkusz, Szyewior, Cozeglowy, Czanstochowa, Clobuczko, Krzepicze, Wielun, in terras maioris Poloniae reversus est, et residuum aestatem illic absumpsit transeundo et visitando castra et civitates continuas, videlicet Drabim, Miedzyrzecz, Wielcz. Ex maiori Polonia pro festo Nativitatis Sanctae Mariae Sandomiriam venit, exinde in terram Lublinensem, post in terras Russiae divertit, quibus peragratis in Niepolomicze pro festo Sancti Martini advenit.

Sollicitatus

Sollicitatus autem Vladislaus Poloniae Rex
Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis multiplici instan
tia, atque prece, de ferendo illi solatio contra Turcos, quinque mil
lia gentium armatarum mittere repromittit. Quod ut faci
lius expleret, omnibus terrarum tantummodo Russiae Ba
ronibus et militibus in expeditionem huiusmodi iubet pro
ficisci. Paritum est autem fere per universos Russiae mili
tes, paucis exceptis, iussionibus Regis, et in decenti pulcherri
moque apparatu sub Ducatu Iannussij Cobylenski militis, Ca
pitanei Szanocensis de domo Grzymalitarum, illum enim
Vladislaus Rex universis Ducem praefecerat, exercitus
notabilis quinque millium armatorum numerum excedens, de
terris Russiae in subsidium Sigismundi Regis contra Turcos egres
sus, usque ad Danubij fluenta circa Braylow in terra Bessara
biae pro die Sancti Ioannis Baptistae, qui inter Reges convene
rat, pervenit, pro eadem siquidem die Sigismundus Romano
rum et Ungariae Rex cum omnibus suis potentijs se ad Braylow
asseverabat venturum, quapropter et Vladislaus Poloniae
Rex virtutem promissis daturus, suis ne diem illam negli
gerent studiosius inspiraverat. Verum Sigismundus Roma
norum Rex varijs praecipue tamen Bohemicis distentus ne
gotijs expeditionem in Turcos institutam prosequi differe
bat, quapropter gentes Vladislai Poloniae Regis circa Braylow
in campestribus, duobus prope mensibus immoratae, Sigismun
di Regis et suarum gentium operiebantur adventum. Neque
tam diuturno tempore quicquam fastidij senserant, lon
giorem etiam moram in eo praestolando absumpturi, nisi pro
comperto accepissent Sigismundum Regem a rebus belli insti
tuti abstractum, animum ad alia negocia divertisse, prop
ter quod exercitus Polonicus frustra fatigatus, a Danu
bio incolumis in Poloniae Regnum remeavit. Et quod nonnulli
milites terrarum Russiae ire ad expeditionem praefatam,
mandato Regis neglecto, contempserant, ut singulis illis quinque
marcae Polonicales pro unaquaque lancea solverentur, propter
quod Vladislaus Rex ad magnam indignationem contra
eos

eos excandescens, singulos rebelles, nulli deferens conditioni, aut praeeminentiae comprehendit, detinuitque aliquanto tempore molestia carcerali. Tandem tamen velut is qui pietate affluebat visceribus, precibus Praelatorum et Baronum suorum Poloniae pro captivatis huiusmodi intercedentibus devictus, omnem illis noxam, et offensam dimisit, benigniter Haereditaria quoque bona et possessiones quae abstulerat restituit, praeter advocatiam Crosnensem, quae detinetur in eam diem.

Ex Nepolomicze Vuladislaus Rex per solitas Stationes et loca in Litthuaniam provexit, et ferarum capturis hyeme cuncta variavit. Ex feris autem diversi generis, quas Litthuanica ora producit, per venationis captis, primum Zophiae Reginae, deinde Ar[c]hiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Baronibus Regni Poloniae, item Slesiae Principibus, item Capitulo, item Magistris et Doctoribus Universitatis Cracoviensis, item Consulibus Cracoviensibus, qualibet hyeme integra ferarum corpora, aut si temporis caliditas imminebat, sale infusa mittere non negligebat. Ex quo et munificentiam suam longe lateque propagabat, et charitatem sibi atque devotionem in subditorum pectoribus magnopere augebat.

Sexta die mensis May Bolislaus Theschinensis Dux, filius Premislai senioris in Theschin diem obijt, in Sepulchris Patrum suorum apud Monasterium Theschinense Fratrum praedicatorum tumulatus, relin[quens] quatuor filios varia pulchritudine et forma viros, videlicet Venceslaum, et Vuladislaum, Premislaum et Bolislaum, ex quibus duo videlicet Venceslaus et Vuladislaus sine prole abierunt, et unam filiam Alexandram Ladislao de Gara Palatino Ungariae desponsatam, quos ex secunda uxore, muliere suae aetatis pulcherrima Offka filia Semoviti Ducis Mazoviae, et neptę germana ex soro[re]

re Vuladislai Poloniae Regis suspirat, Nam prima uxor Margaretha filia Janussij Ratiboriensis Ducis, quam patre nequicquam prohibente duxerat, fuerat infaecunda

Gnesnensis Archiepiscopus Albertus Jastrzembiecz Martini Papae quinti mandato actus, in Gnesnensi provincia iuxta directam illi a Summo Pontifice formam, eo anno visitationis officium exercuit, corrigendo Ecclesiasticarum personarum excessus, vitia, et abusus, Et licet singulae Dioeceses, singulaeque Cathedrae Poloniae Ecclesiae ei paruissent, et cum omni mansuetudine promisissent se corrigi et visitari, Vuratislaviensis tamen sola Dioecesis sive suorum conscia reatuum, sive correctionem et restrictionem abusuum, et procurationem sui Metropolitani molestius latura, allegatis infestis Bohemorum Haereticorum bellis, quibus in una tantummodo exigua parte premebatur, ne visitaretur, restitit, et salutis suae atque religionis authorem, pluribus interpositis simulatis difficultatibus, ingressum ad se subtraxit, Ipse insuper Albertus Jastrzembiecz Gnesnensis Archiepiscopus, etsi se a Vuratislaviensi Episcopo et Clero spretum et refutatum iri moleste ferret, et sententiam interdicti posset in universam Dioecesim rebellem Vuratislaviensem promulgare, iuxta quod illi a sapientibus et doctis viris suadebatur, metu tamen mortis continuit se a censurarum rigore, Avisatus a Scholis si in proposito visitandi perseverans, in Dioecesim Vuratislaviensem ambiens ad parendum cohortatum advenisset, certis et varijs venenis procul dubio fuisset affectus

Die Saturni vigesima quarta Augusti Andreas Lascharij Posnaniensis Episcopus, dum annis quindecim sedisset, in castro patrimonij sui Goszlawicze, quod ipse muris erexerat, Catholice et religiose viatico sacro sumpto moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cuius morte sequuta Martinus Papa quintus Miroslao Praeposito Gnesnensi suo familiari continuo atque Datario, Decretorum Doctori nobili de domo Nalecz Polono proprio motu

motu et Apostolica authoritate providit. Ex Capitulo vero Posnaniensi, nonnullis Praelatis et Canonicis, regijs motis intercessionibus, Stanislaum Czolek Regni Poloniae Vicecancellarium nobilem de domo taurorum eligentibus, gravis contentio inter Martinum Papam et Vladislaum Regem fuit suborta. Nam neq; Miroslaus provisus Apostolicus, et in Episcopum consecratus, Rege negante possessionem Posnaniensis Ecclesiae habere usq; ad obitum suum potuit, neq; Stanislaus Czolek suae electionis, quamvis Vladislaus Rex pro illo plurimum adniteretur, confirmationem. Biennio quoq; prope exacto monstruosa inter Papam et Regem occasione Ecclesiae Posnaniensis praefatae duravit contentio, amplius duratura, nisi Miroslaus Episcopus morte subtractus fuisset, sepulturam apud Mariam de populo sortitus. Quo obeunte Martinus Papa Stanislao Czolek Vicecancellario, de Posnaniensi Ecclesia ex morte Miroslai vacante, intercessionibus Regijs permotus et devictus, providit.

Semovitus Senior Mazoviae et Plocensis Dux gener Vladislai secundi Poloniae Regis, Princeps insignis, et quietiam Belzensem Ducatum pro dote cum Alexandra sorore germana praefati Vladislai Regis Poloniae iure perpetuo haereditandum, inscriptum ratione dotis per praefatum Vladislaum Regem susceperat, et Ducatum eundem Baronibus et militibus suis Mazoviae, adeo ut pauci illic Ruthenorum Proceres relinquerentur, impleverat, Sic annos aetatis circiter sexaginta explens, Sacramentis omnibus procuratus, contracta ex senio caecitate, in oppido suo Gostinin moritur, et in Ecclesia Plocensi maiori iusto honore in Choro sepelitur. Alexandra autem Relicta sua cum funus suum vestibus valde preciosis exornasset, et cingulo argenteo, et baltheo militari ac gladio caligis et ocreis et calcaribus deauratis amicisset, Stratum etiam illi et molle et preciosum in sepulchro et tecturam lecto imponens collocas-

set

sit, illiusque corpus suum, barbarorum magis, quam Catholicorum ritu condidisset, Stanislaus Pawlowski tunc Plocensis Episcopus non tulit hanc abominationem gentilium, sed cunctis a funeris officio discedentibus, et aurum, et argentum, et vestes, et lectisternia et caetera ornamenta e sepulchro deposuit, et in usus divinos et humanos convertit. Reliquit autem idem Dux Semovitus quatuor filios videlicet Alexandrum Episcopum Tridentinum, postea in Cardinalem Romanae Ecclesiae assumptum, Semovitum Rawensem, Wladislaum Plocensem, et Casimirum Belzensem Duces, mirae fortitudinis et elegantiae viros ex praefata Alexandra germana Wladislai Regis Poloniae susceptos. In quos, dives, multa prodigalitatis suae dona et decora effuderat, quae processu temporis fusca caligine obduxit, nemo enim illorum quamvis clara et splendida coniugia fuissent sortiti, successorem reliquit. Susceperat etiam ex eadem Alexandra consorte sua idem Dux Semovitus Masoviae Senior, quinque filias vari decoris, rarae forma, virgines, quarum prima natu maior Cumbarda nomine nupsit Arnesto Duci Austriae Seniori, ex qua natus est Fridericus tertius, qui Romani imperii gubernacula annis citra quadraginta tenuit, Altera Offka, quae caeteras forma antecedebat, nupsit Wenceslao Thesnensi Duci, tertia Cunka nupsit Boguslao Stolpensi Duci, quarta Ranna nupsit Michaeli Duci Lithuaniae nepoti Alexandri Witholdi germano et filio Sigismundi Magni Ducis Lithuaniae, quinta Anna in virginitate permanens usque ad mortem.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS SEPTIMUS

Natalicio

Natalicio Salvatoris apud Grodno, sequentibus vero diebus apud nemora venationi dando operam Vuladislaus Poloniae Rex exactis, ex Lithuania discedens, in Chelm pro diebus Carnisprivij advenit. Quibus absumptis in partes Russiae transijt, et Pascha Domini apud Premisliam celebravit, totusque stationibus usus apud Russiam aliquanto tempore consistit. Secunda autem die Martij filius Vuladislai Regis noviter susceptus Casimirus apud Cracoviam mortuus, et in Ecclesia Cracoviensi ante altare Sancti Erasmi sepultus, afflictionem Regi et consorti suae Sophiae Reginae attulerat, qui de illius excessu turbati, maerori plus quam sat erat indulgebant. Alexander autem Vuitoldus, Magnus Lithuaniae Dux, fecunditatem Sophiae Reginae, quae duobus filijs productis, etiam in eum annum uterum porrexerat, habens vehementer propter rumores qui ad illum deferebantur, et Vuladislai Regis decrepitam magis quam senilem, de qua apud illum inquiri solebat, aetatem suspectam, conventum secum pro die Exaltationis Sanctae Crucis agi apud oppidum Hrodlo Regem obtinuit, disseminatis vulgatisque rumoribus procul iturum, et famae Regis et Reginae consulturum, cum fama impudenter tam graviter laborare constaret.

Exaltationis Sanctae Crucis festo in diem Solis currente, Conventus in Hrodlio oppido supra fluvium Bug per Vuladislaum Poloniae Regem, qui Sophia Regina apud Medicam curiam dimissa illuc venerat, et Alexandrum Vuitoldum Lithuaniae Ducem habitus est. Ad quem cum tantummodo Consiliarij Poloniae privatim accersiti, et in sententias Regis ac Ducis assentire soliti, caeteris qui in diversis sententijs spectatae fidei et libertatis noscitabantur, ne impedimento forent exclusis, convenissent, Alexander Vuitoldus proposuit se ex certis relationibus et ausamentis pro comperto accepisse, Sophiam

Poloniae

Poloniae Reginam subdicitur laxatis habenis, nonnullis Poloniae militibus, per eum proprio nomine expressis, amore inordinato affectam esse, vererique, ne celeriter gliscenti malo occursum fuerit, eam pro sexus sui fragilitate, in peiora, Regem, Regnum et genus suum dedecorantia, praesertim cum aetas, forma, successus felices, ocium, rerum et ciborum abundantia occasiones subministrent, prolapsuram, castigandosque milites et Zophiam Reginam strictiori custodia, parco atque castigato usuram cibo, habendam. Eam rem ex affectune sinceritati, famae Regis et Regni providens, an Zophiam Reginam ludibrio et confusioni vulgaturi, dudum illi iratus, innodaturus, Vitoldus Dux censuerit, non satis poterat investigari, quam et mihi cui tardius contigit ingenium, pro vero, in partem alteram locare, non placuit. Assensum est et per Uladislaum Regem et Consiliarios praesentes Alexandri Ducis propositioni, sententiaque sua cum laudatione accepta, severissime decretum, ut et notati milites caperentur, et certae virgines, quarum contubernio Zophia Regina amplius utebatur, ex curia illius relegarentur, ipsaque Zophia in strictiori custodia haberetur, quam etiam sibi cum militibus suspectis Vitoldus Dux levi atque mobili ingenio deposcebat mitti, praecipiti et rapido consilio in omnes gravius, quam cuiusquam ferebat estimatio animadversurus. Huius Decreti executio illico posita est, et Hincza de Rogow, Petrus Kurowski, Laurentius Zaramba de Calinowa, Joannes Crasska, Joannes de Conyeczpolye, Petro et Dobeslao de Sczekoczyny germanis diffugientibus, capti, et in carceralibus vinculis notabili tempore habiti, Regina autem Zophia in suspitionem Uladislao Regi per Vitoldum Ducem adducta, ut sibi qui eius conditionem, naturamque, dum in curia sua versaretur, dudum probe perspectam habuerat. Virgines autem Sczukowske duae Catherina videlicet et Elisabeth a curia Zophiae Reginae abstractae, et ad Alexandrum Vitoldum Litthuaniam deductae, et perpetuum illic, viris acceptis, incolatum nactae, de scelere thori violati diligentius investigatae

gatae sunt, quaestiones nisi integram indicassent veritatem passurae. Quae dum suspitionem per secretorum confessionem tormentis expressam in Reginam et milites confirmassent, ad capitis damnationem singulos Alexander Vitoldus, ni Consiliarij aliqui Poloniae restitissent, deposcebat. Omnis siquidem Regia tam actio quam potestas, aut translata videbatur in Alexandrum Vitoldum, aut secum communicata propter virtutes et facultates plurimas, praecipue tamen propter bonitatem, liberalitatem, et animi magnitudinem, ad quas ipsum natura ipsa magnum et excelsum Principem effinxerat, Duxque ipse Vitoldus, quam proprius Rex Vladislaus Poloniis metulosior, quod et in ultionem pro transgressione subito exigendam foret pronior, et impetrandi quae vellet apud Regem dandique et auferendi potestatem geminatam apud illum magis, quam apud Regem videbant consistere. Tentaverat autem Hincza de Rogow, qui amplius de stupro insimulabatur effugere, qui in fuga comprehensus, dum se suspectiorem fecisset, in profundum squalidae turris apud Checiny trusus, parum abfuit, ut animam non exhalaret vinculis et faetore agitatam.

Conventione in Horodlo experta, Vladislaus Rex in terras Russiae redijt. Et Autumni tempore apud illas exacto, in Lithuaniae terras descendit, atque illic totam hyemem venationi dando operam absumpsit. Sophia autem Poloniae Regina de nota sibi et suo nomini ex captivitate militum, et relegatione virginum imposita, ultra quam credi potest, tristis et anxia, fletibus et lamentis vacans, querebatur se sinistre et per iniuriam infamatam. Ordinatione autem et iussu Vladislai Regis ex terris Russiae Cracoviam se contulit, et die Saturni penultima Novembris in vigilia Sancti

Andreae.

Andreæ Apostoli tertium filium a Sbigneo Cracouiensi
Episcopo die Solis vigesima prima Decembris, in festo videlicet
Sancti Thomæ Apostoli apud Ecclesiam Cracouiensem bapti
satum et Cazimirus vocatum effecit. Quemadmodum au
tem partus primi filij sui Vuladislai proprijs fuit optabilis et
gratissimus, forensibus vero et vicinis formidolosus et tre
mendus, ita ex contrario huius natiuitas, proprijs quidem
erat molesta et execrabilis, extraneis vero iocunda, et hila
ris, qui notam Reginæ et infanti iniustam fabulis et irri
sione prosequebantur. Ad quam abolendam Consiliarijs
suadentibus purgatio Sophiæ Reginæ met sexta manu indi
cta est. Quam Sbigneo Cracouiensi Episcopo, Cristino de
Ostrow Castellano, Joanne de Tarnow Palatino Cracouien,
et Nicolao de Michalow Palatino Sendomiriensi et Capi
taneo Cracouiensi assistentibus, per se et septem insigniо
res fæminas et matronas peregit, videlicet Catherinam
Nicolai Palatini Sendomiriensis consortem, Annam Sbi
gnei Marsalci Relictam, Cechnam Jacobi de Conyecz polye
Palatini Siradiensis, Hedwigim Joannis Glowacz Palati
ni Mazouiæ, Werchnam Nawogij de Mokrzsko Reli
ctas, et Helenam consortem Pauli de Bogumilowicze Judi
cis Cracouiensis, ac Helenam Kotska virginem Floriano
Parzenowskhi post modum desponsatam. Erat ea tem
pestate in Cracouiensi studio Magister Henricus gene
re Bohemus in Astronomica arte tum natura quam do
ctrina singulari præditus, Hic ad Reginam Sophiam
in primo, secundo et tertio puerperio intromissus, primoge
nitum Vuladislaum multorum Regnorum, Principatuum et
dominium nacturum, si fata illi æuum longius non inui
dissent, secundo genitum Casimirum genetricis suæ ferui
dissimum amatorem, sed æui breuissimi. Tertio genitum
Casimirum longioris quidem quam reliquos vitæ, sed pa
rum prospera fortuna; Sub cuius regimine Poloniæ Regnū
ad casus varios et ad interitum prope, nisi prouidentia
diuina illud conseruauerit, peruenturum, ex aspectibus
coeli

caeli cuiuslibet nativitati comproportionatis, astruxit, et sub infelicis auspicij sydere et conceptum et exortum nunciavit.

Joannes Pella Vladislaviensis Episcopus cum annos sex, menses quinque sedisset, die Lunae vicesima quarta Aprilis, alias feria secunda Paschae in Vladislaviensi civitate Paralisi tactus moritur, et in Vladislaviensi Ecclesia, sub una area in corpore Ecclesiae vicesima quinta Aprilis sepelitur. Post cuius mortem Capitulares, Vladislavis, electioni pro die Pentecostes, quod in ultimam Maij diem cadebat, instituta, Joannem Szafraniecz de Luczicze Decanum Cracoviensem, Regni Poloniae Cancellarium, natione Cracoviensem, genere nobilem, de domo et stirpe antiquorum equorum ex patre Petro Subdapifero Cracoviensi, et matre Hocsna genitum, petente Vladislao Poloniae Rege eligunt, qui eodem anno a Martino Papa quinto, Petro de Lamburga Licentiato in Decretis Archidiacono Cracoviensi et collectore Camerae Apostolicae sollicitante, fuit de eadem Ecclesia provisus.

Feria sexta ante Dominicam Cantate Bohemorum saevitia pravitate infidorum exercitus, Slesiam signis infestis ingressus, oppidum Lubin conquirens, multis Ecclesiasticis et saecularibus crudeli caede illic peremptis, altera die Oppidum Golperk exussit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS OCTAVUS.

Peradsis

Peractis Natalis Domini Vuladislaus Poloniæ Rex apud Vuilno diebus, et solitis perfunctus venationibus, in Regnū Poloniæ rediit, et pro diebus Carnisprivij in Jedlnam venit, Quò ad illum frequens Prælatorum et Baronum Poloniæ numerus confluxerat, cum quibus negotijs publicis Regni ordinatis et compositis ex Jedlna per loca solita sub diebus Quadragesimæ, in Nyepolomicze, deinde Borsnyam deuiniens, nonnullis Prælatis et Baronibus præsentibus de introitibus Zupparum ab Antonio de Florentia Italo rigidam exegit rationem. Ex Borsnya, prætervecta Cracouia ad partes Maioris Poloniæ diuertit, et Pascha Domini apud Calisz celebrans, omne æstatis tempus in partibus Maioris Poloniæ exegit

Slesiæ Principes magna formidine super bello, quod ipsis et eorum Ducatibus Bohemos Hæreticos de Vicleffistarum secta, eo nomine quod aduersum illos solatium Sigismundo Romanorum et Vngariæ Regi præstituri, arma sumpserant, propediem daturos rumores fama vulgauerat, acti, Summi Pontificis Martini quinti, et Sigismūdi Romanorum Regis præfati, defensionem et suffragia frequentibus literis et Nuntijs expetebant. Martinus itaq Papa onerosum sibi ratus, pro Slesitarum pace Nuntios ex vrbe mittere, Sbigneo Cracouiensi Episcopo scribit, quatenus sua interpositione bellum Bohemicum a Slesiæ Ducibus auertat. Et licet Sbigneus Cracouiensis Episcopus mandatis parendo Apostolicis contentus erat pro pace Slesiæ subire quoscunq labores et impensas, idq Conrado Vvratislauiensi Episcopo, cæterisq Slesiæ Principibus per literas speciales, spem optimam afferentes significauerit, Conradus tamen Vvratislauiensis Episcopus et Slesiæ Duces nihil pensi ponentes, in huiusmodi oblatione, respondebant se illa penitus non indigere, existimantes eam in Bohemorū magis fauorem, quam suum offerri. Electores enim et Principes Almaniæ Conuentu frequenti apud Nurembergam

celebrato

celebrato, Martini Papae sollicitati persuasione, expeditio
nem in Bohemos Haereticos, praesentiam Sigismundi Roma
norum et Ungariae Regis, quem in bellis praesertim contra
Bohemos susceptis parum fidum astruebant, perosi, quam il
lius praesentia clades transactas a Bohemis acceptas cau
sasset, indixerant, pro qua fortius fideliusque gerenda omnis
pene Germanus arma induerat, Slesiae quoque Duces ab Electori
bus accersiti in id bellum se accingebant. In Sane itaque spem
interpositionem pacis per Sbigneum Cracoviensem Episcopum
oblatam fastidiebant, ultima quoque necessitate Bohemos im
pulsos, pacem a se peti credebant. Sed et in Polonos age
bant probra, tunc demum Polonos pro Bohemis interpositio
nem facere astruentes, cum intelligerent illis finalis excidii
instare discrimen. Abductis itaque quietis consiliis parabant
se et suas gentes in arma, Electoribus Imperii subsidium
laturi. Electores autem Imperii iuxta constitutum tempus
gravi et multifario exercitu ex omni Almania congesto,
Henrico Cardinali Angliae Episcopo Vuintoniensi cum mille
Anglicorum arcubus illis ferente solatium personale, in
Bohemiam ire pergunt. Erat exercitus ingens vix ferendus,
non ad vincendum tantummodo sed ad evertendam
Bohemiam satis virium habere creditus, tripartito ordina
tus, Saxoniae Dux et quas vocant Stagnales Civitates
in primo militabant, Secundus ex Franconibus constitutus
Marchione Brandeburgensi Friderico illum ductitante,
tertium regebat Treverensis Archiepiscopus, in quo Ri
nenses, Bavari, et Civitates Suevorum ordines accepe
rant. Qui Bohemiam ingressus, igne et gladio oppida
et villas consumens, crudeli caede in quoslibet Bohemos
debacchabatur. Cinxit autem civitatem Tsachow obsidione,
quam fatigatam deditione accepit. Procopius tandem Bo
hemus, eorum qui post haeresim depravati fuerant, Dux,
et Budzyecz sortis ignotae et obscurae presbyter, Presbyterorum
ductor

ductor, propter notam tamen felicitatem, et disciplinae milita
ris peritiam, singula bella apud Bohemos Haereticos administrabat,
collecto quo fortiori valebant exercitu, in quo maior pars agrestium
fuerat, contra Electores et exercitum eorum prodeunt, Et nondum
ab oppido Thachow digressos offendere, decernere cum illis,
ne fuga diffidentia cresceret, quamprimum statuunt. Ignoto au
tem et occulto Dei iudicio, tumultu temere exorto, omnem Catho
licum exercitum in trepidationem egit, Omnisque ille Almanorum
et Anglicorum numerosus et fortis exercitus, ad aspectum dun
taxat venientium Bohemorum expavit, mentique consternatus
fugam pro praelio misit, ac omni quidem opulentia ditissima ca
stra, luxum magis quam bellicum apparatum ostentantia, prae
danda hosti dereliquit. Bohemi ingenti praeda atque victoria absque
ullo congressu potiti, fugientes nihilominus Almanos et Anglicos,
per Sylvam magnam, Bohemiam a Bavaria discriminantem, per
sequebantur, multosque mortales illic aut trucidarunt, aut capti
varunt. Fugientes plures quoque aegros et vulneratos ex Al
manis et Anglicis, qui apud Thachow curabantur miserabi
liter perimerunt. Veniebant et Saxoniae Principes cum notabili
exercitu Electoribus in subsidium, bombardis, et quadrigis cae
terisque armis et propugnaculis haud indecenter fulcti, dumque
finibus Bohemiae appropinquarent, omnium eorum quae Electori
bus acciderant ignari, cognita tandem Catholicorum, Almano
rum videlicet et Anglicorum turpi fuga, magno et ipsi occupa
ti tremore, certatim unus alterum praevenire contendens, qua
drigis et bombardis, quae celeritatem non capiebant, si subsi
qui iussis, in castra et munitiones suas sibi quisque consulens,
praecipiti festinatione ferebantur. Nondum Henricus Car
dinalis Vintoniensis in exercitum Almanorum advenerat,
quando fuga fieri coepta est, sed ad oppidum Tachow fugien
tibus occurrens, admiratus tot Ducum, tot fortium virorum
paucam foedamque fugam, magnis precibus ut redirent in
hostem omni ex parte debiliorem hortabatur, quod cum fru
stra niteretur, et ipse cum suis Anglicis turpis fugae comes

est

est effectus. Bohemi non solum castris et divitijs ingentibus,
sed et machinis quoque bellicis, quas Almani apud Thachow di-
miserant, potiti sunt. Exinde Misznam populati cum per Fran-
coniam redirent, ne Bambergensem agrum, Nurembergensemque
vastarent, pecunia placati divitem exercitum reduxere.

Pulso a finibus suis Bohemi Almanorum
et Anglicorum exercitu, felicitate successuum elati, ex state eadem
in Slesiae Principes irati, quod Electoribus imperij contra ipsos
subsidium ferre promiserant, consurgunt, et Slesiam ingressi, nul-
lo ex Principibus Slesiae resistere auso, ipsam crudeli caede et
incendio depopulantur, pluresque urbes munitas capiunt, oppida
vero et villas succendunt, in populum utriusque sexus nulli de-
ferendo conditioni ingentem stragem edunt. Tunc terror gran-
dis Principes Slesiae invasit, tunc pacem spretam sera paeniten-
tia ducti optabant, tunc non in commune sed pro se quisque con-
sulens, debiles munitiones et oppida, ne hostes illis potirentur,
demoliebantur, fortibus vero addebant munimen. Ceperant
autem Bohemi per expugnationem oppidum Nyempcze, quod
Petrus Polyak in tenutam ab eis accepit, unde multitudine
gentium civitati communita totam viciniam sibi fecit lon-
go tempore tributariam. Sed et omnia civitatis Wratysla-
wiensis suburbana redegit in tributum. Et licet viribus
aliquot Slesiae Duces et Cives Wratislawienses praedictum
oppidum Nyempcze obsidione cinxissent, et obsidionem ali-
quanto tempore continuassent, non poterat tamen illius ac-
quisitio, defensoribus probe resistentibus provenire. Capto
deinde Petro Polyak in congressu singulari per Wratysla-
wienses, deditio oppidi Nyempcze sperabatur. Quae cum
non responderet, gentibus Petri Polyak in Wratislawienses
grassantibus, pertinatia amplius, Wratislawienses salubri
usi consilio Petro Polyak soluto, et aliquot insuper millibus flo-
renorum eidem solutis, oppidum Nyempcze recuperarunt.
Et ne de caetero fieret hostibus in praesidium, muros illius tur-
resque demoliuntur. Ita Slesia, quae benignam visitationem

sui

sui Metropolitani Gnesnensis Archiepiscopi abnuerat, Bohemorum
magis rigidam et crudelem perferre coacta est, evasisset haereti-
cam crudelitatem, si Catholicam non renuisset. Vastatae sunt autem eo
bello, incensae, atque direptae insigniores Slesiae civitates, videlicet
maior Glogovia, Falkembarg, Czegenholcz, Vueyona, Patzkow,
Camyencz, Henrichow, Frankenstein, Brega, Opol, Lantsy, Neu-
markht, Heynow, Mongkna, insuper et loca sacra, tradita, et
diruta. Ante civitatem quoque Wratislaviensem haereticorum
exercitus constitit, et multis incommodis civitatem affligens,
eius quoque suburbia exussit.

Sigismundus Romanorum et Vngariae Rex
crebris Epistolis et Nuncijs Martini Papae quinti sollicita-
tus, ut velut advocatus Ecclesiae in Bohemos haereticos Eccle-
siam Dei pestifero dogmate et fideles Christianos armis infestan-
tes, consurgeret, et illorum vel reductioni vel exterminio solli-
citam operam daret, collecto ex Vngaris et Polonis exercitu
in Turcorum processit confinia. Illicque mansionem suam con-
sulto diebus pluribus continuavit, ut occupationem licitam
habere visus, minus carpi posset, quod Bohemis haereticis bel-
lum non intulisset. Ad expugnandum deinde castrum Golubcz
ad vada Danubij situm, quo Turci noviter fuerant potiti,
iter pergit. Despotus siquidem Rasciae pridem morte absumptus,
uni ex militibus suis Rascziano, Castrum praedictum Golu-
bcz commendaverat, moriturus, qui Sigismundum Regem
continenter precabatur ut sibi duodecim aureorum millia
per Despotum pro suis obsequijs et meritis inscripta exolveret,
et castri Golubcz ab eo susciperet resignationem. Quod
Rex Sigismundus licet ut sibi per Vngaros et Polonos magnope-
re suaderetur, facere detrectans, Rasczianum etiam militem re-
pulit, cum iniuria et indignatione, asserens inscriptionem debiti
falso finxisse, scripsisseque, et cum sigillum Despoti in eius ar-
bitrio foret, falso consignasse. Rasczianus itaque et repulsa et
ignominia irritatus ad Turcos defecit, et traditionem castri
Golubcz pactus, duodecim florenorum millia accepit, quod
Turcorum Caesar sibi vicissim commendavit, quodque Rascia-
nis

nus ipse ab oppugnatione Sigismundi Regis strenue defendit. Caesar interim Turcorum Omarat audiens castrum Golubetz sua iam dictione factum oppugnari, notabili facto exercitu, contra Sigismundum Regem processit, Cuius adventu Sigismundus Rex ab exploratoribus comperto, soluta obsidione potentiam Turci veritus, retrocessit, et Danubio superato in terram Transsilvanensem cum maiori exercitus parte se recepit. Remanserant exercitus sui copiae minores, quae propter paucitatem navium nequiverant traduci, Inter quos plures insignes militis e quibus Zawischius niger de Garbow Capitaneus Scepusiensis unus erat, Cui Sigismundus Rex, pro virtute et strenuitate singulari, quae illi in omni aevo inerat, curam gerens, cum exercitum Turcorum nosset velutis imminere, scapham mittit, iubens ut ea conscensa imminens periculum declinaret. Verum ille veterat honoris militaris curiosus, custos, atque observator, comites suos, quos in mortis faucibus esse videbat, desertum iri indignum ducens, periclitari cum illis delegit. Itaque propria salute neglecta, navem quoque ad traijciendum a Sigismundo Rege missa repulsa, arma induit fulgentia, et parvo equo conscenso, duobus tantummodo pedestribus stipatus, hasta vibrata, exercitui Turcorum obviam processit. Et illico a Turcis circumfusus, cum Rex aut princeps propter micantia arma et nigrae aquilae maiestatem, quam in vestitu militari arma circumdanti deferebat, pro insigni, crederetur, comprehensus est. Dumque captus, galea deposita, capite nudato Caesari Turcorum praesentandus duceretur, gravis inter duos Turcorum milites contentio, cuius esset captivus exorta est, utroque illum propter pondus Regiae Maiestatis, quod habere credebatur, sibi vendicante. Sed dum inferior potentiori non posset resistere, framea exerta caput Zawischio amputavit, indignum credo, iudicante Deo, ut miles Christianissimus in Turcorum haberetur potestate. Ita miles insignis sua aetatis temporibus nulli secundus occubuit, caput suum Caesari Turcorum delatum est, cadaver exanime armis spoliatum, Raseziani mandarunt sepul-

tura

tura. Plurimi quidem mortales in ea cecidere pugna, sed nemo nobilitate et Heroicis actibus Zawiszio nigro praestantior, non eo tantummodo praelio, quo captus occubuit, sed in omnibus praelijs miles celeberrimus atque fortissimus habitus, omne virtutis opus nullo inaemulato imitatus, cui sermonis inerat suavitas, lepor, et affabilitas, ita ut non solos virtuosos et nobiles, verum etiam barbaros sua comitate ad se pelliceret, diffusissimo virtutibus genere pollens, ut et in primis praelio strennuus foret, et consilio atque moderatione optimus miles. Pro suis Heroicis actibus non lingua solummodo tenui et arida, sed Homerica etiam laudarum dignissimus. Cui ad summam indolem etiam perita disciplina militaris accesserat, quam in varijs Regnis, dum illa militiae causa adibat, aut arte et ingenio, aut usu ceperat. Cuius virtutis in maiorem ut arbitror fulgorem, celebritatemque efferenda, occasionem fortuna praestitit, ut tali morti occubuisset quam interiret, cui vivere fuit miserum, mori beatum. Ad cuius felicitatis cumulum, etiam consors rarae virtutis Barbara, neptis germana Petri Visch Cracoviensis Episcopi accesserat, in filiorum prole faecunda. Quae marito amisso, semel induta lugubria nunquam exuit, cuius semel sumptum lamentum mors finiuit. Virtutis illius dum viveret, Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex saepe miratus, dicere solitus erat pro usurpato et velut vir industrius et in coniectura perspicacissimus, frequentius ingeminare probatis eius operibus et virtutibus, Multorum Regum e vita excessum, non tam clarum et vulgatum, quam Zawiszij nigri celebrem futurum, quod et rei comprobavit effectus. Nec eum opinio fefellit, nam et pro fide Christi alijs turpiter diffugientibus mori praemeruit, et morte sua apud universam Christianitatem famam vulgatam et sonoram occasu suo promeruit. Captus et tunc fuit Petrus Voda de Szczekociny miles de domo et familia Odrowansch, pluresque alij ex Polonis militibus, qui fugere atque turpe putabant. Clementia tamen Dei et Sigismundi Regis opera a captivitate redempti. Zawiszium nigrum militem velut quoddam insigne suum decus et ornamentum longo tempore deflebat

deflebat Polonia, quem posteritati imitandum commendatura tali illum atauosque suos ne vetustati obruerentur extulit Epigrammate.

Arma tua fulgent, sed non hic ossa quiescunt
Diua memoria miles O Zawisza niger
Alti quidem generis fueras sed altior actis
Mira virtutis honos patriaeque decusque
Non tuae virtutis cumulum, non merita laudis
Non magni animi scribere gesta paro
Non etenim exigua possent membrana teneri
Fama tuae laudis orbe celeberrima toto
Sed tibi quis fuerit finis, quo vulnere mortis
Cesseris et vitae, tenui plectro canam
Anno milleno quadringenteno viceno
Bis quater adiunctis fato seu flebili cunctis
Arma parari iubet in Teucros milite multo
Rex Sigismundus Romanorum Ungarusque
Dum castrum Golubecz in summo culmine situm
Montis, quem lauat praeceps Danubius vndis
Expugnare cupit viribus et maximis instat
Sed tandem Stygijs viribus fugatus et armis
Danubij validos pulsauit remige fluctus
Non te deseruit sed cedere nolle dicentem
Ammonuit, at tu honoris maxime custos
Turpe ratus crimen sine te si caesa fuisset
Pars comitum, quam tu mortis in faucibus esse
Videras, et nullam illis superesse salutem
Cum splendent campi furit Mauortia virtus
Pulueres insurgunt sonat mugitibus aether
Cum bellum ingens oritur quantumque cruoris
Profluit, cum totis sternuntur corpora campis
Dum te fulmineo vides animoque feroci
Inque tuis vidit auro fulgentibus armis

Turcar

Teucer ait, nusquam tendis Serenissima prolis
Quam atrox multis tenuit iam saeculis ortus
In cedem Phrygiae Herebi soluta catena
Jtem adigit nostris vel hostis viribus Arax
Cerno animum trucem cerno Vulcania arma
Quis sit ignoro in his Mavortius heros
Dum clypeo hastaque ferox sit furit in hostes
Innumeros casses spatarum pertulit ictus
Et loricae squammas telorum resonat imber
Occidis ergo tuis resupinus cadens in armis
Purpureum vomis spiritum cum sanguine mixtum
Heu tuos exangues inhumatis ossibus artus
Crudelibus feris rostris volucrumque trahendos
Fatum triste dedit praecisa corpore cervix
Et Caesareum fertur libato pulvere Teucero
Credo tuum patria non sufficit plangere casum
Cuius eras sydus quascunque versus ad oras
Dum tua magnifica et fortia gesta recordor
Impetus ardentum ~~ordus~~ ortus de pectore tristi
Defluit in vultus et fletibus ora rigantur
O qui totius Monarcha diceris orbis
Quis tibi tunc animus fuerat poteras ne videre
Caedi tuos milites te spectatore, tuisque
Grani suspirio casum flevisse tuorum
Terruerit fronte obposuisse manum, vos ne
Felices quos sors a morte redemit
Nescio o Milites dicam an verius illos
Qui ferro cecidere simul cum corpore poenas
Finivere suas vos longa pericula vexti
Inedia miseros praebetis ferro lacertis
Nec spes ulla vobis proprias videre penates
Mors magis optanda fuerat quam misera vita
Quae cruciat spiritum utinam in fide relinquat
O quos incolumes melior fortuna reduxit

Post

Post poenas varias post dira vincula ferri
Felices nimium vitijs iam arte solutis
Pro tanta gratia sacrificati Deo
Illius memores animae qui vina volestum
Ferre casus maluit quamvis tunc vivere posset
Ut Deus Omnipotens intactae virginis infans
Suscipiat spiritum pro suo sic nomine fusum
In poli patriam ubi lux et vita perennis

Fuit autem huius Epitaphij dictator Adam Swinka de Sorawcorum domo nobilis et Regius notarius Canonicus Cracoviensis, scribendi spiritu solertiaque peritus, plura editurus in ornamentum patriae opera, nisi illum mors immatura rapuisset.

Ex Maiori Polonia Vladislaus Poloniae Rex in terras Cracovienses reversus, dum festum Assumptionis Sanctae Mariae in Visliczia celebravit. Ex Vislicia vero in Sandomiriam processit, et dum Nativitatis Sanctae Mariae illic egit, Quo cum ad suam Serenitatem Fotinus Archiepiscopus Kyiowiensis natione et ritu Graecus, cum magnifico et splendido apparatu et familia, ad disponendum certa Ecclesiae suae negocia venisset, diebus pluribus honorifice habitus, et precijs altis muneribus donatus est. Ibi Duces Mazoviae, Semovitus, Casimirus, et Boleslaus, Vladislao Regi et Regno Poloniae in corona et ornamentis regijs in thalamo circa turrim castri Sandomiriensis praeparato, cum omnibus suis terris et vasallis fecerunt publicum fidelitatis et subiectionis omagium, vexillis tam suis quam suorum non sine lacrimarum imbre in conspectu Regis fractis, et in terram proiectis, praestito immediate fidelitatis corporali iuramento. Ex Sandomiria Rex in novam civitatem divertit.

Miroslaus Episcopus Posnaniensis Romae moritur, et in Ecclesia Sanctae Mariae de populo in parte dextra altaris maioris honorifica tumulatus est sepultura, post cuius mortem per Martinum Papam ad crebras

Regis

Regis petitionibus Stanislaus Czolek Regni Poloniae Vicecan-
cellarius de Posnaniensi Ecclesia provisus est, et a Sbigneo Craco-
uiensi Episcopo in Noua ciuitate Korczyn die Solis vigesima no-
na Augusti in praesentia Regis consecratus, Nobilis de domo
Taurorum Ex patre Stanislao milite de Ostraleka natione Sen-
domiriensis arte lectura naturaliter pollens
Ex noua ciuitate Rex in Sandomiriam, exinde in
Lublinenses et Russiae terras descendit. Et pro die Sancti Mar-
tini in Niepolomicze ex Russia aduenit, frequentemque Praela-
torum et Baronum Regni conuentum tenuit. Missae et tunc fue-
rant plures literae fere omnibus Praelatis et Baronibus Regni
insignioribus, per Sigismundum Romanorum et Vngariae Regem
in Niepolomicze allatae, in quibus quaeri de Vuladislao Rege
grauiter visus est, quod sibi in expeditionem contra Turcos con-
stituto, promissum subsidium non tulerit. Sed facilis fuit ad
Sane quaerelam responsio, quae etiam deinde fuit Sigismundo
Regi intimata. Miserat enim Vuladislaus Poloniae Rex anno
transacto promissum subsidium, quod usque in Danubium peruene-
rat, et tempore notabili eius aduentum expectans fatigatum
reuersum est. Sigismundus tamen Rex de Sar ista responsione
parum contentus, continuis quaerimoniis et literis Vuladislaum
Regem incusando carpebat. Propter quod Vuitsaudus Magnus
Dux Lithuaniae, cui etiam quaestus de re ipsa fuerat, conuen-
tionem mutuam agere et irritatum animum Sigismundi Regis
placida oblatione sopire, ne bella inter Regna consurgerent, mul-
tipliciter consuluit, et persuasit. Paritumque fuit suae persuasioni
nemine satis suspicari audente, persuasionem ipsam alicuius
prauae intentionis continere mixturam. Sed et Sigismundus
Romanorum et Vngariae Rex conuenire cum Vuitsaudo valde
exoptabat, eo respectu, quod summam rerum in eum versam
viderat, permotus, Ad omnes siquidem fere legationes, sed prae-
sertim ad eam, in qua de promisso subsidio Sigismundus Rex
quaerebatur, Vuladislaum Poloniae Regem respondere solitum
non posse aliquod certum dare responsum, fratre suo Vuitsaudo
non consulto, plurimum illi estimationis diminuens, Vuitsaudo
adiecit

advertit. Fertur enim in suo secreto consilio Sigismundus Rex ut erat vir industria et providentia plenus dixisse, Video, inquit, Vladislaum Regem Poloniae virum purum et simplicem esse, et omnes eius actiones ex arbitrio Vitholdi Ducis pendere, Vitholdus vero per me conciliandus est, ut illius authoritate et hunc conteram, et subiugum ducam, et quae velim perficiam. Regi deinde atque Vladislai Poloniae Regis amicitia et liga ad Ducem Vitholdum se totus convertit, et per plures Nuncios crebris in id tempus missos effecit, ut Duce Vitholdo operante et practicante, conventio in Luczko pro die Epiphaniae constitueretur, ad quam ambo Reges et Dux Vitholdus convenirent. Ex Nyepolomicze Vladislaus Rex per solita loca in Lithuaniam divertit, et illic omne tempus ante festum Natalis Christi absumens, Conventionem Luczensem pro die Epiphaniae, Ducis tantummodo Vitholdi sequutus consilia parum caute agi consensit. Et Praelatis et Baronibus suis Poloniae, consensum et conclusionem praefatae Conventionis Luczensis significans mandavit, ut ad praefatam Conventionem venire tempestive se disponerent.

Ianussius Dux Masoviae die nonis Novembris moritur et in Ecclesia Collegiata Varsoviensi, quam ipsemet ex Parochiali in Collegiatam erexerat et certis proventibus dotando insignierat, sepelitur. Homo inter suae aetatis Principes sapientissimus et insignis, qui iusta fari unde iudicia terram suam in optimam reduxerat culturam, Adeo in gubernatione terrae suae modestus, ut speculum caeterorum nominaretur et exemplar.

Marchio Misnensis Fridericus, congregato notabili ex suis gentibus et alijs nationibus exercitu, venit contra Bohemiam, expeditionem in Bohemos haereticos, civitatem suae ditionis et dominij Brux, in Bohemico Most, gravi obsidione prementes, moveret, satagens triumphalem gloriam et bravium in conspectu Dei et hominum pluribus Almaniae Principibus negatum, sibi adscribere. Audientes autem Bohemi Marchionem advenire, campum contra illum instaurant, et

lent

licet in parvo numero et robore exercitus sibi occurrerent, commit-
titur tamen grave prælium inter utrosq., et ambigua stante pugna
per horas plures cadebant hinc inde interfectorum vel vulnerato-
rum frequentia cadavera. Certabant Misznenses et Almani tum
pro vita, tum pro gloria, et non modo pares sed superiores Bo-
hemis esse cæperant, licet æstus maximus et fervor solis intensus,
Misznensibus qui gravem armaturam ferebant, adversaretur,
Bohemis qui leviter armati erant, faveret. Jamq. Bohemi, Mi-
snensibus animose prælium prosequentibus, victoriam tra-
dere, et ex curribus fugere cæperant, et Misznenses se iam
certam obtinuisse victoriam extimabant, cum subito Dux Si-
gismundus Koributh Litthuanus cum Polonis adveniens,
Bohemis laborantibus et deficientibus subvenit, et Misznen-
ses de victoria exultantes perdomuit et compressit, dimicatio-
neq. reintegrata, in fugam vertit. Cæsa tunc fuere Misznen-
sium multa millia, cum fere per diem integram prælium il-
lud atrox ancipiti eventu durasset. Tunc quoq. omnis Al-
manorum vigor, virtus, et gloria confracta est, nec ex post
ut ante tam fervore et multiplicato Marte inter Bohemos et
Almanos constat pugnatum. Unde quoq. Almanis Bo-
hemos invadendi animus ablatus, terrorq. et metus incussus,
Bohemis e contrario animus et voluntas stimulatior priore
accessit.

Dux Magnus Litthuaniæ Alexan-
der Vitoldus intelligens Nowogrodenses Ruthenos di-
vitijs et thesauris abundare innumeris, sciensq. illos pacifi-
cos et imbelles, velut tantummodo crapulæ luxibus et ventri
operam dare solitos, bellum ipsis indixit, et expeditionem
notabilem et sumptuosam contra illos movit. Causam qui-
dem belli in occasionem et colorem quasi sibi et suis dominijs
in limitibus iniuriam irrogassent, sumens, re autem vera
ut gloriam sui nominis diffunderet, et præfatos Nowogro-
denses, qui per se communitatem faciunt amplissimam, nulli
Regi aut Principi deditos sibi subiugaret. Non illum sumptuum
aut impensarum magnitudo, non belli varius eventus, non

prolixitas

prolixitas, non difficultas itineris, nec aetas per se decrepita
a proposito revocarunt, sed collectis ex Polonis, quos ad id bellum
per literas et Nuncios singulariter acciverat, item ex Lithua-
nis et Ruthenis grandi exercitu, contra Nowogrodenses pro-
cessit, processum suum et iter, Nowogrodensibus magis irriden-
tibus, superbaque contemnentibus responsione. Sita enim est
Nowogrod in locis bassis et paludinosis, quam ab omni parte
lacus et stagna paludesque cingunt, et muniunt, nec possibili-
rebantur Nowogrodenses aestatis tempore exercitum sylvas,
lacus, et paludes, vix ipsis avibus et feris accessibiles,
posse transire, et in Nowogrod penetrare, cum Mercatoribus
ad illa loca non sit alio tempore nisi hyemis valida aquas
constringente accessus, unde et irridendo dicebant, pro ad-
ventu Vitholdi in coquendo et praeparando medone se
interim quo veniret operam daturos. Verum quia nihil
virtuti est difficile, nihil invium, et quo magis arduus
labor eo solet esse splendidior et gloriosior, dum itaque Dux
Vitholdus ad sylvam magnam vocatam Czarnylasz
unius diei iter habentem pervenisset, haec etsi lubrica et plena
difficultatibus esset, nihil tamen Ducem, obluctari difficul-
tatibus solitum, terruit, sed tali ordine illam meabilem ef-
fecit. Dispositis enim et ordinatis decem millibus hominum
pedestribus, secures duntaxat illos ferre, et per universam
sylvam lignis stratum facere iussit, hos sequi exercitum Polo-
norum armatum mandavit, ut illos in labore occupatos,
a qualibet invasione tutarentur. Quantumcunque ergo spatii
pedestres lignis sternebant, tantum Polonorum exercitus
lento passu supergrediebatur, reliquo exercitu subsequente.
Pontium congeriis in plura milliaria sine mora extructa,
sylvis in circuitu itineris et operariis frequentibus rele-
vandi muneris facultatem praebentibus. In hunc modum
omnis sylva illa difficilis et lubrica primum constrata,
deinde superata est, et in Solis occasu exercitus omnis in
loca arida traductus, ibique castra metatus. Deinde motis
castris

castris appropinquare Nowogrod caepit, et usque ad Castrum Oppo
czha, quod solum quatuordecim milliaribus a Nowogrod distabat,
pervenit, Illudque incontinenti quoniam de dominio Nowogro
densi erat, obsidione dura vallavit, sperans illud posse aut ex
pugnari aut fame ad deditionem compelli, erant enim hominum
tria millia et totidem equorum in castro praefato pro defensione
illius dudum ordinata. Quatiebantur ergo iussu Ducis muri
castri bombardis, machinis, et ligneis tormentis, sed et omnis
exercitus armatus, unum diem impetum militarem faciendo
pro eius acquisitione absumpserat. Nec conquisitio illius du
ra videbatur propter defendentium inexperientiam et pusillani
mitatem. Territi sunt Nowogrodenses duplici metu tum ad
ventu Vitholdi quem non speraverant, tum castri sui Oporzha
obsidione, maiora quoque mala sibi evenire augurabantur. Itaque
pacem petere satius quam resistere rati, petitis et obten
tis induciis, Episcopum et quatuordecim seniores Nowogro
denses ad Ducem Vitholdum circa obsidionem castri Oporzha
intentum destinant. Dux autem Vitholdus sentiens il
lorum adventum, locato throno, tectus a solis ardore um
braculo purpureo, in illo consedit, exercitu induto armis in
duas partes ordinato, sibi in longum assistente, et terrorem in
gerente illos excepit. Legati per medias acies immissi, viso
Duce Vitholdo prostrati in terram cadunt, victoremque illum
et dominum profitentur, et frontibus usque in terram tangunt.
Deinde erecti nomine suo et omnium Nowogrodensium orant,
ut arma deponat, bellum restringat, populari agros illorum
desistat, velle se terminis esse contentos astruunt, quoscunque
illos constituerit, simul et dona magnifica daturos. Mollitur
Dux Vitholdus eorum precibus et verbis, nec tantam hu
militatem contemnendam putat, Exoratur insuper precibus
suorum Ruthenorum, qui pro gentis unius ritus, morum, et
linguae sollicite precabantur, bellicosum ut animum deponat,
Habitisque cum Episcopo et quatuordecim senioribus Nowo
grodensibus mutuis tractatibus, correptis illis longo et ho
nesto sermone, cessare se ab illorum invasione repromittit,

si

si sedecim millia rublorum argenti non signati, omnes homines et equos in castro Opporzha consistentes, schubas quinquaginta schebellinas, et totidem de omni pellium genere, trecentas purpuras sibi tradant. Non facta aliqua resistentia aut difficultate promittunt se postulata facturos, et post triduum omnia ante pedes Ducis adferunt. Quibus habitis Dux Vuitholdus bellum et obsidionem solvit, et ab illo loco incolumi sanoque exercitu in Lithuaniam rediit, pluribus facilitatem suam in damna pace improbantibus, quod civitatem opulentissimam, ad cuius iam moenia excursores sui saepe perveniebant, non comprehendit. Sed Duci Vuitholdo alius sensus inerat, sciebat enim capta civitate gazam eius non ad ipsum sed ad quemque cuilibet obscurae sortis perventuram, itaque oblata maluit stante civitate suscipere, quam illa conquisita spolia illius ad vulgum pervenire. Memorandum regimen et ordinem traditur ipse Dux Vuitholdus in hac expeditione habuisse; constrinxerat enim omnem exercitum sua lege et imperio, ne sine suo consensu aut licentia quisquam frumentatum, aut ad quaerendum victualia iret, ut sic et incolarum et amicorum subditorumque fortunae tutae forent. Si qui autem huiusmodi praecepti reperiebantur transgressores, illico inspectante universo exercitu in patibulum latum et extentum per quod altera die castris motis exercitus omnis ire, et suspensos videre cogebatur, agebantur, talique spectaculo unusquisque servare ordines et continere manus, et animum ab omni scelere et raptu studebat. Quae autem erant ad victum, tum hominibus, tum equis necessaria, Dux ipse sua facultate et industria abunde providebat. Licet insuper octuagesimum annum iam tunc supergressus, per omne tamen tempus illius expeditionis, neque curru, neque lectica usus est, sed continue in equis obequitabat. Tantae tamen strenuitati sua et industria habebat aliquid reprehensionis admixtum, nam ex omnibus expeditionibus, quas sine aliis sub suis egit auspiciis, mora fuit saltuosus et impatiens, stimulantibus

stimulantibus eum ad reditum domesticis oblectationibus, propter quod bello confecto, aut pervincendas suspenso, ex ipsis statim quibus bellum interceptum est, equis assumptis, quos ad id habebat praeparatos, quanto velociori poterat cursu ad uxorem regrediebatur, omni exercitu sub ductu aliorum derelicto. Quod et tunc quidem non intermisit, sed rapaci cursu reversus, donativa, quae militibus et praesertim Polonis largiturus erat, congerebat, non enim alterius nationis nisi Polonicae homines per omne tempus aetatis suae visus est in honore amplissimo et reverentia habuisse, unde et equos illorum meliores in expeditione procedens relinquebat in curiis suis pabulandos, et si quando deficiebant eis equi, illius provisione et largitione sua alii in locum deficientium administrabantur. Postquam vero exercitus omnis in Lithuaniam ex hac expeditione rediit, in oppido Nowogrodek infra dies aliquot milites pro merito laudatos donavit, ac in propria remisit. Erant autem Principes hi et Barones qui cum Vitoldo in huiusmodi bello militabant, Boleslaus Swidrigal Wladislai Poloniae Regis, Sigismundus Starodubensis Alexandri Vitoldi, germani, Casimirus Mazoviae, Alexander Wladimiri, Georgius Langwinowicz Lithuaniae Duces, Vincentius de Szamotuly Castellanus Miedzyrzecensis, totius exercitus Vitoldi, et vexilli Sancti Georgii Ductor, Jacobus de Cobylany, Joannes de Czissow, Mszczuius de Skrzyn, Nicolaus Sbigniei de Brzesze, Dzyk de Kadlub, Matthias de Vsczu, Joannes de Szczekoczini, Joannes Lyopatha de Kalinowa, Jacobus Przelora de Morawia, Nicolaus Szepyenski, et alii quamplurimi. Quassasset autem Vitoldus Nowogrodenses, fortiusque illos et perdomuisset, et mulctasset, sed respectus Dietae cum Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege in Luczsko agendae redire illum rebus immature perfectis ex bello compulit.

Wladislaus Poloniae Rex cogitans et desiderans novae civitati suae Nyeschowa incrementum adiicere, Ecclesiam Collegiatam Sancti Viti in Cruswiciensi castro sitam, de consensu Joannis Szafraniecz Episcopi Wladislaviensis

dislaviensis in Nieszowam transfert, et certis aliis introitibus regali munificentia adiunctis Ecclesiam Collegiatam sub titulo Sanctae Mariae in Nieszowa constituit, creat, et fundat. Sed brevissculo tempore illa constitit, propter subortas inter Regnum Poloniae et Cruciferos guerras, per quorum continuationem oppido Nieszowensi hostili incendio cremato, Ecclesia quoque Collegiata absumpta, et in Crusuicensi castrū reddita est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS VICESIMUS NONUS.

Conventio Luczensis

Natali Domini anni huius in Grodno Vladislaus Poloniae Rex celebrato ex Litthuania proficiscit, et per loca solita in Luczko pro die Epiphaniae ad tenendam conventionem cum Sigismundo Romanorum et Ungariae Rege venit, ignarus et incertus, ad quam infestam et periculosam, omni saginandam dolo et versutia Dietam properaret, ubique et Ducem Vithaudum Litthuaniae, qui suam Serenitatem praecesserat, et Praelatos, Principes, Barones, Nobiles, Poloniae, Russiae et Litthuaniae terrarum, in grandi numero reperit congregatos. Ad hanc Dietam Sigismundus Rex Romanorum tardiusculo venit, praemisit tamen Nuncium, qui suum tardum excusaret adventum. Vladislaus itaque Rex ne incassum tempus in Luczsko stando consumeret, ad propinquas venationes inter Luczsham et Zithomirz sitas, ex Luczko divertit, illic quoque diebus aliquot immoratus est, donec sensit Sigismundum Romanorum Regem Luczham advenisse. Erat eiusdem intervallum sex duntaxat hebdomadis stringebatur, et ideo Sigismundus Romanorum Rex non nisi die Dominicae Septuagesimae cum sua consorte Barbara, Praelatis, Principibus, et Baronibus Ungariae et Bohemiae advenit. Cui primum Dux Vithaudus cum suorum caterva ad unum milliare occurrerunt, et eo excepto Vladislaus

dislaus

dislaus Poloniae Rex in vehiculum, quo Barbara Regina Roma
norum vehebatur, ascendit, et Luczko intravit. Duce denique Vui
thaudo praecedente Sigismundus Romanorum Rex in equo, habens
in uno latere Sbigneum Episcopum Cracoviensem, ibat, tubis et va
rijs instrumentis musicis clangore canentibus immenso, Completi
erant campi turbis catervisque hominum, pressus erat vir viro,
equus equo, unusquisque certabat splendore vestium, ornamen
torum, equorum, et insignium, alium vincere. Nec inter Reges
ipsos et Ducem Vuithaudum minor erat aemulatio, quilibet
conabatur illic suam potentiam, magnificentiam, et maiestatem
demonstrare, et supra alium multitudine militum, splendore
vestium, et insignium, alijsque multis rebus decoris alterum su
perare. Conventionem tam magnificam et tam Illustrium
trium Principum aetas longa neque vidit, neque visura est, ut pote
quod illa tempestate, omnes Reges et Principes mundi, fama,
divitijs, pompa, gloria belli anteibant. Non arduum tamen
neque difficile erat dignoscere, quis eorum, gentibus et gloria
maior esset. Si enim verum ingenue fatendum est, circum
scriptis omni livore, invidia, et assentatione, Vuladislaus Rex
Poloniae tum Praelatorum et Principum, tum militum splendi
dissimo apparatu, tum multitudine nobilium, tam Sigismun
dum Romanorum Regem quam Ducem Vuithaudum adeo
vincebat, ut in comparatione, et praesertim dum Reges convenire
contingebat, tam Ungari quam Lithuani a multitudine Po
lonorum absorberentur. Flumine Stir transgresso Pro
cessiones civitatis occurrerunt, et primum Catholicus Epi
scopus Armenus, cum suis, deinde Ruthenus cum suis, Ar
menus cum suis, Hebreus cum suis Regem Romanorum
exceperunt. Qui duntaxat Catholico Episcopo honorem
deferendo, equo descendens, sacras reliquias est veneratus,
aliarum Sectarum et rituum Processionibus, quemadmo
dum par et iustum erat neglectis. Reges Luczsko ingres
sos Dux Vuithaudus coena splendida excepit et opipare
tractat, vasis aureis et argenteis in maximo numero ex
positis in gloriam suam et ostentationem

Sequentibus

Sequentibus diebus consilia tenta sunt, Consi
lium Regis Romanorum secretam stubam habebat, Consilium
Regis Poloniae alteram, Consilium Alexandri Litthuaniae ter
tium, et unusquisque Princeps suis praesidebat consulendo suae parti.
Romanorum Rex Sigismundus missis certis Praelatis et Ba
ronibus suis ad Vladislaum Regem Poloniae, requirit Vla
dislaum Regem, ut iuxta inscriptiones et foedera, quas tunc
originaliter exhibebat, secum percussa, et iuramento firmata,
expeditionem contra Moldaviam in aestate ventura una
secum faciat, et expulsis inde Principibus terram ipsam
iuxta ordinationem in inscriptionibus contentam parti
antur et dividant. Legati etsi pro persuadendo plures
allegassent causas et respectus, erant tamen ex omnibus
haec insigniores, quod Valachica gens una cum Praefectis
seu Voyewodis suis nimium fida, et universis commu
nis hostis sit, furto et spolio solita vivere, et quod in
terra fertili et omnibus rebus abundanti, sedes, veteri
bus colonis et iustis dominis exclusis, posuisset, et quod
ipsi Sigismundo Regi expeditionem contra Turcos facienti
gentes pro subsidio mittere denegasset. Huic petitioni per
Vladislaum Regem responsum est, Non esse aequum Va
lachos in religione Christiana constitutos, et plenam sibi et
Regno suo Poloniae obedientiam et subiectionem praestan
tes, invadi, et non extante causa legitima exterminari, cum
haec esset feritas barbarica in subditorum viscera ver
tere gladium, quorum etsi aliqui furto et spoliis vivant,
id tamen non potest in universos retorqueri. Quod vero
contra Turcos subsidium non tulerint, culpari non meren
tur, cum mandato Regio in anno et die promisso, exercitui
regio iuncti, usque ad Danubium venerint, et prope duobus
mensibus immorati redire coacti. Culpandus potius est
Sigismundus Rex qui ad praefinitam diem non venit, cum
res sua ageretur. His et aliis responsionibus per dies ali
quot instantia Sigismundi Regis in occupationem et divisio
nem

nem terrae Valachiae plurimum aestuanti, in praesentia nota
bilium Baronum de Valachia, qui constantiam et fidem
Vladislai Regis Poloniae et suorum in illo tempore erga se ex
perti sunt. Et licet in hac concertatione aliquot dierum ab
sumptum tempus fuerit, perseverantia tamen Vladislai Re
gis in proposito, cedere Sigismundum Regem ex sententia,
et alia periculosiora Regno et Regi Poloniae molliri coegit.
Congregatis deinde Regibus ambobus, et Duce Vitoldo
et eorum Consiliarijs Sigismundus Rex ita orsus est. Sol
licito, inquit, Summum Pontificem, et Concilium pro reductio
ne Bohemorum et reformatione Ecclesiae fiat, iturus ad
illud si consenserit, si dissenserit, authoritate mea illud con
gregaturus. Nec reductioni Graecorum intendere expedit,
cum unam fidem nobiscum profiteantur, barbis duntaxat
et uxoribus a nobis secreti sunt, ut tamen illis vicio
non est, una enim uxore, Graecorum Presbyteri contenti sunt,
Latini decem et amplius tenent. Scandalisavit hic sermo
Ruthenos populos ritu viventes Graecorum et in suis con
firmavit erroribus, propterquod Regem Sigismundum
sanctum vocabat, deducentem fidem Graecorum esse praestan
tiorem quam Latinorum. Erat in ore omnium ac sermone
Ruthenorum Sigismundus Rex summis laudibus illum
efferentium, quod Graecorum ritum propensiorem quam Ro
manum indicasset. Cum denique Franciam, Angliam, Alma
niam, Italiam, Bohemiam, Ungariam, et totius pene occi
dentis partis seditionibus et bellis implicasset, asperrimis,
felicitati etiam Polonorum et quieti invidens, Regnumque ip
sum Poloniae magna virtute crescere, et amaenitate pacis
florere dolens, invidiae motus stimulis atrox incanduit.
Et quia armorum suorum fragore illud turbare non valuit,
callida quotidie meditabatur et exquirebat consilia, quatenus Re
gnum praefatum bellis involveret civilibus et clandestinis,
et propterea conventionem ipsam Lucensem agi obtinuit Duci
Alexandro Vitoldo ut se in Regem Lithuaniae creari permit
teret suasurus, graveque et periculosum malum dudum illi ante

annos

annos viginti ingestum, et a melioribus tunc consilijs superatum, rursum efferre, et Regni cupidinem illi suggerere capit, illo corona novo et excogitato ludibrio duos fratres, duosque populos, dissidio plusquam mortali morbo, vexaturus, et tam fratrum quam populorum dissoluturus glutinum. Non ut profectum honoris sui, et patriae Litthuanorum statum clariorem redderet, sed ut suavi venenum illi et pluribus alijs mortiferum submellita dulcedine commiscaret, scissoque Regno Poloniae Russiam et Lituaniam ad caedes et bella pertraheret.

Suggerit itaque Sigismundus Romanorum et Ungariae Rex, et blandis ac facundis persuadet alloquijs Vuithaudo Duci Magno Litthuaniae, quem et omnes suos Principes, et Boyaros etiam conditionis tenuis et infimae, altis et preciosis muneribus, in auro, argento, vasis celatis, equis, pannis, auro et murice superbis, quorum portitores duplici ordine longo spacio erant extensi, et per horas aliquot in publico pro quadam ostentatione stabant, honoraverat, et in favorem suum contraxerat, Ut cum sit Princeps excellentiae et famae immensae, et plura magnifice in partibus Orientis gesserit, habeatque latum et amplum dominiorum suorum ambitum, pluribus etiam Regibus sufficientem, statum et nomen suum erigi atque attolli aequo animo ferat, pariaturque se Regum aggregari numero, quibus, divitijs, fama et honore inferior non erat, et novo Diademati sumpto Litthuaniae terras in novum Regnum creari. Callidissimo et plusquam vafro id agens ingenio, distracturus Vuithaudum a societate et amicitia Regis et Regni Poloniae, quod hactenus omni tempore et loco munifice adiuverat.

Facilem dat Dux Vuithaudus suae persuasioni consensum, attento quod res ipsa famam suam amplius diffunderet, cuius ipse velut Princeps alti pectoris avidissimus erat. Unum tamen sibi et suae suae futurae sublimationi asserit interponi obstaculum, quod non liceat sibi, consensu Vuladislai Regis fratris sui non petito, aut obtento, a quo terras Litthuaniae re

gendas

gentes susceperat, et quae Regno Poloniae etiam eo approban
te, et laudante, unitae erant, in coronationem et novi Regni ere
ctionem anhelare aut consentire. Cui Sigismundus Rex, Haec
est, inquit, modica difficultas, quam ego quoque, quiete ad id in
citam, solvere repromitto. Suscepto itaque negotio, idoneo explorato
tempore uno dierum mane Sigismundus Rex conthorali sua
Regina Barbara, quo facilior sua sit persuasio, assumpta, cubile
Vuladyslai Regis, in quo ipse adhuc lecto quiescens iacebat in
greditur, et omnibus Secretariis exclusis tali illum alloqui
tur sermone. Cernisne inquit charissime frater, quod et ego
et tu Regio Diademate decori et fulgidi sumus, indignum val
de et arduum est, Ducem Alexandrum Vuitoldum, commu
nem nostrum fratrem sine Regio splendore esse. Quod tibi con
sensum tuum, velis, et facere, atque permitte, ut tam mihi quam
tibi per me, qui nunc hanc potestatem velut Romanorum Rex
habeo, creatus in novum Regem par fiat, nec solum caput suum,
sed et patriam tuam Litthuaniam tantis decoris admitte or
nari. Ad haec Vuladislaus Poloniae Rex, Faveo, inquit,
charissime frater Duci Vuitoldo Alexandro fratri meo di
omni amplitudine et honore, nec regali solummodo sed et Impe
riali illum dignor Dyademate; Contentus etiam de Regno Po
loniae sibi cedere, et illius Dyadema in illum conferre. Non
licet tamen mihi in rem tam arduam consentire, nisi Praelato
rum et Baronum meorum ad id accesserit consilium, et consensus,
referre me rem ad consilium oportet. Tum Sigismundus Rex,
Stolida, inquit, res esset Dyademate tibi detracto illum ornare,
sed sine ut uterque vestrum Regio nomine clarus sit, consilium
vero tuorum Praelatorum et Baronum requirere in hac re su
pervacuum est, cum unicus tuus sufficiat consensus. Vula
dislaus Rex huiusmodi captus sermonibus, cum esset suapte
in patria sua Litthuania amplitudinem proclivus, dicitur
tunc clandestinum consensum improvise dedisse, vel saltim
ut fieret, quod petebatur, neque restitisse, neque abnuisse. Dux
Magnus Vuitoldus ubi ex Sigismundo Rege certior fit

Regem

Regem Vladislaum Poloniae in suam coronationem annuisse, cupiditate honoris et Regni et ipsi suapte natura ardens, et a Sigismundo Romanorum Rege cuttrisque amicis, ab ipso quoque Poloniae Rege Vladislao parum sua et Regni sui incommoda mirante, incenbus, animum appulit, Et rem ipsam absque cunctatione accelerandam ratus, ad residuum obstaculum submovendum, Nicolaum Sepyenski familiarem farimbum Secretarium suum Polonum de domo et familia Lebima, ad Praelatos et Barones mittit. Is lorum Consilij ingressus nomine Ducis Vuithaudi verba facit. Stringit, inquit, Dominum meum Ducem Vuithaudum Dominus Sigismundus Romanorum Rex prece persuasione, et consilio, ut se Regem ex Duce, et ex Lithuania Regnum creari sinat, et Vladislaus Rex Poloniae creationi ipsi dedit consensum. Ad vos tamen rem detulit, non audens Sumsisse honoris, deliberare placeat, et vestrum praebere consensum. Nondum verba Sepyenski finierat, et Dux Vuithaudus consilium cum Praelatis suis et Boyaris ingreditur, existimans facilius Praelatorum et Baronum Poloniae animos verberatos sua praesentia ad consensum frangi, et nullam veni tentiam opponi. Resumit proprio organo verba eadem, quae Legatus suus Sepyenski retulerat, precatur ut sibi de honore regio faveant, cum certum sit tam Sigismundum Romanorum et Ungariae, quam Vladislaum Poloniae Reges sibi de illo favere, Neque petitione facta egreditur, sed sententiam singulorum requirit audire, quisnam quid quisque de illo et hac materia sentiat. Albertus Jastrzembiecz Gnesnensis Archiepiscopus, cum prior loco esset et prior sententiam suam dicere consensu omnium iuberetur, verbis longis factis, nihil certi aut differunt aut determinavit, sed rem in ambiguo reliquit. Qui postquam finem dicendi fecit, Sbigneus Episcopus Cracoviensis illi proximus, rogatus in hanc sententiam verba habuit. Egebat res hac Serenissime Princeps per te proposita deliberatione longiori, cum

adeo

adeo gravida et ardua sit, ut pene innumerabiles no
dos secum trahat. Nunquam huiusmodi nouum nobis de
nunciatum fuerat, nunquam sermo similis aures nostras com
pleuerat, difficile quoque sit super re tam grauissima repentinum
consilium depromere. Admiratione tamen vehementi, repeten
do superiora tempora postulationem tuam Serenissime Dux do
loreque et commiseratione prosequimur. Ea enim conditione, ea lege
frater tuus Dominus noster Vladislaus Poloniae Rex in Re
gem Poloniae fuit susceptus, Domina nobilissima Hedvigi, cui neque
in forma, neque in genere, neque in diuitijs altera poterat tunc aequari,
sibi in matrimonium copulata, alijs Catholicis Principibus, qui
terras suas Regno Poloniae perpetuo subijcere, et incorporare
offerebant, neglectis, si terrae Litthuaniae fidem Catholicam
susciperent, et perpetuo una cum terris Russiae Regno Poloniae
et unirentur et subijcerentur, de quo et ipsius Vladislai
Regis, et tuae aliorumque Ducum Litthuaniae seruantur obliga
tiones et literae, quae etiam ante annos aliquot innouatae sunt,
et ex consilio Sigismundi Regis, quo solidiora essent nostra foe
dera, arma, nobilitasque cum Litthuanis permixta, quae nunc
ipse Sigismundus Rex dirumpere, et stridorem bellorum indu
cere conatur. Quaenam [illegible] erit ista vafra collusio, ut cum
nos seruauerimus et seruemus omnia promissa, frater tuus
Vladislaus Rex etiam Regina Hedwigi mortua teneatur
pro Rege, filiosque ex Sophia Regina Litthuana in spem Regni
nostri genitos susceperit, qui eo assumpto in Regnum sunt suc
cessuri, tu et Vladislaus Rex a Regno Poloniae nitimini
terras illi perpetuo unitas abstrahere, et corpus Regni nostri
monstruosa diuisione partiri. Satis igitur dolemus nos fide
liter agentes circumueniri, qui per alios Principes, quibus fra
trem tuum praetulimus, omisimus amplioribus terris Re
gnum nostrum et augeri et ornari. Unum nos in his solatur
doloribus, quod in susceptione fratris tui Vladislai Regis, fi
dei sanctae ampliationem et salutem animarum intendebamus,
non diuitias aut opes quas Litthuania nunquam habuit, nec
potentiam, cum fuerit Litthuania a vicinis Principibus et natio
nibus

nibus tunc calcata, et penè eversa, et deleta. Qua intentio optima, vinceremus, et domare hostes nostros Cruciferos, etiam plenissimam de illis reportare victoriam contigisset. Illi etiam hactenus velut solidissimo fundamento innitimur, sperantes quod Deus Optimus consilium tuum aut mutabit aut dissolvet, nec tam horrendum vulnus, quod Poloniae Regno paras, infligere, sentire nos permittet. Ad has ego epulas tam amaras nunquam admissum, cum hic eversionem status Regni nostri agi video, coronationemque tuam Serenissime Princeps, quantum possum, et valeo, et dissentio, et repugno, nulla re, nulla conditione, nullo pacto illam admissurus. Dudum sane pro illam in tuam et nostram perniciem, callido satis ingenio comparatam, noscitabamus, sed nullo pacto poteramus adduci, ut tu, qui spiritus Regis Sigismundi probe nosses, eius artibus vincereris, et plus apud te valeret cupido Regni, quam fraternae unanimitatis concordia, qua deserta discordiarum seminarium amplecti conaris, stirpem tuam, Principatus et dominia, nisi interea salubrius aliquid prospectum iri contingat, eversurus. Depone quaeso sane quae animo tuo insedit gloriae appetitionem, et mulieresitatem, et te virum magnum in hac orcudua aetate, quod in superiori facere solebas ostende. Unum est quod tibi etiam atque etiam persuasum esse cupimus, ut hanc tantum animi tibi ardorem prosequaris, nullum fructum ex illo habiturus, ingentia animi tui bona, in quibus hactenus apud orbem universum effulseras, et illam concordiam charitatemque fraternam, qua in eam in qua nunc es sublimitatem, caeteris fratribus Regijs neglectis, suo beneficio conscenderas, foedaturus. Palatinus deinde Cracoviensis Joannes de Tarnow integrae vir constantiae et fidei, sententiam Sbignei Episcopi cum omnibus alijs adeo uniformiter et constanter sequutus est, ut murmur indecere subortum. Frustratus spe sua Dux Vitoldus non sine quodam clamore et mugitu dolorem et indignationem praeferente, ex consilio Regis Poloniae turbatus discessit, eam

tamen

tamen vocem submurmurans, Quando id certum, atque obsti natum est, inquit, at ego ad rem perficiendam alijs atque a lijs utar artibus, vehementes ingenij sui ardorem signifi cans, Sed Consiliarijs Poloniae, ut erat, atrox et horrida Vuitaudi haec sententia et praefatio videbatur, caecus enim Regni Diadematis cupiditate animus Vuithaudi, nihil ha bitare admittebat, magnaque perculebantur admiratione, quod primis alioquin solers et industrius, in aetate extrema et decrepita, magnarum opum et gentium dominus, ardua et periculosa, tam sibi quam suis invadere contenderet facinora. Novum quoque, inquiunt, et Regno Poloniae perniciosum petere visus, iniquis auribus a Praelatis et Proceribus Regni Polo niae auditus est

Duce Vuithaudo ex consilio digredien te, omnium Poloniae Consiliariorum animi in magnam pertra huntur amaritudinem, venenum ingens ingenio Sigismundi Regis diffusum clamant, difficulter quieturum, et multo rum pectora infecturum. Lacessitusque tunc est Vladislaus Rex frequentibus probris, quod Vuithaudum fratrem et Lithuaniam patriam cum Regni sui Poloniae pernicie et dispen dio niteretur amplificare, brevi ad eum quod ipsemet egisset, redundaturum, ac propediem senturum, quantum malum sibi suisque natis et Regno sceptris nectensque conflaverat, Uni versi Praelatorum assessum, et quandam quasi fugam suadent, ne contagione tam fortis inficiantur veneni. Adeunt pri mum Vladislaum Regem, cumque graviter tali sermone cor ripiunt. Haeccine, inquit, est fructus huius conventionis ad quam nos venire iussisti, ut tam notabilia dominia a tuo au ferantur et scindantur Regno? quis Serenitatem tuam impu lit ad faciendum et consentiendum in hoc malum? malleum adhiberi tuo capiti permisisti, quo verberatus occidas. Vir iste Romanorum Rex Sigismundus, non alio venit huc re spectu, nisi ut dimisionem cruentam inter te et fratrem tuum Ducem Vuithaudum ponat, aliter enim satiari pectus suum fraterna concordia nundum non potest. Linquere precamur locum istum omnes, a nobis extemplo linquendum, non enim his,

his, quae parantur malis, et quae assidue conflantur, in tu-
am et tuorum natorum, quos nobis haeredes relinquis, perni-
ciem, redundaturis, possumus interesse. Consurgere vides
nubem truces et cruenti belli, procellam tonantem asperis
magno cruoris imbre, nisi aliquid interea divino numine
per nos pro eius resolutione prospectum fuerit, omnia foe-
daturam. Wladislaus Rex ad haec lacrimis obortis,
gratias fidei eorum agit, negat se unquam in coronatio-
nem Ducis Vitaudi consensisse, offert se velle disce-
dere, et ire, quocunque consignarent. Ita Praelati et Baro-
nes Regni Poloniae, quasi grege facto, e Luczsko evolant,
quos Wladislaus Rex nocte adveniente subsequutus, veri-
tus ne animi suorum Praelatorum et Baronum offenderen-
tur, si diutius illic stare perseverasset. Discessus ipse tam
subitus et inopinatus, tam Sigismundo Regi, quam Duci Vi-
taudo fuit et anxiosus et terribilis, propositumque utrinsque
de coronatione consumanda, etsi non mutavit, in longius
tamen tempus suspendit. Ab eo autem tempore Sigismun-
di Romanorum et Ungariae Regis cum Wladislao Rege
et Regno Poloniae societas dubia, incerta, suspectaque, aemu-
lationibus frequentibus in eam etiam foedata abru-
pta est. Tulit et discessum Wladislai Regis et Consilia-
riorum Poloniae, Vitaudus Dux graviter, et qui iam exul-
cerato animo in Polonos fuisset, multo gravius hoc dolore
exarsit. Callidus tamen ipse, Poloniaeque avaritiae peritus,
plerosque Polonorum primores auro et argento implevit, pro-
missionibusque oneravit, facile se credens, cupidine Regni, illis
corruptis et admittentibus potiturum. Mansit autem Si-
gismundus Rex in Luczsko post discessum Wladislai Re-
gis et suorum Praelatorum et Baronum Poloniae, qui in ter-
ram Chelmensem in Lubowlya diverterat, diebus quinque,
et magnificis a Duce Vitaudo honoratus muneribus,
nec inferioribus ipse a Sigismundo cumulatus est, et quae
praestantia sui, Vitaudi munera excederent. Et deinde
in Ungariam, per Belz, Jaroslaw, Lanczuth, Frystat, Biecz,
redijt

~~refijt~~ redijt. Sandomiriam autem venire, et Carnisprivij illic dies agere, quemadmodum Vuladislao Regi promisit, tre=pidavit, dissensione de corona inter eos exorta, animis utri=usque offensis, sub salvo tamen conductu, Vuladislai Regis, quem multis Nuntijs missis Dux Vuitoudus obtinuit præ=stari. Antequam autem Vuladislaus Poloniæ Rex cum suis Lanczicia egrederetur, venit certus nuntius referens Bohemos cum exercitu valido Slesiam ingressos cuncta vastare. Quibus cum Dux Joannes de Monsterberg, qui Relictam Spithconis de Melstyn Palatini Cracoviensis Elisa=beth habebat in consortem, cum suis gentibus circa Brunow occurrisset, congressu inito confractus est. Ipse quoque cum maiori parte exercitus deletus, reliqua pars exercitus fu=ga salvata. Irrescatus autem Alexander Vuitoudus Dux consilijs Sigismundi Romanorum Regis et persuasionibus, spem in Sigismundi Regis amicitia ponens, execrabili insu=per fastu ambitionis et superbiæ facibus ardens, postquam Vuladislaum Poloniæ Regem et Consiliarios suos ad suæ coro=nationis consensum pertrahere non potuit, præsentis for=tunæ nitore inflatus, nonnullis quoque assentatoribus spem vanis inflantibus, Regiæ dignitatis fastigium de manibus Sigismundi Regis suscipere, Rege et Regno Poloniæ inuito consentit, iuramentorum et fidei datæ litterarumque suarum factus immemor, quibus se perpetuo cum omnibus terris Lithuaniæ et Russiæ acquisitis et acquirendis Regno Po=loniæ inscripserat, servaturum, et quibus terras ipsas de con=sensu Ducum et Baronum suorum Regno Poloniæ perpetuo applicaverat, univerat, et incorporaverat. In eam insuper superbiam se erexerat, ut missis ad Vuladislaum Regem et Consiliarios Poloniæ Nuntijs, videlicet Rumbaldo Mar=salco et Rastoldo Palatino Vuilnensi, denunciaret se, sive placeret illis, sive displiceret, coronas sibi mittendas acce=ptaturum.

Martinus Papa quintus, considerans Bohemorum Hæreticorum rabiem dietim augeri, et in

Sanguinem

Sanguinem Christianum quotidie grassari; Sigismundum quoq; Romanorum Regem et alios Reges et Principes Catholicos belli expertos cum illis fortunam, curam resumendae expeditionis in totum abiecisse, Andream de Constantinopoli Graecum natione, in Theologia Magistrum, et Palatij Apostolici Magistrum, Fratrem Ordinis Praedicatorum, ex post in Archiepiscopum Colossensem promotum, excellentis ingenij et singularis doctrinae virum, ad Vladislaum Regem Poloniae, ad sollicitandum eum ut cum fratre suo Duce Vitoldo causam contra Bohemos Haereticos suscipiat, et exterminio eorum intendat, offerens et repromittens Apostolicas largitiones et suffragia. Is tunc Rege in Lenczicia agente, adveniens, oratione disertissima facta, legationem suam prudenter et graviter exposuit, literasq; Apostolicas Vladislao Regi scriptas, persuasionem de suscipiendo bello contra Hussitas fortissime persuadentes, praesentavit, quarum tale est exemplar

Martinus Episcopus servus servorum Dei

Charissimo in Christo filio Vladislao Regi Poloniae Illustri Salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum abominanda haeresis, perverso dogmate, damnatae memoriae Joannis Huss, suorumq; sequacium, suscitata fuisset in Regno Bohemiae, nos a principio Pontificatus nostri ad eam extinguendam et exterminandam, quaecunq; potuimus remedia et praesidia quaesivimus. Et quia haec haeresis diutius invalescens se tuebatur armis, ita ut necesse nobis esset, cum armis eam vincere atq; delere, ad hoc opus, ut par erat, inprimis excitare curavimus Charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Romanorum, Ungariae, et Bohemiae Regem Illustrem, ad quem hoc gloriosum et sanctum negocium principalius pertinebat, propter dignitatem Romani imperij. Et quia haec pestis patrium Regnum eius infecerat, dilatans inde se ad loca quoq; finitima, confidentes etiam ipsum vocabamus ad hoc munus, memores verbi sui, quod

nobis dixerat in Constantiensi Concilio, ut si deputaremus
ei tantum ad remissionem in legatum bonæ memoriæ Joannem
tituli Sancti Sixti Presbyterum Cardinalem, pollicebatur se Hus
sitas Hæreticos indubitanter ad rectam viam reducturum.
Illum autem ei Cardinalem non solum dedimus, qui per ali
quot annos legationis officium contra dictos Hæreticos exer
cuit, sed et post eius obitum, Venerabilem fratrem Fernandum
Episcopum Lucensem iuxta sua desideria, cum eadem facul
tate deputavimus. Et successive aliquot alios Cardinales Apo
stolicæ Sedis Legatos, et plerosq. notabiles Nuntios ad eun
dem Regem, ad electores Imperij, et ad varios Principes
et communitates nationis germanicæ, cum clarissima signifi
catione nostri desiderij, et cum authoritate et facultate opor
tuna, eos sicut debuimus efficaciter monendo, et requirendo
circa reductionem vel exterminationem eorum, sæpe trans
misimus, nec per nos aliquid fuit prætermissum, quod nobis
et Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ec
clesiæ Cardinalibus, sine causa fidei posse proficere vi
deretur. Ex quo fuerunt aliquando militares expeditio
nes ordinatæ, et innumerosi exercitus congregati contra
ipsos Hæreticos, qui profecto nec numero, nec virtute pares
esse fidelibus debuissent. Sed nescimus ex qua causa pro
cesserit, vel humano more, vel divino iudicio, quod occultum
est, non solum Hæretici fidelibus restiterunt, sed fuerunt
etiam superiores, Et extra Bohemiæ fines irrumpentes in
Austriam partem eius, et aliquas terras Ungariæ, et fere
totam Slesiam depopulati sunt, omnia fæda et nefanda
facinora in corpora humana, et Dei ministros Sacerdotes
et alios Catholicos, et sancta sacraria perpetrantes. Quæ
tam horribilia et Christiano nomini pudibunda cogitan
tes, cum lacrimis et suspirijs humiliter Deum precamur,
ut aliquando hos suos et humani generis inimicos aut con
vertat aut deleat, Et speramus semper in eo, quod tan
dem exaudiet preces nostras, Ac in ipsius ineffabili virtu
te principaliter sumpta fiducia, cupientes et nos remedijs
quibus possumus providere, ut tandem finis imponatur
his cladibus, et ut prædicti Hæretici ab eorum errore
reducantur

reducantur, vel pertinaces in eo confundantur, et extermi
nentur de terra Christiana, matura deliberatione praeha
bita, cum praefatis Cardinalibus, et cum quamplurimis
Praelatis, Doctoribus, et Magistris diversarum nationum,
iustis ac necessarijs ex causis hoc sanctum opus, et hunc
praesentem laborem Serenitati tuae et Dilecto filio Nobili
viro Alexandro Duci Lithuaniae duximus committen
dum. Vobis enim duobus, a quibus magna propagatio
fidei et nominis Christiani superiori tempore facta est,
et qui opportunitate locorum, et multitudine gentium, et
omni ratione potentiae praevaletis, haec digna expeditio
visa est, praesertim cum praefatum Romanorum Regem
varijs occupationibus distractum modo videamus, cui hu
iusmodi commissio propter mutuam inter ipsum et te ami
citiam, grata omnino esse debebit. Tuam igitur excellen
tiam hortamur in Domino, ac te per salutem animae tuae,
et viscera misericordiae Iesu Christi requirimus, quatenus
in hac extrema necessitate huiusmodi, sanctum tanquam
fidei contra huiusmodi Haereticos defendendam alacri
et forti corde suscipias, et susceptum fide constanti cum so
lita tui Regalis animi magnitudine prosequaris, eosdem
vel reducendo pariter ad gremium Sanctae matris Ec
clesiae, omni errore dimisso, vel pertinaces in eo hostiliter
confundendo, ita ut haec pestifera labe purgata Bohemia,
et loca finitima eadem haeresi maculata, reductis vel exter
minatis Haereticis, ad rectum Dei cultum et ad obedien
tiam Ecclesiae reducantur. Nos enim Celsitudini tuae
eosdem Haereticos reducendi, et hac pro causa duntaxat
audiendi, cum eisdem colloquendi, conferendi, et tractandi,
vel alios tibi fidos tractare faciendi, ipsisque promittendi se
curitatem, et veniam pro commissis concedendam per nos
vel per virum aliquem Ecclesiasticum deputandum
a nobis, ratum et gratum habituri, quicquid feceris et pro
miseris in praemissis, dummodo nihil eis repugnans fidei
Catholicae, et Sanctorum Patrum Decretis ac institutis Eccle
siae, per te vel alios concedatur, aut promittatur. Et si forsi
tan

tam pertinaces in eorum errore persisterent, et permittitur ipsos et eorum ciuitates, oppida, villas, et terras, nostro et Ecclesiae nomine inuadendi, capiendi, et iuxta Sacrorum Canonum instituta exterminandi, authoritate nostra plenam et liberam tenore praesentium concedimus potestatem. Non obstantibus quibuscunque obligationibus, conuentionibus, pactis, et foederibus, factis et initis, cum quacunque persona, cuiuscunque status, gradus, et conditionis existat, etiamsi obligationes, conuentiones, pacta, et foedera huiusmodi, essent iuramento confirmata, quae omnia eadem authoritate, decernimus hoc in casu nullius esse roboris, vel momenti, cum in his semper honor Dei, fidei Catholicae vtilitas, et bonum publicum intelligantur excepta, Et in casu simili, quo status fidei conseruatur, non solum contra pacta et promissa, sed etiam contra iura ab ipsa natura praescripta, contra consanguineum, fratrem, patrem, et filium, venire sit licitum ac debitum, nec possit crimen parricidij nominari, quo tuis fides Catholica defensatur. Datum Romae apud Sanctos Apostolos Calend. Octobris.

Ex terra Chelmensi Vladislaus Poloniae Rex pro quadragesima medio in nouam Ciuitatem herczin, quo iam Praelati et Barones Regni insigniores conuenerant, aduenit. Deliberationeque habita, omnibus moderato consilio attendum suadentibus, ad reducendum et reflectendum animum Ducis Vitholdi, Sbigneus Episcopus Cracouiensis, et Nicolaus de Michalow Palatinus Sandomiriensis et Capitaneus Cracouiensis in Lithuaniam nomine Regis et Regni mittuntur. Qui pro festo Paschae in Grodno venientes, Duce Vitholdo illic offenso, mandata regalia exponentes, pluribus verbis et persuasionibus illum mouent, hoc immemor, se Regem Lithuaniae creari, in praeiudicium Regni Poloniae, nullatenus patiatur, attento quod creatio ipsa magis et famam suam et nomen diminuat quam attollat. Nunc enim inter Duces cum superior nominari non potest, qui eo fieret esse inferior, et vltimus, fulgore prioris estimationis contenebrato. Inter Reges attenderet sanguinis profluuia, inter ipsos fratres, et populos eorum, qui concordia ab ineunte

aetate

aetati vivendo, magnificati erant, absq. dubio proventura.
Nec esse prudentis Principis opus in aetate tam decrepita exi
guo auri et gemmarum ornari circulo, et nationis studio
eorum venturos, mutuis bellis collidi, et Marti funesto involvi.
Prospicior velit esse publicae utilitati, quam privato splendori,
nec pro tam modica amplitudine in dubium revocanda, in id
vere se et fratrem suum bellis agitari, nihilq. dubitet Vla
dislaum Poloniae Regem et Polonos armis suam ambitionē
restricturos. Respondens his Dux Vitoldus asserit, nun
quam fuisse propositi sui Regem creari, aut unquam pro ex
cellentia illa institisse, ante annos multos se fuisse per Sigi
smundum Romanorum Regem personaliter sollicitatum, nec
dedisse consensum, nec animum in talem ambitionem indu
xisse, nisi ipsemet Vladislaus Poloniae Rex precibus et con
silijs id ab eo exegisset, quibus parendo, publicum dedit
iam consensum, Nec licere sibi post publicationem con
sensus resilire, et inceptam rem ad universorum devolu
tam notitiam, cum sua maxima ignominia et sugillatione
relinquere infectam. Accepto responso Nuntij revertuntur,
Dux autem ipse Vitoldus et suorum et forensium solli
citatus persuasionibus, sperans resistentiam Vladislai
Regis et suorum, muneribus et promissis confringi, dum subli
mitas Regia sibi indies dulcesceret, et saporem ingereret in
mensum, quam etiam virim Principes et proprij subditi
suis verbis amplius dulcorabant, misso Bartholomeo
de Ossawia Notario suo, qui etiam tunc Notarius terrestris
Cracoviensis habitus est, ad Sigismundum Romanorum
Regem, apud Viennam repertum integra aestate, hyeme,
Autumno, et Vere, sollicitare Nuncius non destitit, ut Duci
Vitoldo Coronam regalem et alia cuiusdem Coronationis
insignia transmittere accelerarat. Cui dum postea hisce manifesta
tis crimen fuisset obiectum, praestito hac falso iuramento, poenam
debitam evasit.

Alia Bulla secreta Poloniae Regi Vla dislao in facto reductionis Bohemo rum scripta.

Martinus

Martinus Episcopus servus servorum Dei

Charissimo in Christo filio Vuladislao Poloniæ Regi illustri Salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuper de consilio Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nec non plurimorum Prælatorum, Doctorum, et Magistrorum diversarum nationum, causam fidei Catholicæ contra Bohemos hæreticos armis et potentia defendendam Serenitati tuæ commisimus, prout in literis nostris super inde confectis plenius continetur, non dubitantes, quod hoc munus acceptum Deo, et gloriosum tibi læto et magno animo suscipies, et usq; ad optatum finem, vel reductionis hæreticorum, vel exterminationis eorum, iuxta commissionem nostram, quantum tibi possibile fuerit, prosequeris. Hanc siquidem nobis spem indubiam præstant opera tua magnifica, quæ a die suscepti Baptismatis, pro exaltatione et propagatione Christiani nominis peregisti. Nam si gentes natas et innutritas in errore idolatrarum gentilium, zelo fidei reduxisti ad verum cultum Dei, quanto facilius vel reduces, vel confundes eos, qui nati et educati in vera religione Christiana, sola carnali lascivia, et cupiditate prædandi, a Sanctis institutis Ecclesiæ defecerunt, et in omnia fœda et nefanda facinora provoluti sunt, quæ tibi notissima fore non dubitamus. Contra quos te Catholicum Regem non solum animare debet violata Christi religio, sed omnis ratio politicæ sublata, et omnis authoritas Regia suo pestifero dogmate vilipensa, cum præter multos et varios superstitiosos et sceleratos errores, quibus ipsa sancta fides offenditur, etiam humana iura turbantes asserant, nempe, nulli legitimæ potestati, nec ipsis Regibus esse parendum, nec reddendum superioribus censum, sed communia omnia et omnes pares esse oportere. Ad hos hæreticos opprimendos multi Principes sæpe, nostris et Sedis Apostolicæ legatorum suasionibus commoti, cum exercitu frustra profecti sunt, Deo forsitan, cuius occulta iudicia sunt, hanc tibi, qui tanta pro eius amplianda fide fecisti, victoriam reservante. Quare fili charissime oblatum hoc

munus

munus lato amplectaris animo, causamque susceptae fidei defendendae, qua nulla sanctior, nec virtuti tuae dignior, nec qua maius apud Deum meritum, clariorem in mundo gloriam, et firmiorem benevolentiam universae Christianitatis, tibi et filijs tuis comparari possit, invenitur, et in qua iustius decertare et facilius possis victoriam obtinere. Tu enim fundator Ecclesiarum plurimarum, contra eversores earum, tu propugnator religionis Christianae, contra oppressores eiusdem, tu Rex Catholicus contra perfidiam Haereticorum, tu pro iustitia contra iniquitatem, pro pietate et humanitate contra saevam rabiem, pro honestate contra luxuriam bestialem, tu Rex potentissimus contra finitimos debiliores sine ordine, sine lege viventes, Christo te iuvante, pugnabis, si tecum pugnare praesumpserint. Quos speramus, ut senserint te suscepisse causam, omnia tuo arbitrio concessuros; quod si non fecerint, exercitati in peccatis eorum, cum omni potentia tua insurgas in eos, cum Dei nomine, et benedictione nostra, de inimicis Christi et Ecclesiae suae in coelo et in saeculo triumphaturus. maius enim, quod pro tanta re feliciter consumata, tibi polliceri possimus, non habemus. Erimus insuper nos, dum in hac sede sedebimus, erunt et successores nostri, erit et semper Ecclesia in perpetuum, tibi et tuis posteris obligati. Caeterum super his nonnulla audivimus Dilecto filio Andreae, Ordinis Praedicatorum Sacrae Theologiae professori, Apostolici Palatij Magistro, tuae Excellentiae referenda, cui velis circa praemissa adhibere credentiae plenam fidem. Cum autem et Dilectum filium, Nobilem virum Alexandrum Ducem Lithuaniae, fratrem tuum, unam animam in duobus corporibus reputamus, similes literas eidem scripsimus et similem dedimus facultatem. Datum Romae apud Sanctos Apostolos Calend. octobris, Pontificatus nri anno tredecimo.

Ex noua ciuitate Vuladislaus Poloniae Rex, per Cracouiam, et Mechouiam, in terras maiores Poloniae profectus, illicque aestatis tempus absumpsit, missis Consiliarijs, qui cum Praelatis et Baronibus Vngariae in Srzamo

wirze

vieze, pro die Pentecostes conveniunt, ad reformandam inter Reges vulneratam charitatem. Negligentibus tamen Ungariae Baronibus venire ad consignatam diem, fuit alia Dieta, petentibus sibi Praelatis et Baronibus Ungariae ignosci, pro festo Sancti Martini instituta, Ad quam cum Consiliarijs Poloniae venientibus, parem negligentiam priori, Ungariae Consiliarij patravissent, sive id contemptus, sive negligentia efficiebat, sive quia sciebant Regem suum his quae illic iusti decernerentur non pariturum, iusta indignatione in Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem Poloni permoti, non secus quam hostem reputare caeperunt, et Coronationis negotium, tam iure, quam facto, ne consumaretur, impedire. Aestate illa omnis fere Slesia a Bohemis Haereticis bello sato populata est, plurimaque nobiles civitates aut conquisitae, aut terrore desertae, per Haereticos occupatae sunt, et longo tempore possessae, In populum Christianum promiscui sexus magna crudelitas deprompta est, Monasteria, Ecclesiae, et loca Deo dicata prophanata, et Sacerdotes Saracenos introducti.

Ex terris Maioris Poloniae Vladislaus Poloniae Rex in terras Cracovienses rediens, festum Assumptionis Sanctae Mariae apud Vuisliciam tenuit. Exinde discedens festum Nativitatis Sanctae Mariae Sendomiriae celebravit. Ibique pro die illo frequens ad eum Consiliariorum venit numerus, propter rumores, qui quotidie de corona Duci Vuitoldo per Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem mittenda, afferebantur. Habitis ergo per dies aliquot deliberationibus, conclusum est, ut Sbigneus Episcopus Cracoviensis, et Ioannes de Tarnow Palatinus Cracoviensis Lithuaniam, novas et legitimas potiundae coronae ferentes conditiones, mitterentur, qui Ducem Vuitoldum coronationis honorem ambientem, novo genere persuasionis a proposito abstraherent, et per conditiones summissas, et tam charitati quam humilitati refertas, illum Regi et Regno conarentur efficere unanimem. Mandatorum ad Vuitoldum Ducem haec summa erat, Convenire, illum aliquando suae pertinaciae et ambitionis finem facere, neque terrenam coronam, cum periclitatione tam personarum, quam domi-

norum

niorum desiderare, neque in auxiliaribus Cruciferis fidere,
Satis superque submemoria et oculis incommoda vtrinque ab
illis accepta, quae pro cautela vtrisque habenda forent.
Vt quoque nouos spiritus, quos induerat, magnos magis, quam
vtiles, ingenti assentationum licentia et potestati vagan
tes, comprimeret, et ad salubria consilia reuocaret, Nec in
opibus confideret, quae illi ferebantur magis quam erant
immensae, et regia in viuendo suppellex atque pompa expila
tionibus tantum propriorum quaesita, Ne quoque Sigismundi
Romanorum Regis amicitiam suae anteponeret, antiquio
remque duceret et fidiorem. Veniunt itaque ad illum pro
festo Sancti Medardi in Grodno, talique nomine Regis et
Regni illum alloquuntur sermone. Sentimus, inquit, Serenis
sime Princeps, te Regij nominis ardo auidum, vt abiecta
charitate fraterna atque unione, non perspectis periculis
et guerris, quae dominijs nostris vtrisque excidium et de
solationem inducerent, ad culmen regium omni nisu aspiras,
et Sigismundum Romanorum Regem, qui tuo et Domini
nostri Wladislai Regis splendori inuidens, mira sua astu
tia, fortem inter vos, qui non vobis tantummodo, sed eti
am vicinis nationibus concordia certatis formidabilis,
conflauit discordiam, de mittenda corona sollicitas. Mo
dum et consilium saluberrimum tam fidei quam pruden
tiae plenum, afferimus, quo excellentiam regiam conscendere
poteris, beneficio fratris, non hostis, conditione pulcherrima
non funesta, quod tibi etiam atque etiam persuasum esse cu
pimus ad cupiditatem fallacis et iniusti Regni de tuo pe
ctore rescindendam. Vt igitur Regio careris honore,
quem tantopere appetis, et vinculum fraternitatis et cha
ritatis mutuae inter Wladislaum Poloniae Regem et te,
nullam sentiat rupturam, Wladislaus Poloniae Rex suum
Dyadema tibi dat et confert. Et ne rogaris illud a com
muni vestro hoste Romanorum Regi petere, consentien
tibus ad id vniuersis Praelatis, et Baronibus Regni sui,
aequo animo de Regio honore cedit, et vt illo fruaris, co
ronamque Regni Poloniae accipias, vltronee consentit, cum

non

non dubitet te eiusdem Regni gubernationi, iustius et com
modius, quam se, cum sit senio grandaeuo confectus, et pro
les sua pro regimine Regni imbecillis teneraque sit, posse tam
Regno quam Ducatui praeesse, qui adhuc retines aetatem vi
getiorem, Occasionem nouae coronae per contentiones et bella
quaerendae sublatam vides, dum nobilior et vetustior tibi sponte,
authoritate Regis Romanorum non intercedente offeratur.
Superuacue nationes plurimas, gentes, et populos, opera
Vladislai Regis et populorum Polonorum, in fidei ac do
minij unitatem contractos, Regij Diadematis actus cupi
dine, et te ipsum, qui nec successorem vides te relinquere, bellis
miserere, et funestum inter illos serere Martem satagis. Elige
potius et sequaris iustam coronationem, et a quietis con
silijs non abhorreas, et Saxe animi tui Reginalis coronae cu
pidinem, assentatorum persuasione magis, quam salubritate
consilij tui, ingratam, moderatione meliori elimina, scituros
Regem et Regnum Poloniae non solum armis coronationem
tuam nouam restricturum, sed omni tempore vindicaturum,
si tantam oblationem et humiliationem Regis nostri et no
stram acceptare, et a proposito cedere detrectaueris. Te
stisque nobis erit Deus, quod nostris consilijs contemptis, qui
bus erectus, ex paruo longo tempore stetisti magnificatus, non
in utilitatem dominiorum, sed in perniciem perges, spreti
consilij et flagrantis ambitionis paenas iustissime quandoque
a te repetiturus. Mouissent verba huiusmodi, Principis ani
mum, nihilque dubitabatur Alexander, prudentia et mo
destia qua pollebat usus, pro rescindenda discordia, et bel
lo sensim gliscente, bonum et aequum se animum monstraturum,
nisi illum a sententia animi sui, praeter cupidinem Regij
Diadematis, quae iam animo insederat, pudor incoeptae rei,
et aliquorum Polonorum improba adulatio, spe obtinendorum
munerum, qui etiam legationis praedicta, quamprimum
Sendomiriae decreta fuit, argumentum ad ipsius notitiam
clanculo et velociter detulerant, obstitisset. Tempestate
enim illa aliquot notabiles Poloniae Barones Vladislai
Poloniae Regis, Curienses, et continui familiares, quos ipse
et dignitatibus, et largitionibus extulerat, Duci Lithua
niae

nec Vuitoldo adhaerebant, quos non charitas patriae, non beneficia Regis sui, non metus Dei, ab assentando, et in proposito Ducem Vuitoldum animando, revocabant; qui quoque quo fidelior censeri posset eorum assentatio, spontaneo se iuramento adstringebant, ipsi Duci contra Regem proprium, in his praesertim, quae coronationis negocium concernerent constanter adhaesuros, et si res exigeret, penatibus et omnibus pignoribus in Polonia derelictis, reliquam et perpetuam in Lithuania acturos aetatem. Catena siquidem avaritiae, et magnitudine largitionum, et promissorum constricti, et a bono, honestoque, ad pravum abstracti, et honestatis propriae, et charitatis patriae, ignominiae insuper, quae illos manet, manebitque, memoria ommissa, Vuitoldi Ducis spes et mollimina et nutriebant, et urgebant, propriae consulentes ambitioni, et Vuitoldi metuentes opes, omniaque venalia habentes ad nutum licitatoris, coniuges, et liberos, patriam, et necessarios, ipsum denique Regem proprium proditori, praefati Ducis Vuitoldi cupiditatem et Regni illecebram, potentiam, opes, felicitates, atque excellentiam, singulasque vitae actiones, quo in illos et eorum avaritiam magis munificus existeret, beatitudinis existimatione admirationeque prosequuti, monstrantes se non filios, ut erant, Regni Poloniae, sed privignos et matris utri hostes et erosores, qui favorem et largitionem Ducis Alexandri Vuitoldi, patriae commodis et libertati praetulerant. Digni qui pro tam nefario opere, cruciatibus perpetuae captivitatis fuissent deputati, Clementia tamen Vladislai Regis ipsis et cuilibet eorum, confecto discordiae bello, ignovit, ultio tamen divina plures eorum perstrinxit, eo quidem gravius, quo fuerat eis et eorum tunc saluti regia propitiatione facilius condescensum. Eadem quoque indulgentia in alios Polonos et milites suos usus est, qui inter Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem, et Ducem Vuitoldum deferebant literas, quae adeo secrete deferri non poterant, ~~quin~~ quin in manus regias deprehensae cum portitoribus

non

non venirent. Ideo autem in differentiis illas animadversu
non est, ne amplior proveniret animorum irritatio, et spe recon
ciliandae pacis amissa, crudelius rebus desperatis in certa
mine praesentis luctae fuerit a parte utraque discriminibus. Vla
dislaus enim Rex animum Ducis Vithaudi beneficiis et
modestia sperabat se aliquando victurum et sanaturum,
causamque suam, ubi animus Vithaudi sanari non posset,
divina propitiatione, quae opera benignitatis et modestiae
praemiare consueverunt, posse relevari et defendi. Erant in No
tariorum numero pro ea tempestate apud Ducem Vithau
dum duo viri nobiles, Lutsko de Brzeszie, de domo Doliwa,
et Nicolaus Czebulka de domo Czyelyczelye truncum de
ferentis pro insigni, magna familiaritate Duci Vithaudo
iuncti, qui modestia interdum, aliquando et forti persua
sione, ut coronationis cura omissa se Regi Vladislao
reconciliare quantocius curaret, rogabant, enumeran
do mala, quae accidere necesse esset. Nec aspernabatur Dux
Vithaudus eorum sermones, sed mira patientia omnia eo
rum auscultabat proposita, quos prosapia et genus illorum
nomino, ut integritatis fidelitatisque illorum perpetua me
moria, ad laudem illorum etiam in posteros extendenda per
severet, quod si eadem fide ceteri Poloni se sinceros praestitis
sent, facilius fuisset ambitio Ducis Vithaudi vel abrogata
vel sanata. Quotiesque ab eisdem duobus notariis Lu
tskone, et Nicolao Czebulka persuadebatur, a rebus coronae
insinuatis et ambitiosis animum avertere, et cupidinem
Regni deponere, Dominoque suo et fratri Vladislao Polo
niae Regi reconciliari, humiliatum quoque animum et con
tritum praefato Regi ostensurum se ire perrexit totus
illum ab hac sententia, Regni cupiendi cupido, et assentatorum
palpatio, Polonorum praesertim, deiecit. Contulit autem
Vithaudus Dux in Joannem de Tarnow Palatinum Cra
coviensem cyclos argenti centum, et alia dona munifica,
non tam ut illum honoraret, quam ut Sbigneum Cracovien
sem Episcopum, qui maiora coronationis suae impedimenta
dicebatur ingerere, exasperaret, et a se neglectum atque
despectum

despectum ostenderet. Ea tamen omnia Sbigneus Episcopus
nihil pendisse, atque irrisisse visus est, vir contra avaritiam
virtutis invicta, eamque largitionis contumeliam aequissimo
animo tulit, nec ullum tristioris vultus ostendit indicium,
de publico ministerio praeter laudem bene administrati of-
ficij nihil sibi vendicare cupiens. Alexandro Vitoldo
Duci magno Lithuaniae etiam post irrogatum contemptum,
et contumeliam, verbis ad persuadendum compositis, in
maxima urbanitate et modestia verborum, ostendendo,
evidenti et palpabili respectu, quod durum nimis foret,
si pro beneficijs a Rege in se collatis rependeret iniuriam, et
pro Principatu Lithuaniae in eum, fratribus germanis
neglectis, transfuso, ingratum se redderet, Dubium deinde
atque ancipitem belli eventum, Deum quoque pro iustiori cau-
sa staturum, gravem insuper invidiae sarcinam, cum in Re-
gem vel potius Imperatorem suum arma converteret, et qui
illum paterno foverit affectu, quique extulerit, armis, equis,
pecunijs, comeatibus iuverit, in adversis nunquam dese-
ruerit, exulem et calamitosum sustulerit, bellis afficiat, quique
multos bonos sua illa Regni cupidine perditum iret. Desola-
tionem autem huiusmodi et accusationem in Sbigneum Epi-
scopum Cracoviensem ad aures Alexandri Vitoldi factam,
Joannes de Czizow de domo Poluhossa, filius tunc Michaelis
Czizowski Castellani Sandomiriensis, qui expost adeptus fuit
Castellanatum Cracoviensem, ipso Alexandro Vitoldo, qui
nullum accusationis arcanum sibi communicatum retinere
solitus erat, referente et prodente, scribatur ipsi Sbigneo Epi-
scopo fabricasse; Ad cuius purgationem Sbigneus Episcopus
~~pauci~~ paucis referendo, et de integritate Joannis de Tarnow
confidendo, respondit ultroneae se in coronationem Vitoldi
consensurum, si Palatinus Tharnowski sua legationis
comes consenserit. Qua quidem prudentissima reflexioni
et carptorem assentatoremque vehementissime confudit, et se ab
omni culpa et accusatione, Palatinum vero Tharnowski
ab omni suspitionis nota notabiliter vindicavit. Retorque-
bant etiam nonnulli in Vladislaum Regem magnam culpae
partem

partem, qui plurimum apud se posse Vuithaudum perviderat, qui Diademate excepto, prope universam Regni potentiam cum Rege participabat, eaq; indulgentia, studia Polonorum, ut propensius quam sat erat, Vuitaudi rebus faverentur, con verterat

Quinq; diebus in Grodno absumptis, Regii Nuntii discedunt, quos Dux Vuithaudus usq; in Vuilkowiska comitatur. Ibi priori responsione in memoriam advocata, respondet se nunquam Regium honorem aut titulum ambiisse, sed annis multis ad id per Sigismundum Romanorum Regem sollicitatum, Consiliariosq; suos, dissensisse, nisi ipsemet Uladislaus Rex instantia sua multiplici et prece consensum suum extorsisset. Non licere itaq; sibi coronationem, cuius publicatio et in Summi Pontificis, et Principum universi orbis, non solum Catholicorum, sed etiam Ethnicorum notitiam pervenerat, omittere, nolle tamen se amplius instare pro corona missione spopondit, sed si mittatur acceptionem eius non abnuiturum. Coronam vero Regni Poloniae, spoliato fratre, suscipere, facinus sibi et turpe deduxit, cum universorum iustis contumeliis pro dicto tam notoriae ambitionis posset carpi, quod honorem et titulum regium adeo expeteret, ut cum iniuria fratris sui, et quasi detracto Dyademate, tempora sua ornare non erubuerit. Rogare igitur Legatos coepit, quatenus Uladislaus Rex amplitudinem sibi destinatam, non distineat, non impediat, aut improperio, sibi, si prosequi coronationem destiterit, imminenti, quo illum alligavit, solvat. Si velle sibi et honori suo atq; famae prospicere, nec moliri Regno Poloniae bellum, sed motum propulsare. Erat Duci Vuithaudo, mite et prudens ingenium, facileq; ad bonam mentem, a prosequutione coronationis suisset reductus, scitum est enim illum, Sigismundum Romanorum et Ungariae Regem literis et Nuntiis, ne sibi corona mitteretur, et ignominia sua ex negligentia potius missionis, quam virtute repressionis decederet, sollicitasse, Ipsius tamen Sigismundi Regis et Cruciferorum de Prussia pertinax industria et vigilans cura, adeo suis consiliis, persuasionibus, et monitis, Ducis Vuithaudi

animus

animum intendebant, ut modestia et prudentia sua eo gererent eum obliviosi, rati Wladislaum Poloniae Regem et Regnum suum Poloniae si incepta perficerent, non secus quam in triumpho se ducturos. Nam et pro illo tempore quo cum Nuntijs Regijs in Wilkowiska agebat, venit miles Austriae Leonardus, ex parte Sigismundi Romanorum et Ungariae Regis missus, ferens sibi insigne societatis suae certis legibus, quas quilibet accipiens iuramento intemerate servaturum se stringebat qualificatas, quibus cautum erat, ut unus alterum in adversis et prosperis et quorumque casu nunquam desereret. Draco autem Societatis praedictae erat insigne, rotunda figura se volvens, et capite caudam complectens, faucibus apertis, et flammam eructuantibus, cruore in spina dorsi in modum crucis conspersus, cui signum crucis radios emittens erat suprapositum, scripturam in medio talem continens, O quam misericors est Deus, iustus et clemens. Insignia huiusmodi in praesentium Nuntiorum regalium oblata, Dux Vitholdus pro vinculo societatis sive inde responderet, se nullatenus pro fraternitatis et legis vinculo, sed pro muneris officio, ne iuramentum Wladislao Regi Poloniae praestitum, per praestationem alterius videretur temerasse, suscepturum. Tali responso accepto, Nuntij in Poloniam reversi, quae secum acta erant, singillatim Wladislao Poloniae Regi denuntiant et exponunt. Ad illaqueandum siquidem animum Alexandri Vitholdi Ducis praefati, Draconis insigne mittebatur, pro societate, ut Vitholdus ipse amicus fieret Imperij et socius. Tunc profecto scriptura illa implebatur prophetalis, Draco iste quem formasti ad illudendum ei, Draco siquidem ille et tortuosus et sanguine respersus cum signo crucis formatus apparuit, significans per suum auctorem et illius suggestionem, sanguinem Christianorum per bella fundi oportere.

Ex Sendomiria Wladislaus Poloniae Rex in terram Lublinensem progressus, exinde pro festo Sancti Martini in Niepolomicze redijt, ireque pro hyeme in Lithuaniam

thuaniam propter dissidium subortum, neglexit, sed ex Nye
polomicze in terras Russiae per solitas stationis descendit. Ut
autem Sigismundi Romanorum Regis restringeretur et re
mitteretur de coronando Duce Vitoldo audacia, fuit in
praesentia Martini Papae et Cardinalium publice Regis Vla
dislai Poloniae nomine, contra Sigismundum Regem et Ducem
Vitoldum propositum, Quo Martinus Papa permotus
Apostolica prohibitione Sigismundo Regi coronae missionem
et Duci Vitoldo acceptationem per speciales literas in
terdixit, quarum talis erat forma.

Martinus Episcopus, Servus
Servorum Dei
Charissimo in Christo filio Sigismundo
Romanorum, Ungariae, Bohemiaeque Regi
Illustri Salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuper pro parte charissimi in Christo filij nostri Vladislai
Poloniae Regis Illustris, fuit propositum coram nobis, astan
te collegio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Roma
nae Ecclesiae Cardinalium, quod licet Serenitas tua in cele
bratione pacis et reintegratione amicitiae, quam inviem
solenniter nobis id cupientibus et operantibus contraxistis,
eidem Regia fide promiserit, quod ipsum perpetuis tempori
bus haberis pro amico, et amicabiliter pertractares, et prose
quereris eundem semper eiusque liberos et haeredes summis
favoribus, charitate, et benevolentia singulari, et etiam hono
rem ipsius Regis et commoda procurares, nec unquam quo
vis quaesito colore ad auferenda bona, Regna, Principatus,
atque dominia sua aspirares, nec per te, vel alium, contra eius
statum aliquid attentares, imo si quid per aliquem atten
tari sentires in damnum reale vel personale Regis eiusdem,
ipsum praemonitum faceres, et eidem pro posse tuo assisteres,
et quod licet huiusmodi promissum etiam cum iuramento
firmaveris, scripturis Evangelicis manu tactis, Nihilo
minus ut ipsius Orator Regis asserit, illorum omnium im
memor, vel contemptor, Regnum, statum, et honorem eius
enormiter offendendo, Ducatum Litthuaniae, et terras Rus
sia

Sic ipsius Regni Poloniae membra, eidem tamdiu incorpo
rata, et unita, Dilecto filio Alexandro Magno Duci Lit
thuaniae ad vitam eius Regia authoritate concessa, prout
asserit idem Orator, ab ipso Poloniae Regno seiungere et
liberare, ac in Regnum novum erigere, et praefatum Du
cem huiusmodi Regni Regem, in hoc ambitionem
et cupiditatem dignitatis, suasionibus incitatum con
stituere, et creare procuras. Quod fieri non posse as
sertum est sine turpi nota tui nominis, propter conventa
praedicta in pace facta, cum praefato Rege Poloniae et
promissiones tuas iuramento, ut per eundem Oratorem
asseritur, firmatas, nec sine ipsius Ducis dedecore pro
pter obligationem praefatam, qua obstrictus est dicto
Regi, praestito etiam in ipsius manibus iuramento, sine
ipsorum violatione manifesta, Et quod non minus consi
derandum est nobis et tibi, si ad huiusmodi erectionem
Regni, ac creationem et coronationem Regis inconsulte
procederes, propter manifestam iniuriam, quam sibi fieri
praefatus Rex et Regnum Poloniae praetendunt, bellorum
pericula, vastitates terrarum, strages fidelium, et scanda
la maxima, ut asserunt, sequerentur, quae modis omni
bus vitanda sunt. Propterea cupientes ut tenemur tan
tum pestem, tantumque periculum avertere, a populo
Christiano, Celsitudinem tuam Charitative monemus,
ex corde requirimus et rogamus, per misericordiam
Jesu Christi, ut in hac causa nihil facias festinanter,
et sine longa et matura deliberatione, ac Collegio incon
sulto, ne necessarium sit nobis postea, qui non possumus
laesis postulantibus negare iustitiam, de violatione
iuramentorum pacis et foederis praedictorum cogno
scere, prout idem Rex Poloniae designare videtur, et
forsan nos cogente iustitia revocare, si qua perperam
facta essent, cum tanto scandalo populi Christiani, cuius
te authorem et suscitatorem nedum esse sed etiam suspi
cari

cari posse non vellemus, ne fama tua, quae alias clarissi-
ma est, laedatur, et anima tua tanti peccati onere pregra-
vetur, et reus in extremo iudicio, malorum omnium praedi-
ctorum, quae necessario et plurimum secutura videntur,
valeas denotari. Quare fili charissime, in hac tam peri-
culosa materia, moderare voluntatem tuam, et in hac
parte nostris paternis monitionibus et consilijs acquiescas,
et viam per nos tibi apertam, de alijs Oratoribus transmit-
tendis ad nos amplectaris. Nos etiam praefatum Du-
cem propter eius excellentiam et singularia bona, quae fecit
in propagatione fidei Christianae magnifacimus, et paterna
charitate diligimus, ac ipsum dignitate Regia dignissimum
iudicamus, sed vellemus eum cum pace, sine scandalo,
sine iniuria, et sine discordia fratris sui, talibus ornamen-
tis ornari, sicut alias scripsimus sublimitati tuae. Datum
Romae apud Sanctum Petrum Idus Novembris Pontifi-
catus nostri anno quartodecimo

Martinus Episcopus, servus servorum Dei

Dilecto filio Nobili viro Alexandro Magno
Duci Litthuaniae Salutem et Apostolicam benedictionem.
Nuper pro parte charissimi in Christo filij Uladislai Polo-
niae Regis Illustris, fuit propositum coram nobis, astante Col-
legio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae
Ecclesiae Cardinalium, quod licet dudum Nobilitas tua
fidem et connexionem praefato Regi promiserit, cum iuramen-
to solenni, de consensu omnium Principum et Baronum Lit-
thuaniae atq. Russiae firmato, ita quod in omnibus quae
concernant honorem eiusdem Regis, et amplitudinem Re-
gni sui, deberes eidem praebere consilium et favorem, et nun-
quam esse adversus ipsum Regem et Regnum, nec unquam
aliquas ligas, conventiones, aut iuramenta cum aliqui-
bus facere, sine licentia praefatorum Regis et Regni, Nihi-
lominus, ut asserit ipsius Regis Orator, tu omnium imme-
mor, vel contemptor, fraternam pacem et concordiam diu
servatam

servatam, perturbare, ac praedictos Ducatum Lithua-
niae et terras Russiae membra incorporata et unita
Regno Poloniae, Regia tibi authoritate concessa, ab ipso
Regno seiungi et liberari, ac in Regnum novum erigi,
teque eiusdem Regni Regem creari, seductus ut videmus
scelerato aliorum consilio, non recusas. Quod fieri non posse
assertum, sine turpi nota tui nominis, propter dictas promis-
siones tuas iuramento firmatas. Praeterea, quod non mi-
nus considerandum est nobis et tibi, si ad huiusmodi ere-
ctionem Regni, et creationem et coronationem tuam incon-
sulte procederetur, propter manifestam iniuriam, quam prae-
tendunt fieri sibi praefatus Rex et Regnum Poloniae, bel-
lorum pericula, vastitates terrarum, strages fidelium
ac scandala maxima, ut asserunt, sequerentur, quae modis
omnibus evitanda sunt. Praeterea cupientes ut tenemur,
tantam pestem, tantumque periculum avertere a populo
Christiano, Excellentiam tuam charitative monemus,
et ex corde requirimus et rogamus, per misericordiam
Jesu Christi, ut in hac causa nihil facias festinanter,
et sine deliberatione matura, et inconsulta Ecclesia, ne
necessarium nobis sit postea, qui non possumus, laesis po-
stulantibus, negare iustitiam de violatione iuramento-
rum et favorum praescriptorum cognoscere, et forsan, nos co-
gente iustitia, revocare, si quae perperam facta essent, cum
tanto scandalo populi Christiani, quod tui causa suscitari
non vellemus, ne fama tua, quae ubique clarissima est, lae-
datur, et anima tua tanti peccati pondere praegravetur, et
reus in extremo iudicio malorum omnium, quae necessa-
rio sequutura videntur, valeas denotari. Quare fili
dilecte, in hac tam periculosa materia moderari volun-
tatem tuam, et in hac parte nostris paternis monitionibusque
et consiliis acquiescas. Nos enim te propter Excellentiam tuam,
et bona eximia et singularia, quae fecisti in propagatione
fidei Christianae, magnificamus probitatem tuam, et te pa-
terna charitate diligimus, ac dignitate Regia dignissimum
iudicamus

indicamus, sed vellemus personam tuam cum pace, sine scan
dalo, sine iniuria et sine dissordia fratris tui talibus ornamen
tis ornari sicut alias scripsimus generositati tuae. Datum Ro
mae Idibus Novembris Pontificatus nri anno 14

Bohemis Hussitis, Slesiae Ducatibus, igne et gla
dio vastantibus Joannes Monsterbergensis Dux, qui Eliza
beth Relictam Spythkonis Melstynski Palatini Cracoviensis
habebat in consortem, resistentiam oppositurus occurrit, et Sle
siae militibus illum adiuvantibus pugnam in die Sancti Joannis
Evangelistae prope Gloczsstaicum conserit. In qua militibus
Slesianis illum deserentibus, ut Ducali sanguini convenens
erat, occiditur, et Hussitae castris suis et rebus plurimis poti
untur. In die Sancti Antonij oppidum Olawa, quod a
praesidio Hussitarum tenebatur, a Slesitis captum et incen
sum est, et plures Hussitae illic necati. Capta sub eodem tem
pore plura Slesiae oppida ab Hussitis, videlicet Cruczborh
quod Dobeslaus Puchala Polonus, item castrum et oppidum
Nyemcz quod Petrus Polyak, item oppidum Glywicze quod
Sigismundus Koributh Dux, in gubernationem acceperant.
Ex his autem oppidis plurima spolia, incendia, depraeda
tiones, terris Slesiae irrogata sunt, Et licet Wratislavienses
cum Swidnicensium auxilio oppidum Nyemcz circumval
lassent, capto tamen irrito discesserunt. In die Sanctae Eli
zabeth castrum Wratislaviensis Ecclesiae Ottmuchow, Hus
sitis tradit Nicolai Haczslaw alias Aczenow Slesitae,
dictum est. qui sequenti anno captus et capite truncatus
paenas violatae fidei dedit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS TRICESIMUS.

Natali Domini anni huius Vladislaus Poloniae Rex
Cracoviae Radom celebrato, pro diebus Carnisprivij in Jedlnam
advenit. Quo cum frequens consilium Praelatorum et Ba
ronum Poloniae ad suam Serenitatem fuisset congregatum,
Vladislaus Poloniae Rex attenta Praelatorum et Baronum

erga se

erga se et natos suos fide, assistentia, et constantia, post
varias deliberationis tunc digestas, novis gratijs et
praerogativis praemiando eorum opera, Regnum libertat,
et omnibus Ecclesijs Cathedralibus, item omnibus Mona
sterijs, claustris, quorumcunque ordinum, item omnibus lo
cis Monialium, item omnibus Ecclesiasticis personis, sta
tionis quocunque modo introductas relaxat, et omnes Eccle
sias Regni sui, personasque Ecclesiasticas a stationibus re
galibus in totum liberat, et absolvit. Item omnes abusus
et gravamina Regnum praementia sustulit, plures arti
culos qui saepius revocabantur in dubium deliberans
et declarans, quemadmodum in ipsis literis, quarum
tenor hic insertus est, latius continetur

Privilegium libertatum a Vula dislao Rege concessarum.

Wladislaus Dei gratia Rex Poloniae, nec
non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae,
Lanciciae, Cuiaviae, Lithuaniae Princeps su
premus, Pomeraniae, Russiaeque Dominus et haeres.

Significamus tenore praesentium quibus expedit universis,
quomodo libramine verae rationis pensantes intemeratae fi
dei et insuperabilis virtutis constantiam, quibus incolae
Regni nostri Poloniae in bellis, et in certaminibus, quae cum
prosperis, auspice Domino, nostrorum triumphorum successibus,
saepe saepius pro defensione nostra et Regni ejusdem, hostium
sustinendo insultus, suscepimus, placere nobis meruerunt, et
votis nostris observatione fideli, non absque varijs peri
culis corporum, et extenuatione rerum, devota subiectione
ubique paruerunt, et semper horum intuitu, et aliorum con
templatione meritorum, quae excelsa dona nostrae munifi
centiae non indigne promerentur, volentes etiam ut
benevolentia eorum, et fidei affectus, quos cum tanta
sinceritate in filios nostros, praeclaros principes Vuladi
slaum

slaum et Casimirum direxerunt. Quorum unum quem aptio
rem ad regimen Regni cognouerint, quem nostris requisitioni
bus admoniti, sibi expleta vita nostra periodo, pro Rege, Principe,
Domino, et haerede Regni huius Poloniae, et terrarum Lithua
niae et Russiae, quas praeclarus Princeps Dominus Alexander,
alias Vitoldus, magnus Dux Lithuaniae, frater noster
charissimus, prout in praesentiarum possidebat, debet ad tempo
ra vitae suae possidere, et post obitum eius ad nos et filios
nostros ac coronam vera et haereditaria successione deuolui,
sicut patentibus literis ad hoc confectis latius continetur,
deuote et humiliter susceperunt, et corona Regni sceptrisque
Regalibus, cum solennitate Ceremoniarum debita, promise
runt tanquam verum et legittimum successorem, postquam
aetatem legittimam haberet insignire; dignis pro grata vi
cissitudine Regiae Celsitudinis, muneribus compensantur.
Omnia iura et ipsorum Priuilegia, quae dudum circa coro
nationem nostram, et alijs postmodum momentis et tempo
ribus ipsis concessimus, vel quae eis alij Reges et Principes
veri haeredes Regni Poloniae, nostri Praedecessores, ab antiquis
temporibus concesserunt, patrocinio praesentis nostri Priuilegij
ratificamus, approbamus, renouamus, et confirmamus,
sub infrascriptorum moderamine articulorum, quorum re
gulationem, ~~si qua obscura~~, tenor praedictorum Priuilegiorum
comprehendit, si quae obscura sensum recipiunt clariorem,
et ambigua omni dubietate carebunt, per quae intellectus
confundi, et nasci errores consueuerunt. Primo quidem quod
vniuersas aedes sacras, seu Ecclesias, in omnibus eorum iuri
bus, immunitatibus, et libertatibus, a metis et distinctionibus
antiquis, quibus temporibus Diuorum praedecessorum nostrorum
Poloniae Regum et Ducum fruebantur, volumus omnimode
conseruare, Dignitates autem Ecclesiasticas et saeculares
Regni Poloniae aequo modo circa iura et consuetudines ac
libertates ipsarum, quae et quas temporibus Serenissimo
rum Principum, Dominorum, Casimiri, Ludouici, et aliorum
Regum et Ducum, haeredum Regni Poloniae obtinebant, di
mittimus persistere et permanere. Quas quidem digni
tates

tatis, cum vacare contigerit, nulli extraneo terrigenae, nisi nobili bene merito, et in fama laudabiliter conseruato, illius terrae, in qua dignitas huiusmodi vel honor vacauerit, terrae videlicet Cracouiensis, terrigenae Cracouiensi, Sendomiriensis, terrigenae Sandomiriensi, et in maiori polonia terrigenis Poloniae maioris, et sic de alijs terris Regni Poloniae dabimus vel quomodolibet conferemus. Super quibus etiam dignitatibus Ecclesiasticis et saecularibus literas expectatiuas nulli personae dabimus in futurum. Et quod praedictas dignitates tam Ecclesiasticas quam saeculares non debemus minuere, nec etiam suffocare, et possessiones, et census, et salaria ad eas pertinentia iuris debito examine non auferre. Item quia per tenutarios castrorum et fortalitiorum alienae gentis et extraneae nationis regimen in se et suis partibus crebris periclitari contingit, pro eo, et ex eo, nulli Ducum et de Ducali genere descendenti, seu extraneo alienigenae cuipiam, aliquod castrum, fortalitium, aut ciuitatem ad regendum pro tempore, vel in aeuum, dabimus, consignabimus, aut quomodolibet conferemus. Nec etiam aliquem talium in Capitaneum, aut tenutarium terrae alicuius, aut terrarum Regni nostri praedicti praeficere, nec etiam surrogare. Item permittimus insuper et spondemus quod dum ad requisitionem nostram nobiles nostri Regni extra metas eiusdem Regni nostri ad repellendum hostium saeuitiam transire contigerit, ipsis satisfactionem condignam pro captiuitate caeterisque damnis notabilibus faciemus. Metas vero seu granicies saepedicti Regni memorati Nobiles ab insultu et incursu, cum eorum tum hostium, proprijs damnis et sumptibus tueri debent, et omnimode tueantur. In casu vero quo aliquis aemulus Regni nostri quorumque modo ipsum intrauerit, et cum eodem conflictum intra limitas eiusdem Regni, terrigenas nostros facere contigerit, eisdem terrigenis pro captiuitate duntaxat

duntaxat. Si vero extra metas ad ipsum fuer. contigerit,
tunc et pro damnis, si quae quod absit incurrerent, et pro ca
ptivitate satisfactionem condignam impendere. Captivos
autem quoslibet quos extra metas et intra Regni praedicti,
per nostros terrigenas capi contigerit, pro depactatione per
vestimentaptivos nobis faciunda retinere volumus penitus
et habere. Item promittimus, quod si tempore se offerente
et necessitate urgente in spem alicuius expeditionis futurae
contra hostium et aemulorum insultus, et hostilitates, terri
genis nostris pecunias videlicet quinque marcas super ha
stam quamlibet dare vel distribuere nos contingat, Casu
vero sed successu temporis offerente, dum infra spacium
duorum annorum post distributionem pecuniarum sicut prae
mittitur factam, ad expeditionem non processerimus, extunc
iidem terrigenae ab huiusmodi pecuniis, servitiis, ratione
praedictarum pecuniarum faciendis, erunt soluti penitus
et exempti. Si autem infra decursum eorundem duorum
annorum ad expeditionem cum eisdem terrigenis nostris
transitum fecerimus, et extra metas Regni cum expeditione
processerimus, extunc iidem terrigenae ab eisdem pecuniis
et servitiis praetextu earundem similiter sint soluti. Item pro
mittimus pro inclitis filiis nostris praedictis, quod postquam
dante Domino, unus illorum in Regem electus, sceptra
Regni amplectetur, monetam ex quorumque genere metalli
absque consensu et consilio speciali Praelatorum, et Baronum
Regno Poloniae cudere non permittet, quemadmodum nos
sine ipsorum consensu et consilio huiusmodi monetam cu
dere noluimus, nec cusimus. Absolvimus insuper et per
petuo liberamus omnes et singulos omnium terrigenarum
nostrorum kmethones ab omnibus solutionibus, contributio
nibus, et exactionibus, vecturis, laboribus, equitaturis,
podwody dictis, angariis, gravaminibus, frumentorum da
tionibus dictis Szip vulgariter, praeterquam duos grossos
monetae usualis Polonicalis, et in Regno Poloniae commu
niter decurrentis, quos quidem duos grossos quilibet kmetho
praedictorum

praedictorum terragiorum de quolibet laneo possesso, etiamsi
illum plures personae possideant, Sculthetis eorum et servito
ribus, quos ab huiusmodi solutione duorum grossorum esse
volumus liberos et exemptos, Nec non molendinatoribus, ta
bernatoribus, et hortulanis nec colentibus agros, hoc est
mansos, seu laneos integros, vel medios duntaxat, exceptis
atque exemptis, singulis annis in futurum in festo Sancti Mi
chaelis Archangeli usque ad diem Sancti Nicolai solve
re sit adstrictus. Si autem praedictorum Molendinatorum
vel tabernatorum sive hortulanorum aliquis integrum la
neum agrorum coluerit, tunc ad solutionem duorum gros
sorum, si vero medium laneum ad solvendum unum
grossum similiter monetae praedictae nobis sint adstricti:
ad quos quidem duos grossos monetae suprascriptae, alias
Serenissimo Principi Domino Ludovico Regi Ungariae et
Poloniae solvere liberi se submiserunt. Quod si infra prae
fixum terminum nobis aliqua villa pecunias huiusmo
di solvere neglexerit, extunc exactor noster, quem pro ea
dem exactione tollenda duximus deputandum, in eadem
villa unum bovem ratione non solutionis, absque spe resti
tutionis, habebit recipiendi facultatem omnimodam. Si ve
ro infra quatuordecim dies post eiusdem bovis receptionem
eadem villa et quaevis alia dictam pecuniam non solverit,
extunc exactor noster duos boves, consimili modo sine spe re
stitutionis recipiet atque tollet. Memoratus etiam exactor
pecuniarum praedictarum praetextu notae quod Napyszne
dicitur, nihil exigat, neque tollat, et nihilominus literas
suis kmethonibus quittet de solutis. De civitatibus au
tem antiquis et novis tempore regiminis nostri locatis
sic statuimus, quod illi cives seu oppidani qui civitatem
cum uxore filiis et familia inhabitat, et agrum solus vel
per suum hortulanum aut agricolam colit, non teneatur ad
praedictam Poradlne pensionem. Sed si ante oppidum vel
civitatem resideret, solvat praefatam Poradlne pensionem,
ac si in villa resideret, non obstante quod ad ius et Jurisdictio
nem

nem eiusdem Oppidi seu Civitatis pertinere, vel cuiuis onera subferre persuadeatur. Item spondemus quod in nulla terra totius nostri Regni Poloniae iusticiarium constituere volumus, vel quomodolibet surrogare. Postremo promittimus singulos articulos et clausulas, nullo vero fallitatis depravatos Serenissimorum Principum Dominorum Casimiri et Ludovici, ac omnium aliorum Regum, Ducum, ex vera successione Sanctorum antiquorum, Regni Poloniae Ecclesijs, terrigenis, civitatibusque, concessis nostrorum praedecessorum contentas, praesertim commodum et profectum nostrum Regniqus Poloniae saepefati, et ipsius incolarum concernentes, firmiter et inviolabiliter perpetuis temporibus observare et tenere. Item pollicemur quod nullas stationes seu procurationes vel descensus in civitatibus, villis, et haereditatibus, cuiusque ac praedijs Ecclesiarum, Nobilium, et terrigenarum nostrorum faciemus, Si vero casualiter oportunitate et necessitate nos cogente, stationem in bonis, civitatibus, castris, aut cuiusque Ecclesiarum, vel nobilium nos facere contigerit, extunc nihil ab, vel potentia recipere faciemus, vel quomodolibet facere recipi permittemus, quaeque necessaria nostris pecunijs proprijs volumus comparare. Caeterum promittimus et spondemus quod nullum terrigenam possessionatum pro aliquo excessu seu culpa capiemus seu capi mandabimus, nec aliquam vindictam in ipso faciemus, nisi iudicio rationabiliter fuerit convictus, et ad manus nostras, vel nostrorum Capitaneorum per Iudices eiusdem terrae, in qua idem terrigena residet, praesentatus. Illo tamen domine, qui in furto, vel in aliquo publico maleficio, ut pote incendio, homicidio voluntario, raptu Virginum et mulierum, villarum depopulationibus et spoliationibus deprehenditur, similiter illis qui de se nollent debitam facere cautionem vel dare iuxta quantitatem excessus vel delicti, duntaxat exceptis, Nulli autem bona seu possessiones recipiemus, nisi fuerit iudicialiter per Iudices competentes vel Barones nostros nobis condemnatus. Item promittimus, quod omnibus terrigenis cum bonis et haereditatibus nostris gratias postulantibus ac petentibus non dene-

gabimus

gabimus. Item pollicemur quod omnes terras nostras Regni Po
loniae etiam terram Russiae includendo, salvis tamen avenae con
tributionibus, de quibus nobis ad tempora vitae nostrae sola
Russia respondebit, ad unum ius, et unam communem omni
bus terris reducemus, reducimusque, adunamus, et unimus, te
nore praesentium mediante. Item attendentes quod dicti nostri
Regnicolae et inhabitatores Regni in favorem nostrae Maiestatis
Privilegijs ipsis per nos et nostros successores concessis, quandoque de
rogarunt, eadem ipsorum Privilegia nostra, et Praedecessorum
nostrorum Regum et Ducum et haeredum legittimorum et ve
rorum Regni Poloniae praedicti, ad statum priorem reducimus,
reintegramus, restauramus, ac praesentis scripti patrocinio
confirmamus, ratificamus, et declaramus, ipsas robur obti
nere firmitatis. Item si qui terrigenae aut quivis alij incolae
Regni Poloniae praedicti pendente lite in iudicijs pro quibuscunque
causis concordare voluerint, a paenis nostris ac Iudicum,
et Subiudicum, Palatinorum, et Castellanorum, eosdem liberos
facimus et solutos. Item promittimus quod nullas paenas super
nobilibus, ad quas nobis iudicialiter fuerint condemnati, exi
gendas dabimus, sed eas per nos aut nostros Capitaneos
vel officiales exigemus et exactas iuxta beneplacitum no
strum convertemus. Item omnes incolae terrarum Cuiaviensis
et Dobrzinensis de avena soluta quam nobis solvere consueve
runt, ad decem annos duntaxat nobis respondere sint astri
cti, quibus revolutis ab huiusmodi avena liberi sunt et
exempti. Item Notarij terrestres ad Officium Notariatus
promoti, semper soli iudicijs et non per aliquos surrogandos
vel subscribas resideant, ubi commode potuerint, aliâs lice
re eis habere substitutos, quos Baronibus, iudicibus terra
rum, in quibus officia huiusmodi possident, substituendos,
praesentare teneantur, Et quod tales sint bonae famae, et a di
ctis Baronibus et Iudicibus ad huiusmodi officium appro
bati, aliâs nobis continuo hac ipsorum officia, alijs habilio
ribus et magis assiduis conferre erit liberum, nulla autem
huius causa nisi ardua, absentiam notariorum poterit excu
sare

sare. Harum quibus sigillum nostra Maiestatis est appensum testimonio literarum. Actum in Jedlna Sabato ante Dominicam Invocavit Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo praesentibus Reverendis in Christo Patribus et Magnificis et nobilibus, Alberto Sanctae Ecclesiae Gnesnensis Archiepiscopo, et Primate, Sbigneo Cracoviensi, Joanne Vladislaviensi, Stanislao Posnaniensi, Joanne Chelmensi Episcopis, Joanne de Tharnow Cracoviensi, Sandivogio de Ostrorog Posnaniensi, Nicolao de Michalow Sandomiriensi, et Castellano Cracoviensi, Andrea de Domabórz Calisiensi, Stiborio de Borzislawicze Lanciciensi, Jarando de Brudzewo Vladislaviensi Palatinis, Petro Bnino Gnesnensi, Michaele de Czyszow Sendomiriensi, Petro de Zyrnik Halisiensi, Floriano de Corczbuga Visliciensi, Martino de Kalinowa Siradiensi, Dobkone de Olesznicza Wojnicensi, Sbigneo de Alzomonte Rospiriensi, Joanne de Kretschkow Dobrzinensi, Joanne de Lissin Srzemensi, Dobrogostio de Colen Camyensi, Joanne de Laszczynicze Santoriensi, Castellanis, Petro Safranicz Cracoviensi, Petro Corczbog Posnaniensi, Andrea Czolich Sandomiriensi, Dobrogostio de Szamotuly Calisiensi, Alberto Malski Lanciciensi, Vincislao de Gostawo Brzestensi, Andrea Donin Vladislaviensi, Andrea de Lubin Dobrinensi, Succamerariis, Paulo de Bogumilowicze Cracoviensi, Joanne de Syrowa Sandomiriensi, Andrea de Ludbranicz Brzestensi, Matthia de Suchodol Lublinensi, Judicibus, Martino de Rogy Cracoviensi, Nicolao de Plesthow Calisiensi, Jacobo de Strzigiew Dobrinensi Vexilliferis et aliis militibus nobilibus in generali Paralamento seu conventione constitutis. Datum per manus praedicti Reverendi Patris Domini Joannis Episcopi Vladislaviensis Regni Poloniae Cancellarii, et Venerabilis Vladislai de Oporow Decretorum Doctoris, Praepositi Lanciciensis, et Sancti Floriani ante Cracoviam, eiusdem Regni Vicecancellarii

Sciens autem Dux Vuitoldus in Jedlna, et Vladislaum Regem et Praelatos Baronesque Poloniae convenisse, scribit Praelatis et Baronibus Poloniae

nia literas, ingeminans plures querelas de Vladislao
Rege, qualiter ipsum coram Summo Pontifice et Regibus
Catholicis dehonestaverit, notando eum de corona Lithua-
nia, in praeiudicium Regni sui, ambitione, non attendens,
quod ipsum ad dandum consensum praedictae Coronationi
ipsemet pluribus precibus et illexerit et pertraxerit. Itaque
ad respondendum Sbigneus suis literis, et ad corripien-
dum eum, quod a Praelatis et Boyaris Lithuaniae noua
iuramenta contra statum Regis et Regni Poloniae tenden-
tia exigeret, et castra vicina Regno Poloniae firmaret,
Sbigneus Episcopus Cracoviensis et Nicolaus de Mi-
chalow Palatinus Sendomiriensis Lithuaniam tertio
ad illum mittuntur. Qui in Grodno pro diebus Pascha-
ipsum aggressi verba nomine Regis faciunt. Non esse Re-
gem Vladislaum eius dementiae, ut velit eum, cum quo
unius spiritus semper fuit, et cuius commodis et amplitudini
favebat, confundere. Sed si coram Summo Pontifice et Ca-
tholicis Regibus questus est, id egit necessitate impulsus,
ne iuri suo per coronationem nouam fieret praeiudicium
Sigismundi Romanorum Regis authoritate, quam per Apo-
stolicam sedem operepretium erat rescindi et abrogari. Cor-
ripiunt quoque illum de nouorum iuramentorum exactione,
et castrorum firmatione, Rogant et admonent parumper
ab ambitione coronae ad puriorem cogitationem cognitio-
nemque animum. A quo pro responso accipiunt, nihil se
contra statum Regis et Regni machinari, nec ideo iura-
menta exegisse, aut castra firmasse, ut velit hostium se Re-
gno professum bella movere, sed quod prospiciebat sibi ne
aliqui hostes occuparent eum incautum, cum certus erat
Bohemos haereticos Vladislaum Poloniae Regem crebris
nunciis et precibus pulsasse, ut illis per Regnum suum
contra Prussiam et Lithuaniam transitum permitteret.
Et sane Bohemorum petitionem Vladislaum Regem in
eam dum contra morem suum sumpsisse, et ab ipso Duce
Vithaudo celasse. Talem responsionem callidam et

vafram

vafram magis quam fidelem et puram Dux Vuitoldus
dicat legatis Regijs ad colorandum id quod antea iam animo
de coronatione sua, et resistentia Regno Poloniae faciunda
sumpta corona agitabat. Neque enim Vuladislaus Poloniae
Rex fuisse scitus est tantae crudelitatis et dementiae ut
Haereticos Bohemos aut in Litthuanos, quos summa dili
gebat charitate, aut in Cruciferos cum quibus pacem per
petuam observabat, permitteret grassari. Sed ut vulgo
aiunt Vuitoldus Dux nodum quaerebat in scirpo, neque
animus suus cupiditate coronae illectus, quibusvis incidenti
bus rationibus sanari poterat, cum res secundae naturam
quoque suam ut fit in deteriora commutassent. Speciosioraque
magis quam tutiora dantibus consilia credidit, praecipi
tandus a pessimis consultoribus vel potius assentatoribus
nisi Deus illum de medio sustulisset

Ex Iedlna Vuladislaus Poloniae

Rex per Sendomiriam et alia loca transitum agens in Cra
coviam devenit, ubi commoratus aliquot diebus in partes
maioris Poloniae per stationes solitas processit, et festum Pa
schae in Calisz egit. Existimantes autem quidam Nobi
les Poloniae, qui patrimonia sua nimis prodige effuderant,
et aere alieno tenebantur, claustrum Czestochowa alias
clarum montem Ordinis Sancti Pauli primi Heremitae ma
gnis thesauris et pecunijs locupletissimum esse, eo quod illuc ex uni
verso Regno Poloniae, et partibus vicinis, Slesia videlicet,
Moravia, Prussia, Ungaria, in festivitatibus Sanctae Ma
riae, cuius in loco illo rarae et devotae sculpturae habebatur
imago, fiebat concursus, propter stupenda prodigia quae
in curatione languidorum per suffragium Dominae nostrae
in loco illo contingebant, assumptis ex Bohemia, Moravia,
et Slesia latronibus, in die festo Paschae in Monasterium
praedictum irruunt. Et thesauris non repertis, fraudati
spe sua, in sacra vasa, calices videlicet, cruces, et orna
tus, manus violentas injiciunt, Ipsam etiam imaginem
gloriosissimae Dominae nostrae auro et gemmis, quibus devo
tione fidelium vestita erat, spoliant, nec spolio contenti,

vultum

vultum imaginis per transversum mucrone transfigunt, ac tabulam cui imago inhaerebat frangunt, ut non Poloni, sed Bohemi ex operibus tam crudelibus et nefariis indicarentur. Tali nefario opere expleto, magis infames quam divites, ex Monasterio, paucis onusti praedis egrediuntur, Res ipsa longo tempore per Bohemos Sarcitoros, qui in Slesiae Oppidis et castris Poloniae vicinis conservant, putabatur patrata, et iam tam Wladislaus Rex quam Barones Poloniae de bello Bohemis inferendo, animum intenderant, Discusso tamen negotio et veritate comperta, in Nobiles Poloniae maleficos graviter animadversum est, et plures in vincula coniecti. Sed et divinae indignationis vindex gladius, genitricis suae infamiam non tulit, omnes enim fere qui summo de sacrilegio se foedaverant, intra annum turpi nece extincti sunt. Erant autem huius facinoris capita, Jacobus Nadobin de Rogow, de domo Dzyalyossa, Joannes Cropatwa de Laczorkow de domo Szrzenyawa, quos Wladislaus Rex captos turri aliquanto tempore apud castrum Cracovienn incluserat, Item Fedorcg Russiae Dux.

Festo Pascha in Calisz exacto Wladislaus Poloniae Rex, in caetera partium Maioris Poloniae loca providens, festum Assumptionis Sanctae Mariae in Przedborz egit. Exinde cum quarta die in Andrzeiow pervenisset, affertur illi laetus nuncius. Joannes Czarnkowski Succamerarius Posnaniensis miles nobilis de domo Nalecz, is siquidem ex mandato Regio cum possessiones suas, vicinas Saxoniae, et novae Marchiae haberet, transitum Ambasiatorum Sigismundi Romanorum Regis cum corona in Litthuaniam, quos iam notum erat cum coronis et literis Viennam exiisse, et per Saxoniam versus Prussiam iter facere, observabat, positis in pluribus viis et passibus, vigili et armata custodia. Nec parcebat exploratoribus et Nuntiis, sed in omnia loca, per quae verisimiliter Nuntii

praefati

praefati forent transituri, suos mittebat, abunde illis largius expensas. Ad coronandum enim Ducem Vuitholdum et consortem suam Iulianam, consignatus fuit primus dies Assumptionis Sanctae Mariae, sed Nuntiis cum coronis tardius venientibus, iterum alia dies, videlicet Sanctae Mariae Nativitatis in Vilna consignabatur. Et Dux Vuitholdus plures Principes Russiae, videlicet Mosquensem, Twerensem, Odoyowiensem, Magistrum et Principaliores Commendatores Prussiae, et Tartarorum Imperatorem invitaverat. Itaque nihil dubium erat Nuntios cum coronis propediem venturos, de quo et literis et Nuntiis Sigismundus Rex Vuitholdum Ducem certificaverat. Et quo amplius esset de Nuntiorum adventu, et coronarum allatione certus, Baptistam Czigalla utriusque Iuris Doctorem militem Italicum Ianuensem, et Sigismundum Roth Almanum Slesitam, ante Nuntios Coronam deferentes, praemittit, in finem, ut non solum Nuntios cum coronis venientes denunciarent, sed etiam ut vacillantem Vuitholdum multorum suggestione de potestate Romanorum Regis, an creare aliquem in Regem posset, confirmarent, et Scripturarum authoritatibus docerent, et delucidarent. His quoque literae omnes, coronationem ad perpetuam rei memoriam firmantes committuntur, ut illas Duci Vuitholdo perferant, et praesentent, haesitantemque et dubium securent. Adfuit divina bonitas Wladislao Regi et suo Poloniae Regno, protegens illum a laqueo, quem sibi Sigismundus Rex Romanorum per huiusmodi Coronationem et ligam cum Duce Vuitholdo Cruciferis inclusis initam tetenderat. Praedicti enim Nuntii Baptista et Sigismundus Roth, dum Saxoniae terris superatis, Prussiam ingredi deberent, in custodias et gentes Regis per praedictum Ioannem Czarnkowski ordinatas et locatas, facientes excubias inciderunt, et capti, omnibus literis quas ferebant, armis, et equis exuti, et sponsione facta quod se in Czarnkow pro certo die repraesentarent, parum prudenter dimissi, quos iustum erat in profundam caliginem carceralem detrudi. Obliti honoris, et

iuris

iures gentium, obliti sponsionum, ad Ducem Vuitholdum
in Lithuaniam per Prussiam deducuntur, et filio quod illis
simul cum captivitate acciderat relato, amplissimis verbis
spem bonam repromittunt, et aequo animo sit persuadent,
nec moveatur tam levi adversitate, nuntios cum coronis
pro die constituto nihil dubitet venturos, Ducemque Vui
tholdum, per se alioquin fervidum ad comprehendendum
regalis coronae fastigium, assiduis persuasionibus et stimu
lis incitabant. Dux Vuitholdus etsi ut Princeps industrius,
gnarusque omnium, quae subsequi debebant, sciens Polonorum
animos feroces esse, fingit vultum se habere hilarem, ne
hospites iam corrogatos et praesentes pro sua coronationis
solennitate contristet. Gravi tamen dolore intrinsecus, a se
tamen artificiose tecto, grandis suae ad irritum cadentis
spei, torquebatur, qui illi, ut in sequentibus narrabimus,
primum morbum corporis, deinde mortem conflavit. Vladi
slaus Poloniae Rex apertis fractisque literis, quas ad
eum praefatus Czarnkowski in Andrzeiow detulerat,
summa diligentia continentiam earum singillatim recense
bat. Multae admodum erant literae tum secretae tum pa
tentes, quibus creatio Ducis Vuitholdi in Regem Lithua
niae, processus omnis coronationis et unctionis, Vuitholdi
et consortis suae Julianae in Regem et Reginam, et liga per
petua Regnorum Ungariae et Bohemiae cum Lithuania,
Cruciferis de Prussia et Livonia in societatem huiusmodi
receptis, continebatur. De Rege et Regno Poloniae crebra
mentio, quae vel sugillaret vel carperet statum eorum.
Multa quoque alia clandestina ansamenta, quae speci
em tractamentorum habere videbantur, Hilaris tali
successu Vladislaus Poloniae Rex Joannem Czarnkowski
de fide et sinceritate in se et Regnum commendatum, altis
largitionibus atque donis remunerat, Laeta universo Regno
haec fuit novitas, singuli quoque Joannem Czarnkowski pro
tanta fide et opera in patriam miris laudibus ce
lebrant.

At

At quoniam ex literis Sigismundi Regis Romanorum taliter interceptis, certum erat Nuncios notabiles tum ex parte imperij tum ex parte Vngariae et Bohemiae Regnorum cum Coronis per Saxoniam versus Prussiam transitum facturos, et ex parte quidem Imperij mittebatur Archiepiscopus Mandeburgensis, ex parte Regni Vngariae Petrus Jugo filius Henrici Tauernicorum Regalium Magister, Laurentius de Hedrewar Agazonum Regaliū Magister, ex parte Regni Bohemiae Dux Przemko Oppauiensis, et Potsa de Potstenstein Bohemus, specialibus legationibus pro Imperio et Regnis apud Vuitoldum Ducem vsuri, quasi concordi voto et consensu imperij et Regnorum praedictorum Coronatio ipsa debuisset promulgari, extolli, et insigniri. Itaque Vladislaus Poloniae Rex eundem Joannem Czarnkowski vice versa ad obseruandum strictius et diligentius omnes vias, per quas Nuntij cum Coronis ituri forent, remittit. Sed is graui et aduersa valetudine correptus, commissa exequi non potuit, Barones autem et Nobiles partium Maioris Poloniae videlicet Sandivogius de Ostrorog Palatinus et Capitaneus Posnaniensis, Dobrogostius de Schamotuly Posnaniensis Castellanus, Januschius de Brudzewo Palatinus Vladislauiensis, et clara patriae Sydera iuuentus, certificati ex literis interceptis de Nuntiorum qui coronas ferebant aduentu, quasi ex composito nullo monente aut mandante arma alacrime sumunt, et cum potentia notabili et exercitu validissimo stationes in solitudine, in loco qui Turzagora vocatur, ponunt, progressuri ad comprehendendum Nuntios Romanorum Regis, quocunque res postularet, penetraturi etiam vsque ad vltima maris et prohibituri Regni Poloniae dismembrationem. Nuntij itaque praefati cum Coronis, auditis quae gerebantur, et consternati animo, quod omnes eorum Nuntij licet per varia itinera missi, per Polonorum excubiatores capiebantur, deliberatione sumpta, licet iam ex Nuremberga in Francofordiam supra Oderam et vsque in Lossem venissent, et illic plus quam duobus mensibus fuissent immorati, pauore nimio perculsi, ne cum dispendio rerum

etiam

etiam captivitatem factam incurrerent, ultra progredi
non audebant, sed citato cursu non sine notabili formidine ad
Sigismundum Romanorum Regem per viam qua venerant
regrediuntur, Coronas missas et munera secum referentes.
Continuabat autem exercitus maioris Poloniae stativa sua
in loco praefato mensibus duobus et diebus octo, nec inde di-
scedere animus erat, donec Nuntij cum coronis vel capti
vel repulsi fuissent. Itaque Prussiae Magister Paulus Rusdorff
formidine huiusmodi exercitus actus, ne omnis moles huius-
modi motus, quoniam faverit et coronationi Vuitsaudi et transi-
tum Nuncijs cum coronis per terras suas permittebat, ver-
teretur, mittit Nuntios, qui quaererent a Baronibus et Ca-
pitaneis exercitus, an eos deberet extimare amicos vel hostes,
et si quid molituri sint contra eum aut terras suas ad-
versi. His responsum est, non esse sibi praeiudiciale, si exercitus
Poloniae intra fines Regni se continens sederet, rebus suis provi-
sionem necessariam opponens, si hostem eum experiri Magister
Prussiae deberet, in tempore se denuntiaturum. Nec abs re
Magister Cruciferorum Paulus de Rusdorff Legationem ipsam
ad Polonos transmiserat, intelligens se iustam illorum ho-
stilitatem demeruisse. Neque enim tantummodo Alexandrum
Vuitaudum Ducem ad acceptandum Coronas, vel potius ad
scindendum Regnum Poloniae suis animabat suggestio-
nibus, sed et cum multis armatorum millibus stabat pa-
ratus, nuntios cum Coronis venturos, si progredi perseve-
rassent per gentes suas huiusmodi et Capitaneos eius prae-
fectos, quamvis tunc solus in Vilno et Lithuania ageret,
conducturus.

Dux Vuitsaudus certificatus exer-
citum Maioris Poloniae in Turzagora ad capiendum coronas,
quae sibi et consorti suae Iulianae cum magnis muneribus de-
ferebantur, consedisse, anxiari animo coepit haud quaquam
varijs gravioris curae et sollicitudinis, cum exercitus Po-
lonicus in Turzagora consistens, formidinem illi auferen-
dae, vel saltem impediendae coronae incuteret, unde nec a se

a verbis

a verbis continuit, Itaq; ad Polonos, qui proposito suo fave-
bant, conversus dixisse fertur, Vereor, inquit, exercitum maioris
Poloniae turpem mihi alaturum diem et sequestraturum me ab
honore meo. Cum vero Poloni paucitatem exercitus obyciendo,
metum suum extenuare contenderent, et Nunciorum coronas fe-
rentium parem esse potentiam allegarent, Vana est, inquit,
consolationis vestrae persuasio, nam ubi pares Nunciorum
potentia, Poloni essent, quod minime reor, ferociora pectora,
et mori destinata, etiam cum ampliori potentia confligere
non dubitabunt. Haec Vitoldus velut princeps prudens
et expertus loquebatur, nec eum fefellisset opinio, si Nuntij
cum Coronis magis progredi quam regredi elegissent. Interea
Dux Vitoldus de adventu Nunciorum cum coronis ven-
turorum, spem aliqualem gerens, ad Coronationis suae solemnia
diem videlicet Nativitatis Sanctae Mariae multos Brun-
tij principes, Magistrosq; Prutenorum, et Livonienses cum
eorum commendatoribus invitaverat, Quibus in Vilno
convenientibus, et Coronas operientibus cum ingenti gra-
tulatione, literae Ambasiatorum offeruntur, significan-
tes se propter Polonorum potentiam a metis Poloniae usq;
ad mare Oceanum protensam, et excubias diligentissimas,
etiam in terris exteris positas retrocessisse. Dux Vitoldus
contra spem nuntio accepto, quod Polonorum exercitus apud
Turzagora excubias in campestribus ageret, et illius Nuntij
Caesarei Coronas ferentes reversi essent, stupore primum et
indignatione, ut post eum apud Polonos omnia venum ire
in animo habebat, deinde dolore ingenti exagitari coepit.
Tum primum Vitoldus Dux, quod sibi parum credibile
videbatur, pro comperto habuit, Polonis obsistentibus non
posse consequi Regium Diadema, quorum et ipse, quamvis
tunc hostis, efferebat virtutem, quod et Romani Imperij
et duorum Regnorum spretis, et nihilopensis potentijs,
libertatem et integritatem patriae lacerari non sinebant.
Ruborem autem quem ex praesentia invitatorum, et re-
trogradatione Legatorum conceperat diminuturus, invi-
tatos omnes usq; ad diem Sancti Michaelis spes suas
impleri existimans, detinuit. Quo lapso, spem omnem
deponens

desponnis, et fastigio regali se destitutus, quam conveniebat, frustratum se dolens, licentiatis advenis invitatis, et hospitibus, prae nimio dolore et taedio, morbum sibi, qui Antrax nominatur, conscivit. Non omisit tamen et tunc Vitholdus Dux cupiditatem coronae magnopere expetere, quamvis advertisset, super gratiam et pecuniam suam in Polonos effusam, maiorem facti et ambitionis suae invidiam accessisse. In animo enim suo alioquin modesto et bene instituto, auri, argenti, vitrorum, equorumque, et caetera nobilis supellectilis abundantia, assentatorum adulatio, consortis quoque Iulianae plusquam mulieribus ad capessendum Regii Diadematis honorem ambitio spiritum suasit languescentem, Regii fastigii ambitum excitabant

Ex Andrzeow Vladislaus Poloniae

Rex in Visliciam et Novam civitatem progressus, residuum tempus aestatis per stationes solitas absumpsit. Dum autem octo diebus ante festum Sancti Michaelis in Lublin ageret, et frequens Praelatorum et Baronum numerus ad eum convenisset, superveniunt ad suam Serenitatem Ducis Vitholdi Nuntius Nicolaus Malorzeh Polonus de domo Rosa, rogans multifariis precibus nomine Ducis Vitholdi ut in Lithuaniam venire pro instanti hyeme dignaretur, nec respectum aliquem hostilitatis conciperet, ipsum iam omnino animum et intentionem coronandi se in Regem provexisse. Rex etsi animus erat transeundi in Lithuaniam, quatenus illic venationes tractaret, Praelatos tamen et Barones suos tunc praesentes consuluit, plurimis enim sed et ipsi Regi suspecta erat huiusmodi invitatio, ne quid gravius Vitholdus in Regem dolis, vel vi aperta consuleret, vel ne largitionibus profusis Regem et Poloniae Barones ad consensum inclinaret. Et dum communi deliberatione decerneretur, ut in Lithuaniam rogatus iret, et residuum fomentum ambitionis coronae in Duce Vitholdo summoveret, et extingueret, veriti Praelati et Barones Poloniae, ne reconciliatio Regis et Ducis rem Coronationis de novo reintegraret, praesens enim in Lithua-

nia

nia Baptista Doctor, et Sigismundus Rota aderant, qui monere, sollicitare Ducem Vuitsaudum non desistebant, ut Coronis in Vilna fabricatis coronari se permitteret, cum sub instanti Coronationem Romanorum Rex Sigismundus esset ratificaturus. Vuitsaudus autem ipse diebus ac noctibus, multis quoque suspirijs anxius cum animo suo tractabat, omitteret ne cupiditatem Regni, Nuntijs Coronas ferentibus reversis, an novis ingenijs quae sibi per Baptistam et Sigismundum Rota ingerebantur, urgeret fortunam, quae hactenus parum prospere usus fuerat. Itaque licet reversionem Legatorum Coronas ferentium audita plurimum contabuisset, instigante tamen Baptista et Sigismundo Rota spem ad futura magis magisque erexit. Et non iam per contentionem, cuius vires evanuisse videbat, sed modestia, prece, et largitione posse si Rex Poloniae Lithuaniam veniret defungi cupidine nova spei novaque coronae pullulabatur, novis dolis instructus, et involutus. Ingenti itaque molestia Dux Vuitsaudus angebatur, tanquam in obscura casurus ex splendore, et sordida, quem magno pruritu sperata fefellerant, tunc regnare satagens, cum desinendum fuerat. Itaque ne res coronationis novarentur, Sbigneus Episcopus Cracoviensis precibus omnium Praelatorum et Baronum Regni rogatus, non ignarus quantum sibi esset Dux Vuitsaudus infestus, ire consensit, in finem, ut et Regem a consensu in coronationem averteret, et si quae decreta ad id facta aut conclusa essent, rescinderet, et ubi coronatio tractari et consignari deberet protestatione et appellatione solenni et publica, totiusque Regni nomine firmata eam infirmaret et impediret.

Ex Lublin Vuladislaus Rex per Parczow, Brzesczie, Camieniecz, et alia loca, in quibus abundanter singula provisiones et necessaria tam Vuladislao Poloniae Regi, quam omnibus Praelatis et Baronibus suis, praeter Sbigneum Episcopum Cracoviensem, qui solus hostis et adversarius praecipuus a Vuitsaudo creditus, administrabantur, Vilnam feria quarta post Sancti Francisci pervenit. Cui in obvium cum magno splendore et pompa Dux Vuitsaudus, item Ducissa Juliana, item

Magistri

Magister Prussiae Paulus de Ruzdorff, item Principes
Russiae, de Mosqua, de Thwer, de Odohow, et multitu
do magna Litthuaniae, et Russiae Principum et Baronum egressi,
ipsum exceperunt, In crastino Regii adventus in Vilnam
feria quinta consilium habitum est, et plures tractatus inter
positi, ut coronatio Vithaudi consummaretur. Magister Prus
siae Paulus de Rusdorff consurgens ait, dissensionem Regis
et Ducis sibi et Ordini suo displicere, vocatum quidem se
ad solennitatem Coronationis venisse, eo tamen animo esse,
ut velit operam se daturum pro reconciliatione Regis et
Ducis, et quicquid ad eorum amplitudinem et honorem per
tineret, Responsum illi e vestigio per Sbigneum Episco
pum, et verba sua honesta quidem effectibus non congruere,
Literae enim Romanorum Regis per Baptistam portatae
et interceptae declarant te et Ordinem tuum dissidium
inter fratres quaesivisse, et procurasse. Dux Vithaudus
timens, ne in longum traheretur disceptatio, illico asseru
it, et voce sua literas, si quae interventura erat, super
Coronatione firma, diremit. Videns autem Dux Vi
thaudus longe se esse distractum a Coronationis con
sumatione, tam Magistrum Prussiae, quam universos Rus
siae Principes licentiat, et in domos eorum notabilibus mu
neribus honoratos remittit. Remansit autem Vladi
slaus Rex illic cum Praelatis et Principibus et Baro
nibus suis, quorum multitudine tunc abundabat, Qui
bus illic stantibus tam Vladislao Regi, quam Duci
Vithaudo literae Apostolicae afferuntur, quibus congra
tulatur de eorum mutua conventione, et rogat persua
detque ut reconciliari sibi studeant, et vinculum fra
terni amoris strictiori charitate observent, Harum
literarum tale est exemplar

Martinus Episcopus servus
servorum Dei. Dilecto filio, nobi
li viro Alexandro Duci Magno Lit
thuaniae Salutem et Apostolicam
benedictionem

Laetamur

Laetamur et exultamus in Domino, sentientes charissimum in Christo filium nostrum Vladislaum Poloniae Regem illustrem, et te insimul conuenisse. Speramus enim, quod Deo auctore, qui inspirat omnia recta consilia et sancta, renouabitur vel iam renouata est inter vos fraterna concordia, quae videbatur esse nouo execrandoque dissidio, instigante Sathana perturbata. Pro cuius reintegratione concordiae, continue rogabamus Deum humiliter supplicantes ei, ut si vellet Catholicam fidem suam Masam et saluam ab impuris et scelleratis Bohemis haereticis conseruare, vos duos Catholicos Principes dignaretur reducere in gratiam et mutuam charitatem, et sic eum per misericordiam suam facturum esse confidimus, vel fecisse. Ex quo sensibus et spiritibus nostri, qui mirum in modum de vestra discordia tristabantur, recreati sunt, cognoscimus enim de vestra victoria concordia pendere victoriam nostram pro causa fidei contra Bohemos haereticos, sed tunc magis laetabimur et consumatam victoriam tenere in manu videbimur, cum hoc per tuas literas, aut nuntios certius sentiemus. Caeterum Dilectus filius Nicolaus praefati Regis Secretarius et Orator qui apud nos fuit his diebus, de dispositione nostra erga statum et honorem tuum, et praecipue de singulari desiderio nostro huiusmodi concordiae tua viua voce poterit informare. Datum Romae apud Sanctos Apostolos Nonis Decembris Pontificatus nri anno quartodecimo

Absente Vladislao Poloniae Rege in Lithuania, et in Troki constituto, Matthias Episcopus et Capitulum Vilnensis prouide considerantes, donationes Alexandri Vitoldi Ducis Magni Lithuaniae de certis districtibus Ecclesiae Vilnensi factas, languidas fore, nisi illas obtinerent a Vladislao Poloniae Rege confirmari, multis precibus et instantijs supplicibus obtinet robur illis per literas Vladisla. Poloniae Regis appom quarum tenor sequitur, et est talis

In nomine Domini Amen

Acta praesentis temporis solent cito deperire, nisi scripturae studio, praesidio, et adminiculo testium roborata fuerint ad memoriam futurorum sempiternam. Proinde nos Vladislaus Dei gratia Rex Poloniae nec non Terrarum Cracoviae, Sendo-

miriae

miriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ Litthuaniæque Princeps Su
premus, Pomeraniæ Russiæque Dominus et Hæres &c. Significa
mus tenore præsentium quibus expedit universis præsentibus
et futuris, præsentium notitiam habituris, firmiter nobis ad
salutis nostræ et æternæ vitæ gaudia credimus provenire,
cum ad statum et profectum spiritualium personarum, die no
ctuque in orationibus excubantium intendimus, et eis favorem
Regium libenter impartimur. Sane pro parte Reverendi in Chri
sto Patris Domini Matthiæ Dei gratia Episcopi Vilnensis,
et sui Capituli sincere nobis dilectorum nobis oblata petitio
continebat, quatenus infra scripta bona, hæreditates, et posses
siones per Magnificum principem Dominum Alexandrum
aliâs Vuithaudum Magnum Ducem Litthuaniæ &c fratrem
nostrum charissimum, ipsi Domino Episcopo Vilnensi, et
suo Capitulo prædictæque Ecclesiæ donatas, et ex commutatione
certorum bonorum hæreditariorum, inter ipsum Dominum
Magnum Ducem, et præfatos, Dominum Episcopum, Capitu
lum, et Ecclesiam perpetuo factis provenientium, de innata
nostræ Celsitudinis clementia ratificare, confirmare, grati
ficare, approbare, et innovare dignaremur. Nos itaque petitio
nibus ipsorum tanquam iustis et rationabilibus benigni
ter annuentes, eadem bona, possessiones, et hæreditates, pri
mo videlicet molendinum civitatis Vilnensis in fluvio
Vilna, circa Monasterium Antokolski situm, item districtus
videlicet Hubovis, Humen, et Camieniecz cum ipsorum iu
ribus, dominiis, proprietatibus, officiis, villis, possessionibus,
dationibus, contributionibus, proventibus et utilitatibus
universis, Nec non possessionem villarum ut puta Lyubor
ex causa permutationis pro Jarynicze provenientem. Item
Milyenkowo cum tributariis, censuariisque et redditariis
Item in Bluscha etiam ex commutatione pro Vuorsotnicza
cadente. Item villas in Vuloscnia, et in Starziny quas
alias Cuczuk pro Trebyna possidebat, aliaque omnia et sin
gula bona, hæreditates et possessiones, districtus, atque villas
supradictas, quæ et quas dicta Ecclesia Vilnensis, Episcopus,
Capitulum, et ministri in præsenti obtinent, et in posterum suc

cessu

ecclesiae febri temporum obtinebant, prout in suis metis et limiti
bus longe, late, et circumferentialiter sunt distinctae et limitatae, cum
omnibus et singulis earum utilitatibus, fructibus, censibus, red
ditibus, prouentibus, agris, pratis, campis, piscinis, sylvis, borris,
merricis, rubetis, gaijs, mellificijs, venationibus, aucupationibus,
stagnis, lacubus, paludibus, riuis, agris, aquarumque decursibus,
piscinis, piscaturis, molendinis, et ipsorum emolumentis, tributis,
censuarijs, exactionibus, contributionibus, solutionibus, iuribus
consuetudinibus, dominijs, proprietatibus, laboribus, vecturis
podwodis, stationibus, aut quibusuis prouentionibus, in terris Lit
thuaniae dari et conferri solitis, solitisque consuetis. A quibus
dictum Dominum Episcopum, Capitulum, Ecclesiam, et ministros
eximimus, et perpetuo libertamus, confirmamus, ratificamus,
innouamus, gratificamus, et approbamus, Decernentes ea omnia
et singula suprascripta et per praefatum Dominum Alexan
drum Vuitoldum Magnum Ducem donata, inscripta, et ipsi
Ecclesiae Vilnensi, et Domino Episcopo, Capitulo, et ministris
privilegiata, et annexa, robur obtinere perpetuae firmitatis
Facientes et constituentes praefatos, Dominum Episcopum, Capi
tulum, et ministros, ac conventuales Ecclesiae, veros Dominos,
haeredes, et perpetuos praedictorum bonorum, possessionum, di
strictuum, villarumque, praesentium et futurorum possessores
Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio
literarum. Actum in Troky ipso die undecim millium virgi
num, Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo,
praesentibus ibidem strenuis, et nobilibus Georgio alias
Gedigowdt Vilnensi, Joanne alias Jawnuto Troczensi Pala
tinis, Rumboldo terrae Litthuaniae Marsalco, Gastowdo et
Dobkone de Olyeschnicza Castellano Vuoynicensi, Joanne
Glowacz de Olyeschnicza Regni Poloniae Marsalco, Joanne
Taschka de Conyecz polye, Andrea de Lublin Succamera
rio Dobrinensi, Vincentio de Schamotuly, Laurentio Zaramba
de Calinowa, et Clemente Vuantrobka de Strzelcze, mul
tisque nostris alijs fidelibus fide dignis. Datum per manus
Reverendi in Christo patris Domini Joannis Episcopi Vulad
slauiensis, et Venerabilis Vuladislai de Oporow Decretorum
Doctoris, Sancti Floriani extra Cracouiam Praepositi, Gnesnensis, Cra
couiensis Canonici, Regni nostri Vicecancellarij sincere nobis dilectorum.

Miserant

Miserant et plures Slesiae Principes
specialem Nuntium ad Vladislaum Regem, repromittendo omnē
ei et Regno suo, contra quoscunque praesentes et futuros ho-
stes assistentiam, Declarando insuper, quomodo Sigismundus
Romanorum Rex gloriatur se coram pluribus nationibus
guerram inter duos fratres concordes conflasse, et quasi in-
ter duos antiquos canes costam, ad ultimos vitae dies procer-
taturos, iecisse, non prius quieturos, donec se mordendo ab invi-
cem consumpserint. Demonstrando et amplo sermone et pictura,
se Regem Poloniae Vladislaum in gyrum hostilibus regionibus,
quasi feram cassibus inclusisse, nullo ingenio humano manus
suas evasurum

Corripuerat iam Ducem Vitoldum lan-
guor morbi, qui Antrax aliâs fistula appellatur, qui illi sive
ut Sarcitarius, sive ex dolore et cholera propter non sequutam
coronationem inter scapulas, incertum est, acciderat, fueratque
Dux Vitoldus inde debilior. Non cessabat tamen sollici-
tare Vladislaum Poloniae Regem ut daret ordinem de co-
ronando eo, et summoveret Praelatorum et Baronum Poloniae,
qui obstabant, impedimenta. Rex respondit placere sibi et cor-
di esse Coronationem suam, et favisse, favereque ut fiat, Stri-
ctum tamen esse prohibitione Praelatorum et Baronum Po-
loniae ne publicum det consensum. Ob eam quoque rem Sbigneum
Episcopum Cracoviensem missum secum Lithuaniam esse,
ut velut lapis immobilis ipsum averteret, a consensu, eo
dissentiente nihil se acturum. Adhibenda fomenta esse quae
Sbigneum Episcopum Cracoviensem inclinent et frangant
et emolliant ad consensum. Mittit itaque Dux Vitoldus
extemplo, Nuntios duos Polonos ad Sbigneum Episcopum Cra-
coviensem, videlicet Nicolaum de Sepno, et Nicolaum
Malorzch de Cobylye, rogat, ne Coronationi suae obsistat,
ne aliis consentientibus et credentibus, ipse cum paucis ho-
norem suum impediat, taliter iam fere omnium animos Po-
lonorum molliisse, ut omnes fere sibi de honore huiusmodi fa-
veant, observans ne ipse unus moveatur splendore tanto insi-
gniri caput suum. Nec precibus contenti maxima et altis-
sima munera repromittunt, Placebit, inquiunt, tuae Paterni-

tati

tate ad thesaurum Ducis liber ingressus, tolles quantum velis ex auro, argento, et gemmis, aut si detrectaveris thesaurum ingres sum, talibus onustabit te muneribus, qualibus nemo unquam an te te in his sedibus fuerat honoratus. His Sbigneus Episcopus Cracoviensis respondit, Virtutem, opera, et mores Ducis Vui thaudi, coronae cuiuscunque splendore digna, mirari tamen se ve hementer, cur Dux Vuithaudus ad eam coronationem aspiret, ex qua sciat plus infamiae, quam gloriae, plus taedij quam pa cis, plus sanguinis quam laetitiae, plus vastitatis quam am plitudinis, et sibi terrisque Lithuaniae manaturum. Regem enim Romanorum Sigismundum ideo animum suum ad spem praefatae coronationis impulisse, ut liga Regni Polo niae et Ducatus Lithuaniae rupta, amplitudo omnis et vigor utriusque dominij vel frangatur, vel senescat, et Cruciferis detur occasio terras Lithuaniae, veteri gloria renovata, ut ethnicas et barbaras invadendi. In arbitrio insuper suo non pendere tantae rei consensum, et cum authoritate Regni totius Poloniae missus sit ad impediendam coronatio nem, et ad appellandum ab illa si fieret, quomodo liceret sibi desertis patriae mandatis, captum ambitione munerum, in aliquid, quod illum perpetuo faceret apud penates pro prios infamem, consentire? Nec reditui suo in Regnum pa terit via, nec munera cuiuscunque amplitudinis sibi danda, illum protegerent, quin ut proditor patriae, cuius causam defendendam susceperat, etiam cum toto genere suo viola retur. Nihil itaque posse in hac re, preces, vel munera, se con stanti animo et immobili esse, et cum tali ducatu corde in Lithuaniam accessisse, ut et carceres, et mortem, et omnia supplicia experiri prius mallet, quam rei huic praebere con sensum. Responsione Sbignei Episcopi Cracoviensis Dux Vuithaudus audita, ferocius se gerere, et animum trucem habere caepit, et missis prioribus Nuntijs, adiuncto tamen illis Matthia Episcopo Vuilnensi, petit, ut Coronationi suae, postquam verum non vult, saltem simulatorio simile pro qui in praeiudicium Regni Poloniae, et suam notam non pote rit redundare, Coronam enim capiti suo impositam, dum et

honore

honore, et ambitioni suae fuerit perfunctus, illico se ex testa capitis depositurum, et Regi Romanorum Sigismundo redditurum repromittet. Quod si in aequam hanc conditionem annuere nollet, se illum pro hoste habiturum, curaturumque omni admixtione apud Regem, et his, quae ipsi Sbigneo Episcopo Cracoviensi praeparata erant, muneribus effecturum, ut sede sua pulsus privaretur, cum et antecessor suus Petrus Vulsch similem a sede sua exclusionem, authoritate et interpositione sua interveniente passus esset. Denunciatio autem haec tam periculosa et terribilis, atrox ingenium Sbignei Episcopi accendit magis, quam perterruit, propter quod ad haec Sbigneus Episcopus Cracoviensis, mente imperterrita, nullum fugiens discrimen, nullum horrens periculum, et nullam vim extimescens, constanti et intrepido vultu paucis respondit, Nec verum, nec fictum posse se dare ad coronandum consensum, cum fictus posset in verum converti, Adversitatibus Ducis se non terreri, et in tranquillo, et in adverso, eundem tenore virum esse, Depositionem Petri Vulsch sui praedecessoris, neque Regiae, neque Ducali Magestati congruere, neque depositionem illam ulla reminiscentia aut relatione dignam fore, Rationem quoque temporum et personarum habendam esse, successisse enim tempora, dum similis depositio confieri nequiret, Cum et Christi vicarius Papa, Ecclesia Dei unita, quae tunc scissa erat, diversus multo esset a Petri depositore, et ipse tali depositione, dum demerita non praecessissent, existimaret se indignum. Huiusmodi dato responso, Dux Vitholdus, omnem spem exigendi consensus, decidisse ratus, virtutem quoque Sbignei Episcopi admiratus, quod nec magnitudine datorum, nec dandorum emolliri potuit, ut submissior, et cupiditati suae morigerior existeret, beatior aliquanto Sbigneus Episcopus animo, quam Vitholdus, si illud adeptus fuisset, Regno, in secretissimo consilio suorum fertur dixisse, Omnes, inquit, alios aut largitionibus, aut promissis, aut prece, aut precio perverteram, aut pervincere sperabam, unum hunc pontificem, neque donis, neque

terroribus

terroribus deflectere potuit in Sanctorum, ab recta sententia,
qui omnes conatus meos, velut parus petrosus allisit, et elusit.
Constantis ac praeualidi ingenij vir Sbigneus Episcopus, boni
tatis conspicuus, constantia gloriosus, perpetuo apud Polonos
inscribendus Catalogo, qui neq. terrifico minarum sonitu,
neq. magnitudine largitionum impelli potuit, quo se in di
minuendis Juribus Regni Poloniae gereret blandiorem. Quo
fructu integritatis eius, quid excelsius, quid iucundius,
quid felicius, quid venustius excogitari possit non video,
cum illum constet, etiam ipsum Vitoldum Ducem com
memoratis sermone admiratum fuisse, laudes quaestu,
etiam hostis testimonio confessioneq. locupletissimus. Con
surgebat interim dolor Vitoldi Ducis, et morbus inua
lescens, cogebat illum, dum saeuo vulnere morbi irremedia
bilis torqueretur, rerum Coronationis obliuisci. Itaq. et pu
blice et priuatim professus est, se nunquam amplius de coro
natione sua aliquid innouaturum, et de hac re, fides, et
responsum Vladislao Poloniae Regi, Sbigneo Episcopo Cra
couiensi, Duci Semouito Masouiae, et alijs Principibus et Ba
ronibus Poloniae, Vladislao de Oporow Regni Poloniae
Vicecancellario, fides data. Spes omnes quas conceperat et
quas non nisi tunc deponebat, ad irritum intelligens reda
ctas, morbo sequentem aerumnoso ad naturae imbecilli
tatem, aetate iam inclinata enim erat, adiuncto, resistere
non valens, propinquam sibi mortem imminere, et auferri
se de medio gloriae spacio Diadematis nec dum libato splen
dore non ambigebat. Itaq. iam non de producenda sed
de claudenda vita cogitare primum coepit, postquam
iam morti intercedi posse diffideret. Impleuit autem cir
ca illum Vladislaus Rex piae fraternitatis munia, sedu
litate sincera assidens et compatiens, aegrotanti. Feria
secunda in crastino Sanctae Hedwigis praefatus Sbigne
us Episcopus, et Dux Semouitus, Vladislaus de Oppo
row, Regni Poloniae Vicecancellarius, cum alijs Baronibus
Poloniae ex Vilna abierunt in Regnum Poloniae, ad Re
gis imperium reuersuri, licet ipsi Praelati et Barones
Poloniae

Poloniae morte vicina, quae Duci Vuithaudo imminebat, cognita, ne ex Litthuania remitterentur dissuadebant, Non valuit tamen persuasio eorum apud Regem, cum Rex ipse in eventum mortis Ducis Vuithaudi, Praelatis et Baronibus praesentibus, Ducatum Magnum Litthuaniae conferendi Duci Swidrigallo germano suo, prout in corde destinaverat, non habere se libertatem rebatur. Sollicitabatur et tunc Sbigneus Cracoviensis Episcopus a Juliana Ducissa consorte Vuithaudi ut thesauros eius, et nobilissima in auro, argento, gemmis, et unionibus clenodia longo tempore ab ea quaesita susciperet, et in Poloniam secum ferret, servaturus illa pro Ducissae praefatae victu et statu, aut si, quod evenit, in illam consultum foret quicquam gravius, in pia opera erogaturus. Sed neque id voluit notam omnem ambitionis abhorrens consentire veritus eo se ingenio muliebri illaqueatum iri, postquam caetera non proderant

In die Sanctae Hedwigis discedit

Vuladislaus Poloniae Rex ex Vuilno versus Trokhi audita Missa apud Minores, quem ascenso equo, Dux Vuithaudus sequutus, et paululum viae conficiens, a languore ex equo deiectus, in vehiculum, quo consors sua vehebatur, ascendit, Et iacens in Trokhi pervenit, et grabbato decumbere coepit, nec de caetero illud vivens deseruit. Dux Swidrigal natura et moribus insolens, favore omnium Ruthenorum et Litthuanorum elatus, sentiens Ducem Vuithaudum in mortis articulo versari, insolentior esse, et vultu, et actione, et gestu coepit. Nec licentia Ducis Vuithaudi obtenta, in curias suas plenus et elatus spe novarum rerum revertebatur. Quod Dux Vuithaudus aegreferens hanc suam insolentiam per Gedigoldum Palatinum et Capitaneum Vilnensem, Rumboldum Marsalcum, et Nicolaum Sepinski, Vuladislao Regi Poloniae nunciavit, A quo licet correptus charitative et fraterne, nihil de proposito mutans, subito et insperate discessit, eam id menti gerens, quod opere propedum fuerat ructuaturus

Quatuordecim

Quatuordecim diebus in Trokki Dux Vitoldus, invalescente languore absumptus, dum sibi instare moriendi terminum cerneret, aggregatis potioribus Principibus et Boyaris Litthuaniæ et Russiæ, ad Vladislaum Poloniæ Regem in hunc modum, præsente Ducissa Iuliana consorte sua verba facit. Cerno, inquit, Serenissime Rex, et charissime frater extremum diem advenisse, et propediem me dissolvendum, a te quoque separandum fore. Ducatum itaque Magnum Litthuaniæ quem de manibus tuis regendum susceperam, tibi restituo. Tu illum, vel per te, vel per virum aliquem bonum rege, uxorem meam, et Prælatos, Principes, et Barones hic præsentes, et alios absentes tuæ Excellentiæ commendo, quorum curam, servando illis iura et donationes a me concessas, oro geras. Excessus meos quibus te, et sæpe aliâs, et Saevius pro ambitione coronæ offenderam, precor, et summis quo possum supplico, indulgeas. Excussit is sermo tam Vladislao Regi, quam omnibus astantibus lachrimas, et ex pænitentia dissidij prioris, tam Vladislao Regi, quam Duci Vitoldo inter verba permiscua lachrimæ manabant. Rex se in omnibus condescensurum suis precibus repromisit, curaret tantummodo de rebus quæ animæ salutem contingerent. Itaque verbis aliquot Confessionem Sanctam coram Matthia Episcopo Vilnensi repetens, et Eucharistiæ Sacramento, et extrema Olei Sancti unctione procuratus est. Quæsitus insuper ab ipso Matthia Vilnensi Episcopo de fide Catholica, et singillatim de duodecim fidei articulis, dum ad omnes Catholice respondisset, specialius tamen de resurrectione futura inquisitus, an illam crederet, cum in sermonibus suis collatione solitus fuerit articulum de resurrectione in dubium revocare, Credo, inquit, et firmissime credo resurrectionem futuram, aliàs siquidem dum cæteros fidei articulos crederem, hunc tamen velut impossibiliorem discredebam, iam tamen id non fide solum, sed ratione comprehendo, quemlibet mortalem et resurrecturum, et

pro

pro operibus suis condignum praemium recepturum, et
si salus mea, professione fidei ampliori indiget, vel satisfa
ctione reali vel verbali requirar, informer, paratus sum
sincerecter et pure iuxta ritum Catholicum et informatio
nem tuam Pontificalem omnia me impleturum. Itaq[ue] in
vita recte perfectis, clauibus castrorum Vladislao Re
gi traditis, feria sexta in vigilia Sanctorum Simonis
et Judae, quae fuit vigesima septima Octobris, dum
terris iam aurora lucesceret, spiritum creatori red
didit. Cui dolor animi morbum corporis mortemq[ue] cre
debatur conflavisse, quem diro et intractabili morbo,
ipsa denique rerum temere motarum anxietate confectum,
matura ut in tali discrimine mors abstulit. Planctus
illico et ululatus magnus exortus est, et in dies octo,
tubus vocibus, per diem, mane, meridie, et vesperi con
tinuatus. Omnes illum velut parentem patriae lamen
tabantur absumptum, Mulierum praesertim gemitus ma
gni exaudiebantur, subministrante occasionem lacri
mis Ducissa Juliana, quae se orbam pluribus querelis
vociferabatur. Nec urbi solum suis, imo et pluribus
nationibus deflendus videbatur, erat enim Princeps
tum prudens, tum liberalis, qui ad subeundos quoscunq[ue]
labores animum duraverat, vices quoq[ue] temporum ita
pro disponendis publicis et privatis rebus diviserat,
ut nec minima particula diei frustra praeteriret. Iudi
candis autem et decidendis subditorum querelis et
expediendis causis et legationibus adeo diligens et
intentus erat, ut in tabula, et in itinere, si res postula
bat, sententias ferret, et responsa utraq[ue] petentibus
redderet, quo uno maximam estimationem sui nomi
nis et apud exteros et apud proprios quaesiverat, ad
visus cuius vim, nec plebs, nec nobilitas Lithuanica
attollere oculos aut sistere audebat. Si insuper aliquo
tempori exui illum contingebat, aut in venationes abibat,
aut scacchorum ludo se applicabat, utroq[ue] tamen parcissime
utebatur

utebatur, delirum Principem et extremi ingenij ratus, qui tractando venationes, praestantiora Reipublicae negotia omitteret. Jungebat insuper consortia cum varijs mercatoribus quorum opera fideli usus plurimas res nobilissimas in auro, argento, gemmis, pannis, pellibus et alijs in thesaurũ suum conquirebat, quibus expost liberalitatem suam diffunderet. Et licet in comedendo modestus, in bibendo moderatissimus fuerit, toto vitae suae tempore, nullo vino, nulla sicera, sed tantummodo lympha pura usus, in Venerem tamen, quam conveniebat, erat proclivior, quod malum saepe illum a bello moto et in brevi conficiendo redire cogebat. Pro constanti inter aetatis nostrae homines fama habita est, nullum suae aetatis principem Vitoldo comparandum fuisse, aut liberalitate aut facultate praestantiorem, qui patriam suam obscuram, tenuem, et ignobilem, fama rerum gestarum et operum claritate primus in lucem produxerit et extulerit, quae in subsequentibus Ducibus non aeque substitit, nec dubium videbatur, gloriam Litthuanorum et per illum partam et cum eo extinctam fore. Severus in proprios, nullum scelus illorum impunitum relinquens, cuius illum latere non poterat, quacunque arte celata, conditio, in hospites vero comis et benignus. Tenutarios et Officiales suos, a procuratione amotos, fortunis quibus se per exactiones et spolia locupletaverant, exuit et condemnavit, quos rursum ad eadem vel maiora officia promovit, ex industria id agere creditus, quasi humectaturus aridos, et expressurus humentes. In corpore suo et tenuitas notabatur et brevitas, quippe quem natura rerum eximia specie et statura donare dignata non fuerat, dum caetera abunde donasset. Liberalis autem et magnificus toto notatus est, vix tanta, comparatione facta, redonans, quanta exhibita acceperat. Cuius dextera notabatur quam laeva propensior, plerique autem adeo illum venereũ atque lubricum, proclivemque in libidinem fuisse ferunt, ut e medio victoriarum cursu frequentius, exercitu in terra hostili relicto, multa terrarum spatia equos permutando conficiens, ad uxorem, pellicesque, pruritum voluptatum expliturus, redire consueverit.

Mort

Morte Ducis Vuitsaudi sequuta, dum omnium animi Litthuanorum et Ruthenorum suspensi essent, quisnam tanto deberet, proli masculina non extanti, succedere Duci, ad regimen multitudinem inconditam, nec legibus, neque institutis vivere assuetam, restabat quidem germanus Ducis Vuitsaudi Dux Sigismundus sed is obscure se in vita Vuitsaudi gerens non aliquod dederat bonae suae indolis monumentum. Restabat et Dux Swidrygal Vladislai Regis germanus, sed ebrietati et solatijs deditus, ingenij quidem liberalis, sed variabilis et vehementis et parum sensati atque dextri. Nihil apud illum ratio, aut gravitas valuit, omnia ira vehemens, et mutatio crebra animi, velut flatus quidam aurae gubernabat, ut semper crederes in illo varios et diversos perflare motus, liberalitate tamen maxima, et indulgendo se ebrietatibus, multorum sibi mortalium animos conciliaverat, Ruthenorum singulariter, in quorum ritum, licet esset Romanae religionis Princeps, ferebatur inclinatior. Quia tamen singula ex Vladislai Regis Poloniae arbitrio pendebant, omnis multitudo Principum et Baronum Litthuaniae et Russiae in illum versa erat, illumque sequebatur, ignara an solus praeesse vellet, vel alium in locum Ducis Vuitsaudi substituere. Vladislaus interdum Rex charitate qua Ducem Swidrygal ut germanum complectebatur, devinctus, venisse tempus ratus, quo illum annis plurimis in obscura sorte degentem, et varijs iactatum turbinibus attollere et magnificare posset, Praelatis et Baronibus utriusque Dominij Poloniae et Litthuaniae, qui magnorum et Principe dignorum operum Swidrygalum non putavere capacem, inconsultis, verebatur enim ne contrarium decernerent, Secretarium suum Ioannem Marzyk de Dambrowa, de domo Vadnicz, qui duos pisces truttas pro insignj deferunt, ad Ducem Swidrygal mittit, Ducatum magnum Litthuaniae sibi conferendo, et annulo speciali sibi misso ipsum instituendo de eodem. Quod ubi Litthuanorum

rum et Ruthenorum Proceres persensere, misso Rege deserto
ad Ducem Suuitrigal confugiunt, illumque tanquam rerum Litthua
niae summam adepto, adhaerere coeperunt, in suamque, ut ple
rique eius gentis sunt ingenia, mutabilem pro varietate fortunae
gerentium fidem, super captivatione Regis Vladislai et Polo
norum occisione, ire sententiam, vnusquisque pro se assistentiam
et obedientiam offerens, ne in suspitionem caderet, et futuri Du
cis magni indignationem, cunctanter agendo sibi conflarent.
Itaque certabant plurimis studijs vnus alterum praevenire.
Inconsulta autem Vladislai Regis Poloniae et tam praeceps
Ducatus Magni Litthuaniae in Ducem Suuitrigal collatio,
multorum malorum causa extitit et origo. In Vuitsaudi
Ducis Magni morte, etsi nonnulli vultu simularent in
prospectu tristitiam, multi tamen et praesertim Rutheni
nimium laetabantur, sperantes sibi et Sectae suae Schisma
ticae meliora, rerum permutatione, et Suuitrigello suc
cessione, cui Magnum Litthuaniae destinabant principa
tum prouentura

Funus Ducis Vuitsaudi

Vladislao Rege Poloniae cum omni curia sua illud prosequenti,
ex Trokki Vilnam deductum est, et in Ecclesia Sancti
Stanislai Vilnensi, exequijs debitis cum magna solemnita
te peractis, traditum sepulturae. Aderat funeralibus su
is modo Dux Suuitrigal cum pluribus Ducibus et Boiaris
Litthuaniae, qui iam illum velut Ducem magnum sequebantur
Sepultusque est magno quidem omnium obsequio, sed non omnium
ut reor pari affectu, metu enim non voto plerique ferebantur
officium impleuisse. Solus Vladislaus Rex iusta ei honora
biliter, magnificeque celebrauit, ingentemque luctum super eum,
quam quisquam ratus erat, exposuit. Et cum Vladisla
us Rex non vno die nec duobus contentus, in plures dies
iusta funeri persolueret, Dux Suuitrigal motum animi
dissimulare non valens, Vladislao Rege nequicquam
dissentiente, Vilnensi repente castrum, deinde Trokki,
caetera quoque Ducatus Magni Litthuaniae castra com
prehendit, et in suam redegit plenariam potestatem.
Vladislaum quoque Regem licet legittimum dominum et

haeredem

Haeredem naturalem ab eisdem exclusit, Felicitate au
tem rerum secundarum elatus, cum et Consiliarios pessimos
nactus foret, infirmum animum ad deteriorem partem incli
nat, adeo quoque insolentiae suae indulget, ut non longe abesset,
quin in Vladislaum Poloniae Regem et suos Barones Polo
niae, eo praesertim tempore dum crapula et ebrietate onu
stus esset, manus injiceret, quem nedum violari, sed nec
inclementiori verbo appellari turpissimum esse debebat. Un
de praefato Vladislao Regi non gratias agit pro munere
Magni Ducatus sibi impenso, non colit illum, non veneratur,
non miratur, sed veteribus injurijs ad memoriam revoca
tis, improperijs utens, novercalibus oculis Vladislaum
Regem intuens, et plurimis improperijs, objurgationibus,
minis utens, praesentem quoque tantum modo fortunam me
tiens, et illam non Regis favore et gratia, sed sua vir
tute se consequutum glorians, mirumque in modum insole
scens, et superbiens, comprehensiones suas referabat,
et carceres, minitans se pro illis supplicium de Rege man
suetissimo sumpturum. Talemque illum tunc constabat
esse, novos sibi sed non utiles, magnitudine fortunae
subministrante spiritus, ut nec quid faceret, nec quid
diceret, quicquam unquam pensi haberet. Calamitatis
autem suae et suorum Vladislaus Poloniae Rex non igno
rabatur fuisse causa, dum affectionis fraternae levitate,
furenti Swintrigello Duci, praeter constituta et leges Regni
Poloniae a se editas, Consiliarijs tam Polonicis quam Lit
thuanicis inconsultis, Ducatus Magni Litthuaniae mode
ramina commisit. Itaque Dux Boleslaus Swintrigal Prin
cipatus sui, in Ducatu Magno Litthuaniae, initia, insolentiusque
ferens, non gratiae, non charitatis, non sublimationis sibi
a Vladislao Poloniae Rege recenter impensae memor, com
prehensiones suas, vincula, et carceres exprobrando refri
cabat, Tu me, inquit, Rex, cum Duce Vithaudo capti
vabas, ligabas, annis novem in diris compedibus vinctum
tenebas, nunc advenit tempus, in quo permittente Deo in

manus

manus meas incidisti, restituere ego tibi nunc et reddere paremvicem possem, et vlcisci in capite tuo de iniurijs meis. Haec et plura alia probra pluribus diebus Regi pariunter dissimulanti exspuebat, plus quoque angebatur Rex sua stoliditate et vehementia, quam probris, propter quod saepe mitissimus Rex monendo illum respondebat. Abstine ab ira, et depone indignationem conceptam charissime frater, convenit te nunc tali solio divina bonitate et mea liberalitate honoratum, omnium iniuriarum praeteritarum oblivisci. Consiliarios insuper et Barones Poloniae, et clientes Regios in conspectu suo duris sermonibus et in domesticis confundere, comminationibusque mortis concutere non fuit veritus. Nuntios Regios ad Reginam et Consiliarios in Poloniam, aut ab eadem in Litthuaniam ad Regem proficiscentes arestabat, et literas omnes frangebat, revolvens omnem, quam continebant, scripturam, quibus moribus, omnibus, evidenter constabat, bene institutum Litthuaniae Ducatum, brevi stolidi Ducis temeritate casurum. Literae interim a Martino Papa quinto, quibus Vladislaum Regem de morte Ducis Vitthaudi consolatur afferuntur, quarum talis erat tenor

Martinus Episcopus servus servorum Dei Charissimo in Christo filio Vladislao Poloniae Regi illustri Salutem et Apostolicam benedictionem. Superioribus diebus corde fuiramus afflicti, dubitantes ne ambitio humana celebris memoriae fratrem tuum Alexandrum Ducem Magnum Litthuaniae, cupiditate coronae Regalis alienum faceret et separaret a te. Nunc autem affligimur et dolemus, quod mors iam reconciliatum cum Serenitate tua in perpetuum separavit, sed in hoc nosmet ipsos et te consolamur in Domino, quod huiusmodi separatio lege naturae, quae mortalibus omnibus statuit moriendum esse, non ambitione et instigatione malevola, et sine peccato suo accidit, ante enim quam peccaret adversus te, seductus malo consilio, redijt tecum in gratiam, et transivit

ad

ad suscipiendam coronam pro meritis suis non corruptibilem,
sed aeternam per gratiam, non mortalis, sed Imperatoris
aeterni, quod sperandum est ex eius bonis et iustis operibus
quae fecit in vita, praesertim pro amplificatione fidei Christi
anae, in qua vna vera salus fidelium reperitur. Quare fili
charissime in hac spe consolare animum tuum, pro morte tan
ti Principis, et tam rari fratris afflictum, quia sibi reposita
est in caelo corona victoriae, ad quam venit cum Domino,
corona mortalis affectione deposita, Et quod antequam ex
hac vita discederet, ipsum amplexus et allocutus es saepius,
charitate fraterna; Postremo ipse tibi moriens, et debitum
frater fratri statum eius, subditos, et dominia commendauit.
Nemo autem eo Duce sublato, ~~est~~ quem tecum vnanimem,
atque promptum cupiebamus fore ad suscipiendam defen
sionem fidei Catholicae contra Bohemos Haereticos, ad te
vnum necesse est nobis conuertere, omnem fiduciam, spem,
et vires nostras, nec egemus maiore praesidio necam
pliore potentia nec voluntate meliore quam tua est; Cer
te enim sumus, quod hanc rabiem haereticam Regno tuo
finitimam et periculosam tuis, semper odio iustissimo per
sequutus es, et extinguere cupiuisti. Quod cum nunc
perficere solus possis, cordialiter rogamus Sublimitatem tuam,
vt compositis rebus Lithuaniae, et ordinato earum ter
rarum statu, quae in tua potestate relictae sunt, omnes cu
ras, cogitationes, et vires tuas conuertas, ad hanc per
fidam haeresim extirpandam, cum nullum aliud nego
cium Deo magis acceptum, nec vtilius mundo, nec tibi
gloriosius possis amplecti, cuius perficiendi gloriam
a Deo reseruatam tibi esse cupimus et speramus Da
tum Romae apud Sanctos Apostolos Idibus Ianuarij
Pontificatus nostri anno quartodecimo

Quamuis autem Alexander Vui
thaudus Dux Magnus Lithuaniae habebat in se plu
rimas virtutes, in liberalitate tamen praecipue excellebat,
singulari voluptate exultans, quoties dona sua munifica
aut in hospites, aut in familiares, aut in seruitores, aut
in

in Principes Ruthenos aut in Tartaros, caeterosq barbaros effun
debat. In Vladislaum tamen Poloniae Regem, quamvis ille
circumcisum cor ad dona habebat, et parum illa curabat, et
in omnes suos aulicos erat profusior. Cuius caeteris ommissis,
neq enim sine magna repletione chartarum singula possent
enumerari, unum subjicimus. Erat illi secretorum suorum
notarius et consiliarius intimus, singulari enim in consulendo
pollebat dexteritate Nicolaus Maldrzyk vir nobilis de do
mo rosarum, in saeculari etiam coniugali statu constitutus.
Quem ad coniugem et patrimonium suum in Poloniam re
missurus, volens muneribus suis praemiare, post vestes no
biles et splendidas, equosq et clenodia sibi largitas et lar
gita, centum sexagenas latorum grossorum, praesente et
spectante consorte sua Juliana iussit adferri, et sibi donari. Sed
Juliana Ducissa eam donationem quasi enormem coepit car
pere, et Ducem Alexandrum obiurgare, quod per tam profu
sas, et frequentes largitiones, fiscum et Ducatum suum,
et domum suam exhauriret, et exinaniret. At ille muliebrem
fragilitatem et uxoris molestiam ferens, iussit praefato Nicolao
Maldrzik alias centum sexagenas latorum grossorum ad
ferri, et dari. Sed Juliana Ducissa amplius incalescente
ad choleram, et se non solum in sua persuasione non auditam,
sed etiam confusam videns, etiam secundam donationem
improbabat. Ea propter Alexander Vuitoldus donationem
tertiam centum sexagenarum adiunxit. Sed Juliana Ducissa
certante, et in bilem magis efferescente, Duce quoq Alexan
dro suas sugillationes, duplicata semper talione donationis
continuante, usq ad vicem octavam inter Ducem et Du
cissam certatum est, donec Ducissa Juliana videns persua
siones suas et carptiones in Ducem Alexandrum convictas
maius continue dispendium fisco et thesauro Ducali, sibi
quoq maiorem ignominiam produxisse, vix conticuit. Alexan
der quoq Vuitoldus Dux a suorum donorum iteratione
in Nicolaum Maldrzyk cessavit. Sicq Nicolaus praefatus
Maldrzyk Divae fortunae arridente favore, et reprehensione Julianae
Ducissae, ubi se detestatum et inspectatum crediderat adiutus
octingentis sexagenis latorum grossorum receptis, recessit.

Dux

Duci Alexandro de liberalitate et munificentia, Ducissæ vero Julianæ de receptione et honore, quæ sibi maius quam gratia conturbat, multiplices diffundebat apud vniversorum aures gratiarum actiones.

Quiescere sperabatur Dux Swidrigal a suo furore, sed illum nouus Nuntius sibi allatus ex Polonia auxit vehementer, cum dolor indignationi accessisset. Ipso enim namque Caminiecensis Paulus Polonus, quamuis sortis humilis vir, et Barones Poloni, terræ prædictæ Podoliæ, videlicet Hryczko Kirdeiowicz, Theodoricus Michael et Mizslo germani de Buczacz, Crispina de Galow, cognito obitu Ducis Vitoudi in Caminiecz conueniunt, et Capitaneo castri, Dowgirts palatino Vilnensi, Baroni Lithuano, ad quem nondum fama mortis Ducis Vitoudi peruenerat, ad consilium euocato et petito, castrum Camyeniecz Capitaneo ex castro egresso et captiuato, cum essent et robore et numero hominum multo superiores, comprehendunt, et in Coronæ Regni Poloniæ redigunt potestatem, nec solum castro prædicto, sed et alijs castris Podoliæ, quæ tunc per Lithuanos tenebantur, potiuntur. Ab illo quoque tempore Podolia quæ varijs donationibus lacerabatur in speciem prouinciæ redacta est, et Regno Poloniæ reunita. Fremebat Dux Swidrigal tali nouitate accepta, nec ipse solum, sed et omnes Lithuani quasi terra hereditaria et non ditionis Regni Poloniæ quæ ad vitam et precario Duci Vitoudo concedebatur effectus ademptæ. Itaque actus furore Dux Swidrigal auget improperia, auget et contumelias, non in Regem solum sed in omnes eius Polonos, et quoties illum cholera de interceptione terræ Podoliæ accenderet, totiens velut furens et fanaticus cubile Regis, in quo omnes Curienses Regis excubabant, ingrediebatur, conceptam ructuans bilem, et tum Regem, tum Barones suos carpens, quod terram Podoliæ sibi abstulissent, sæpe illum, præsertim dum mero ac cibis maderet, et crapula, vehementia spiritus exagitabat, adeo ut cum magna iniuria, in Regem, et suos, captiuitatem aut mortem minitans, ni sibi terra Podoliæ cum castris, Camyeniecz, Smotricz, Skala, et Czyrnowitzgros restitueretur

retur

vetur, incombat probra. Mors quoq; quodam insito mortalibus, infirmus ille animus rebus insolescebat secundis, qui si sapuisset, referre potius vicem beneficij debuerat. Indurabaturq; in ipso statim dominationis principio, et ex moribus suis, atq; ingenijs, fortunam suam potestatemq;, insolenter, nimirq; tractaturus, ea vanitatis redolens inconstantia, ut quod utilitatis causa vel aliqua salubri ratione suadente decreuerat, levi facilitatis consilio variabat, ad omnem auram, quasi arundine eleuius se agitans, Et Regis quidem parentia in eodem tenore suum seruabat moderamen, Baronum et Nobilium Poloniae corda accensa erant ad contumeliam repellendam, unde et saepe responsum aeque contumeliosum verbis suis reddebant, parumq; aberat, quod manus inuicem non consererent. Iam quoq; omnium Baronum et Nobilium Poloniae animi ad hoc unum conspirauerant, ut Ducem Suintrigal cubiculum Regis ingredientem, et omnes qui illum tutari vellent, occiderent, Castrum quoq; Vilna in quo Rex habitabat clauderent, et firmarent, Lithuanis exclusis, et tamdiu, si vis aliqua superueniret, cum victualium omnium copia refertum esset, illud defenderent, donec exercitus Poloniae superueniens eis opem et liberationem afferret. Tali et nouo consilio exhilarati obseruabant tempus quo cogitata exequerentur, nec quicquam erat difficile aut durum animis, ad quaeq; extrema pro fide Regis sui experienda, destinatis. Dux quoq; Suintrigal solita vehementia exagitatus saepe Barones et omnes Regis perdere, saepe carceribus conijcere machinabatur. Iam quoq; compedes allati fuerant et vincula quibus singulos Polonos vincire, et obscuris tradere carceribus moliebatur. Indicatum insuper erat Regi Ducem Suintrigillum noctium una in cubiculum irrupturum, et tam Regem quam suos ad interemptionem casurum, quapropter Polonorum milites de periculo auisati ad extremum certamen se deuouerat et alacribus animis ad moriendum destinatis Suintrigilli operiebantur aduentum

Baronum et Nobilium Poloniae conspiratio in mortem Ducis Suintrigal in notitiam Vladislai Regis deducta

deducta, sollicitudinem magnam sibi ingessit, ne deduceretur in effectum, et ne in Ducem Switrigal aliquid crudelius per Polonos ferro consuleretur. Itaque summovendam materiam omnem cholerae, et mitigandum animum Ducis Switrigal factu optimum ratus, destinat et constituit in corde suo, terram Podoliae cum castro Camyenyecz sibi restituere, sive ut eum placatum efficeret, sive quia plus sibi et Lithuaniae Ducatui, de terra, quam proprio Regno favebat. Dissuadentibus itaque, et reclamantibus Poloniae et Baronibus, et nobilibus, Wladislaus Rex Duci Switrigal Podoliae terram restituit, literasque necessarias ad Michaelem Buczaczki scribit, imperans districte; ut de castro Camyenyecz et aliis castris Podoliae Duci Switrigal faciat effectualem cessionem. Et quo res effectuationis roboris fiat, nullumque interponi possit obstaculum, Zaklicham Pavlo de Szczekarowicze militem de armis Toppor in Camyenyecz transmittit, ut is etiam mandatum regale de resignandis castris Podoliae faciat, et castrum Camyenyecz in manus Ducis Michaelis Baba Rutheni resignari demandet, ne literale imperium habeat aliquem tacitae suspicionis. Restitutione terrae Podoliae Dux Switrigal plus quam credi potest laetus, omni cholera deposita, et vehementia, reconciliari Regi studet, et quantum potest, efficit sibi illum placabilem, donatque sibi mille centum cyclos argenti cum sobolis et pelliceis plurimis, clenodiisque et pannis variarum maneriarum. Dolore magno Barones et nobiles Poloniae, qui ad latus Regis erant consternati, de terrae Podoliae alienatione, crebris consiliis et secretis, exquirunt vias, et ingenia, quibus impedire propositum Regis possint, Et inter alias vias placebat, ut sigillum Regium aqua vel igne perderetur, quatenus defectus sigilli vel rem adderet suspectam, vel in aliud tempus differret, Zaklicze tamen Pavlonis missio, magnam proposito et molitioni eorum desperationem afferebat. Erant tunc inter alios Poloniae Barones et nobiles Andreas de Thanczin de domo Bysenium, et Nicolaus Drzewiczki Custos Sandomiriensis, ado

lescens

lesrnus ingenuus de domo taurorum, qui tunc Sigillum Regium deferebat, Horum ingenio tanto discrimini Respublicae subventum est, Scribunt literam Michaeli Burzaczki Capitaneo in Camyenyecz significando sibi in quanto periculo essent, Regem nihil ex arbitrio proprio agere, mandatum de resignando castro Camenecz constructum sua et suorum captivitate fecisse, ipse attenderet quomodo servaret honorem suum, et ne ad imperium Regis in alterius manu et potestate velut vinctum constitutum, castris cederet, et Rempublicam vulneret et contristet, sed si Regi et Regno gratum praestare obsequium satagit, tam Tarlonem, quam Ducem Baba Michaelem in vincula, negato castro conijciat. Litera haec dum palam ferri nequiret, Ducalibus custodibus omnia loca et aditus perquirentibus, praefati Andreas T Sanrzynski, et Nicolaus Drzewiczki literam in orbem convoluunt, et in similitudinem carei cera vestiunt, quoque minor foret doli suspicio, literam medio inclusam, a parte utraque limina ponunt igne et flamma initiata. Candelam ipsam puero cuidam Zaliczo Tarlonis tradunt, dataque sibi una marca latorum grossorum, ut eam, quamprimum in Camyenyecz venerit, Michaeli Burzaczki reddat, facile perliciunt, puero insuper mandata verbalia adiecta, quatenus Burzaczki Capitaneum et Consules Cameneczenses moneat, ut si errare non velint, ex ea sibi candela lumen quaerant. Nec eos eventus rei taliter compositae fefellit, Zalicha Tarlo praefatus, dum ex Litthuania datis centum sexagenis latorum grossorum per Ducem Suitrigal, quo fidelius rem gereret, pro munere, et amplissima spe de multo pluri habendo si rem confecerit, in Kamyenyecz pervenit, Mandata Regis exponit, ut castra Podoliae resignentur Duci Suitrigal instat, Nec puer suus cunctandum ratus illico candelam missam reddit Capitaneo Michaeli Burzaczki, Qui misterium aliquod ferre eam, neque ociosum eius significatum, tantoque rem maiorem quanto occultior esset ratus, rupta candela literam inclusam comperit, et tam Tarlonem, quam Ducem Baba in vincula conijciens turri inclusit, Et ne terra Podoliae cuius fertilissimus ager est,

et

et abundans omni copia mellis, frumenti, et pecoris est Regio, a Regni Poloniae corpore abstraheretur efficit

Dum haec in Litthuania aguntur non in Polonia solum, sed in circumvicinis regionibus percrebuit Vladislaum Regem Poloniae in Litthuania per fratrem suum Ducem Swidrigal captum detineri. Quod novum dum etiam ad aures Summi Pontificis Martini Papae quinti perlatum foret, vehementer illum turbavit, et pro tanto et ipsi Vladislao Regi et Consilio Poloniae, deinde Romanorum Regi Sigismundo et Duci Swidrigal speciales literas mittit, incitans ipsos ad Regis liberationem, harum tenores tales erant

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Nobili viro Swittrigalo Duci Litthuaniae

Cum Deus omnipotens Beato Petro et Successoribus suis ac nobis, qui Sede eadem sedemus licet immeriti, potestatem dederit super terram ligandi atque solvendi, fideles, quos cernimus in aliquod peccatum instigante inimico humani generis esse prolapsos, libenter pia charitate ad poenitentiam reducimus, ut eorum animas illaqueatas solvamus, ita quod in tremendo iudicio libera et munda compareant coram Christo Deo nostro. Sentientes igitur te grande facinus ausum fuisse, et enorme peccatum commisisse in personam Charissimi in Christo filii nostri Vladislai Poloniae Regis illustris, germani tui, cum nihil a te tali verentem, nec suspicantem quidem, in quodam castro Litthuaniae detinendo et propria libertate privando, miramur atque dolemus, quod tu praesumpseris mittere violentas manus in Regem tantae excellentiae et dignitatis, quem propter eius grandaevam aetatem, cum summa semper laude traductam, et virtutes honoras in ipso Rege conspicuas, ac Regalis amplitudinem status, et nominis, et res bene gestas pro amplificatione fidei et nominis Christiani, nos, et Ecclesia, amamus, diligimus, honoramus, et universa Christianitas veneratur. Miramur insuper et dolemus quod frater in

fratrem,

fratrem, minor in maiorem, hoc facinus attentaris, Sed ni
hilominus odio habentes corem tuum fragilitati tua com
patimur, qua a Sathana mota est, et resistere non potuit
passioni, pravorum cupiditatis et ambitionis humanae consili
um inspiranti. Paterno itaq tibi compacientes affectu ac
cupientes animam tuam a tanti peccati vinculo liberare,
et abstergere de nomine tuo maculam huius infamiae,
Rogamus nobilitatem tuam, mandantes nihilominus
tibi in virtute Sanctae obedientiae, quam praestare nobis
teneris vicario Jesu Christi, ut humiliato corde et petita
venia a fratre tuo, de iniuria sibi data, cum pristinae
libertati restitutis, Et cum eo reversus in gratiam ut par
est, fratrem et Regem diligas, et honores. Non enim du
bitamus quin si volis reconciliari sibi, et id facere quod
mandamus, rogamus, consulimus, et suademus tibi, quod
statui et honori tuo convenit, et saluti animae tuae, ipse Rex
veniam largietur errori tuo, et se exhibebit erga te libera
lem, munificum, et benignum. Statumq tuum ampliorem
et tutiorem ipsemet faciet, quam si contra voluntatem
suam totam Litthuaniam occupares, quam profecto, eo eti
am existente captivo, vel mortuo, contra potentiam nato
rum, suorum, servorum, et Regni Poloniae voluntatem, di uo
torum Serenitatis suae tenere non posses, Involuere autem po
tes eam bello, miscere cum Tartaris, et vastitati subijcere cum
strage fidelium, et effusione sanguinis Christiani, et periculo
innumerabilium animarum, quibus nostris temporibus
Deus aperuit lumen veritatis et fidei suae. Quanto vero
praestantius est, cum tua et tuorum quiete et pace, securum,
unanimem, et concordem cum fratre tuo vivere, quam totum
trahere, suam et tuam patriam in ruinam, et exponere ani
mam tuam periculo perditionis aeternae. Certi enim sumus,
quia notissima nobis est clementia sua, et liberalitas, et
prudentia, quod ab eo poteris statum impetrare, quem voles,
quem ut assequaris, offerimus tibi procurationem et inter
cessionem nostram apud Praefatum Regem, quem nostri
reverentia, et pietas tui inclinabit ad misericordiam, et
ad omnem amplissimam gratiam erga te fratrem, qui
etiam

etiam erga hostes uti moderatione, mansuetudine, et
liberalitate consueuit. Quare fili Dilecte velis exau
dire vocem nostram de longinquo salubriter consulentem,
statui, et honori tuo, et obtemperare mandatis nostris, quae
tibi ad saluandam animam tuam ex apostolica Sede,
sub poena etiam excommunicationis et diuinae indignatio
nis iniungimus. Dat. Romae apud Sanctos Apostolos, sex
to Calend. Februarij. Anno Pontificatus nri quartodecimo

Martinus Episcopus ser
uus seruorum Dei, Venerabilibus fra
tribus, Episcopis, et Dilectis filijs, Nobili
bus viris, Consilio Charissimi in Christo
filij nostri Vladislai Poloniae Regis Illu
stris, Salutem et Aplicam benedictionem.

Fuimus admirati plurimum, et turbati, audientes Caris
simum in Christo filium nostrum Vladislaum Poloniae
Regem Illustrem in Lithuania detineri, Et si quid per
nos fieri possit pro eius liberatione tanquam pro filio Cha
rissimo nostro, et Ecclesiae, id continuo libenti animo facere
mus quod in praesentiarum visum nobis est utile in hoc
casu, post humiles et pias orationes factas ad Deum pro
ipsius liberatione et incolumitate rogamus per literas
instantissime Charissimum in Christo filium nostrum Sigi
smundum Romanorum Regem Illustrem, ut eius libera
tioni, charitatiue et diligenter velit intendere, Et scribi
mus etiam fratri Regis, huius nouitatis authori, ut vi
debitis in copijs literarum nostrarum praesentibus interclusis,
Et quia praefatos Reges cupimus videre vnanimes et
concordes sublata omni materia dissensionis, vtrique eorum
scribimus, quatenus pro tollendis differentijs, quae inter
eos forent, velint mittere Nuntios et Oratores eorum suffici
enter instructos ad Dilectum filium nostrum Julianum San
cti Angeli Diaconum Cardinalem Apostolicae Sedis Legatum,
quem de praesenti ad partes Germaniae destinamus, volumus
enim ut eos componat amicabiliter, si poterit, Quod si perfi
cere Legatus ipse non posset, ut Nuntij et Oratores huius

modi

modo mittantur ad nos, ut ipsos Reges amicabiliter compo
namus, et ipsos tandem fraterna Charitate ad Dei honorem,
via iustitiae, finem eorum controversijs imponamus, et ipsos
tandem fraterna Charitate ad Dei honorem et obsequium Ca
tholicae fidei coniungamus. Literas autem nostras mittimus
ad manus praefati Legati sua cura et diligentia dirigen
das, qui literas destinatas praefato Regi Poloniae, et fra
tri suo, forsitan vobis mittet, ut eas praesentari secundum
quod vobis videbitur, faciatis. Nos enim vobis iniun
gimus, ut quantum in vobis erit, studeatis ea facere,
et operari quae pertinent ad praefatorum Regum composi
tionem et confusionem Bohemorum haereticorum, et de statu
charissimi in Christo filij nostri Regis vestri, et successu
rerum Litthuaniae nos certos per vestras literas dictim
facere curetis. Datum Romae apud Sanctos Apostolos sexto
Calend. Februarij, Pontificatus nri anno quartodecimo.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei Charissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum Vngariae et Bohemiae Regi Illustri Salutem.

Nuper audiuimus, quod charissimus in Christo filius no
ster Vladislaus Poloniae Rex Illustris, in Litthuania
detinetur, Quae nouitas attentata contra tantum Re
gem displicet nobis plurimum, et etiam Serenitati tuae
debet esse molesta, veremur enim ne exinde sequantur
bellorum incendia cum strage fidelium, et effusione
sanguinis Christiani. Dubitamus etiam ne Bohemi ha
retici fiant in tanta rerum perturbatione validiores et
paratiores ad nocendum, Quare Excellentiam tuam rogamus
ut considerans quanta pericula et detrimenta accidere possunt
in populo Christiano ex huiusmodi nouitate, velis reducere
differentias ad pacem, et cum omni fide et charitate fraterna
velis intendere liberationi praefati Regis, quem semper fra
trem appellare verbis et literis consueuisti. Qui si etiam
esset inimicus, propter solam regalis nominis dignitatem, hoc
in casu minime dis esset, a te, qui es omnium Regum primus,
nec pati debes ut inferiores audeant iniicere violentas manus
in Reges, quorum dignitas tanta est, ut etiam violare sacrile
gio

gio simili videatur. Multa tibi possemus dare exempla
Romanorum Imperatorum, qui conservarunt Reges in Regnis
suis, cum possent illa praeripere, et ab alijs violenter ejectos in
Regna reduxerunt, et ablata victis et superatis Regibus
reddiderunt, gloriosius existimantes Reges restituere quam
vincere, ut intelligas, quod a tua sublimitate requirimus,
de fratris tui Regis liberatione laudabile officium Imperato
ris esse Romani. Quod si huic rei cum quanta poteris diligen
tia et fide institeris, obligabis eum tibi, et cum ipso amiciti
am perpetuam confirmabis, quanti enim faciet beneficium
liberationis suae, si illud tua intercessione receperit, tu potes
optime indicare, qui olim captus a tuis, simile beneficium
ab alijs recepisti. Quare fili charissime cum tibi occasio
oblata sit bonitatem, clementiam, et fraternam charitatem
tuam, ac animi magnitudinem ostendendi, quae in nulla
alia causa perspici potest, et etiam tanto beneficio obligan
di Regem et Regnum suum, et in tua amicitia confirmandi,
velis eam arripere occasionem, et cogitare hanc tibi, quod
et nos credimus, a Deo datam, ut animus eius tibi perpe
tua et immutabili charitate iungatur ad conservandam
pacem et quietem fidelium, et haereticorum perfidiam con
fundendam. Quod quoniam valde nos cupimus, scribi
mus etiam sibi, qualiter pro eius liberatione requirimus
sublimitatem tuam, non dubitamus tibi in hoc casu suo, quan
tum poteris, profuturum, et rogamus atque monemus eum,
ut similiter velit in negotijs et necessitatibus tuis erga te pari
affectione se habere, et specialiter, omnia dudum inter vos
conventa servare, et alia latius ei super his scribimus, prout
videbis in copia literarum nostrarum quam tibi mittimus
his inclusam. Rogantes Celsitudinem tuam, ut pro tol
lendis differentijs omnibus inter vos, ex parte tua facias
quae fieri volumus, tam in destinandis Nuntijs et Orato
ribus tuis ad Dilectum filium nostrum Julianum San
cti Angeli Diaconum Cardinalem, Apostolicae Sedis Lega
tum, quem ad partes Germaniae transmittimus de praesenti,
quam deinde ad nos, si Legatus componere vos non posset,
vel composituros amicabiliter, vel per viam iustitiae finem impo
situros

ituros, ut vos duos Catholicos Reges, sicut optamus, et utriusque vestrum expedit, et Christiana Respublica in sancta charitate et amicitia confirmemus Datum Romae apud Sanctos Apostolos sexto Calend. Febr. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Martinus Episcopus servus servorum Dei Charissimo in Christo filio Vuladislao Poloniae Regi Illustri Salutem et Apostolicam benedictionem

Cum ad Serenitatem tuam literas consolatorias scriberemus, audita morte celebris memoriae Alexandri Ducis Magni Litthuaniae fratris tui, novus nobis allatus est nuncius detentionis personae tuae, qui animum nostrum vehementi admiratione et perturbatione commovit. Cogitantes tamen, quod in ea patria, in qua natus es, et vixisti diu Princeps et Dominus, nomen tuum quod est apud omnes gentes externas celebre et venerandum, coli et amari merito debeat, ac timeri, quod Regnum habes potens et fidele, quod habes et natos in tuo dominio legitimos successores, et non dubitantes gratiam Dei et iustitiam tecum esse, quae omni potentia fortiora sunt, speramus in Domino finem huiusmodi novitatis tibi et Statui tuo infelicem esse non posse. Nos vero cupientes in hoc casu quibus modis possumus, succurrere, et subvenire necessitati tuae, primum pias et humiles fecimus orationes ad Deum pro liberatione et incolumitate tua, deinde per literas nostras rogavimus instantissime, charissimum in Christo filium Sigismundum Romanorum Regem Illustrem, ut cum omni charitate et fide fraterna velit intendere liberationi tuae, quarum literarum copiam tibi praesentibus destinamus inclusam, et speramus in Excellentia sua, quod in hoc casu tuo conabitur bonitatem, clementiam, et fraternam charitatem erga te, ac magnitudinem animi demonstrare, quae in nulla alia causa perspicacius potest, sicut ei scribimus. Caeterum fili charissime, quia valde cupimus ut inter vos vigeat fraternus amor, et charitas, ac perpetua et firma concordia, rogamus, requirimus, et monemus, etiam sublimitatem tuam, ut similiter in negotiis et necessitatibus suis

sub, pari affectione te Sabeas erga ipsum, et specia
liter velis omnino, ut debes sibi omnia dudum inter vos
conuenta seruare, quod Oratores eius apud nos existen
tes de praesenti inter caetera requirebant, antequam Sa
beretur hic notitia nouitatis huiusmodi, pollicentes
praefatum Regem Romanorum pariter seruaturum, Qua
cum requisitione honesta et iusta sit tibi iniungimus, ut
velis eam ex parte tua effectualiter adimplere, praeter
missis caeteris, quae in contrarium dici possent forsitan
hactenus facta esse. Et si qua inter vos differentia re
maneret, volumus omnino ut pro ea tollenda vestrum
utrique transmittat Oratores suos sufficienter instructos ad
Dilectum filium nostrum Julianum Sancti Angeli Dia
conum Cardinalem, Apostolicae Sedis Legatum, quem
ad partes Germaniae transmittimus de praesenti, visu
rum et cogniturum differentias utriusque, per eum ami
cabiliter componendas, Quod si non posset ipse perficere,
volumus ut infra certum terminum ad nos veniant,
Nuntij et Oratores vestri, cum informationibus oppor
tunis, ut vos amicabiliter componamus, vel quando
aliter fieri non posset, per viam iustitiae vestris contro
uersijs debitum imponamus finem, et vos duos Catholi
cos Reges, sicut optamus, et utrique vestrum expedit, et
Christiana Respublica, in sancta charitate et amicitia con
firmemus. Verum ante omnia fili charissime te exhor
tamur, requirimus, et rogamus, ut omni contentione et
offensione seposita, velis fauere et assistere praefato Ro
manorum Regi contra Bohemos haereticos toto posse tuo,
et Polonos omnes qui cum eis sunt, sub grauibus poenis,
et comminationibus reuocare, et operari taliter, quod
restituant per eos ablata Catholicis, ac diligenter et effi
caciter prouidere, quod eisdem Haereticis nec commeatus,
nec subuentiones, nec ulla subsidia de tuo Regno Poloniae
ministrentur, sicut nobis asseritur hactenus factum esse,
et in hac causa stat habere ut intelligere. vidimus

eam

vam magis ...bam Dei esse, quam Dominum, pro qua tem
ris, ut Rex Catholicus etiam sine respectu alicuius amicitia
vel factionis laborare, et si contrarium faceres, quod aver
tat Deus, adversus te divinam et humanam iustitiam
provocares. Datum Romae apud Sanctos Apostolos sexto
Calend. Februarij Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Venerat Poloniam ex Lithua
nia specialiter missus Joannes de Olisznicza Regni Polo
niae Marsalcus, per quem Rex mille cyclos argenti cum alijs
muneribus sibi per Ducem Suitrigal datis, in Regni the
saurum transmittet. Is nomine Regis secrete et singillatim
Praelatis et Baronibus suggerit, ut pro liberatione sua, ope
ram effectualem facere quanto citius non negligant, Et licet
non ignorarent Praelati et Nobiles Poloniae adversitatem
ipsam Regi propter opera sua inconsulte facta accidisse, sur
tunsendi tamen et iurgandi tum locum tum tempus minime
esse, Pro liberatione Regis omnium animi accenduntur, quae
ut facilius perfici posset, in Oppido Vartsa pro die Sancti
Nicolai ad Conventionem generalem velut vir unus con
veniunt. Et licet hyeme illa pestis Epidemia fere universum
Regnum Poloniae occupasset, erant tamen per media funera
in ipsam Conventionem, frequensque numerus Praelatorum
et Baronum in Vuartsam conveniunt. Et quamvis plures
viae ingenio Praelatorum et Baronum aperirentur, et alijs
quidem placebat exercitum illuc ex pretium, alijs Reginam
cum Curiensibus Lithuaniam mitti, et Regem potentia
et armis liberari, Media via ex his capta est, ut Legati
ad Ducem Suitrigal mitterentur, qui requirerent ut Regem
et suos in libertatem restitueret, cui turpe et foedum esset,
et excellentiae tantae Regem, et grandaevae aetatis virum,
non germanum solum suum, sed privato etiam sibi officio ad
mirandum detinere, ut quoque ab occupatione terrae Podolia
abstineret, cum illa proprietatis, iuris, et dominij Regni Po
loniae semper fuisset. Legati ad haec rem electi Sbigneus
Episcopus Cracoviensis, Joannes Episcopus Vuladislaviensis,
Sandivogius de Ostrorog Posnaniensis, Joannes de Lesm
Brestensis Palatini, Conclusum insuper erat, legatorum

transitu

transitu non obstante expeditionem fieri, et omnes exercitus sumptis armis octo diebus post festum Epiph. Sanct. in Kyani supra flumium Vuyepsz congregari, et loca paludinosa Litthuaniae, constricta gelu, facilia essent exercitui durante hyeme ad transeundum. Deputantur et tunc duo Magistri pro pueris Regijs educandis, Magister Vincentius Kot de Dambno, Custos Gnesnensis, et Petrus Kiterski Miles, quibus illico cura puerorum Vladislai et Casimiri, ut illos et literis et moribus ingenuis informarent, mandata est. Erudiri autem pueros regios doctrinis, quibus vegetiora capessarent ingenia, molestè nonnulli Consiliariorum ferunt, quo apud indoctos et rudes, sua et filiorum suorum possint praestantiora extimari.

Taliter rebus in Conventione Vuartensi compositis legati in Litthuaniam progrediuntur, et Natalis Domini dies in Vuarszouia absumunt, praestolantes Ducis Suuitrigal literas salui conductus, pro quibus in Litthuaniam specialem Nuncium praemiserant. Ibi illis subsistentibus Nuntius Regius advenit, cum literis, quibus significabat Ducem Suuitrigal, quamprimum Regnum Poloniae ad arma conclamasse sensit, ipsum liberum ex Litthuania cum suis omnibus dimisisse, et collaudata eorum fide et constantia erga se, committit ut in domos revertantur, neq legatione sacturus, neq armis opus esse, se iam extra omne periculum in libertate constitutum. Hac nouitate alacres effecti in prosperis Legati ex Vuarszouia, divulgata in caeteros Regis liberatione revertuntur

Die Jouis magna Oppidum Bitom per Bohemos Haereticos expugnatum, atq captum, per maturonas ne incenderetur redemptum est. Subsequenti vero die Lunae Sigismundus Dux Litthuaniae et Dobeslaus Puchala de Vuangri et domo Byenyema Oppidum Glywicze capiunt, et sedem belli praesidio imposito illic constituunt. Quarta etiam Decembris anni eiusdem castrum Ecclesiae Vratislauiensis Otmuchow a Bohemis Haereticis expugnatur

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMUS TRICESIMVS PRIMVS.

Incolumis et liber Vladislaus Rex ex Litthuania feliciter reuersus venit in terram Chelmensem, et primum in Tur, deinde in Sopots descendit. Ibi ad suam Serenitatem Zophia Regina quae de captiuitate sua spiritum habebat afflictum, cum pluribus Baronibus venit congratulari omni suae incolumitati et liberationi. Ex Sopots pro tempore Carnispriuij aduenit Sandomiriam, ubi tenta est conuentio generalis, et die Dominico Carnispriuij Sol notabilem Eclipsim passus est. Martinus Papa quintus expost vigesima Martij die mortuus, et in Ecclesia Sancti Joannis de Laterano in tumba aerea sepultus, Cuius morte sequuta, Cardinales Conclaue ingressi, Gabrielem de Condulmario Cardinalem in Papam eligunt natione Venetum, qui Eugenius quartus vocatus est. In conuentione ipsa Sandomiriensi scrupulosius omnia tractata sunt, res Litthuanicas contingentia, et a Rege Vladislao inquisitio facta, quibus probris, iniurijs, et contumelijs Dux Swidrigal ipsum affecisset, quibus omnibus auditis et cognitis, omnes in Cholaram pro dehonestatione Regiae Maiestatis inflammantur. Afferuntur et plura noua inflammationem huiusmodi augentia, denunciatur enim ex Podolia, qualiter Dux Swidrigal per suos aliqua castra in Podolia occupasset, et circa castrum Smotrycz aliquanto tempore obsidionem per suos continuasset. Ubi superuenientibus gentibus Regijs dimicatio repente facta et gentes Ducis Swidrigal ad extremum caesae, et castrum obsidione solutum. In districtibus insuper Regni Poloniae, Trebowliensi, Leopoliensi, et alijs crebrae incursiones, spolia et damna, per gentes eius dum Ducis Swidrigal ex castris, Sbaraz, Krzemyenecz, et Oleszko fiebant, Et quamuis Vladislaus Rex super huiusmodi iniurijs sibi crebro scripsisset, requirens et rogans, ut huiusmodi incursiones et damna fieri prohiberet, nullum tamen potuit requisitio Regia sortiri effectum.

Stat

Haec et plura alia per Praelatos et Barones in Consilio maturo digerebantur, nemini ex Consiliarijs satis placebat ordinatio Regis, qua Ducatum Magnum Litthuaniae in Ducem Swidrigal contulerat, hominem offensi cerebri et naturaliter pene vesementem, et delirum, Rempublicam, et Regnum, et Ducatus, quoad in Ducatu magno praesideret turbaturum. Quia tamen durum et difficile visum est illum de possessione Ducatus Magni detrahere, tum quod Vladislaus Poloniae Rex ex culto et intenso ardore studebatur sibi favere, tum quod a Ruthenis miro diligebatur affectu, placuit omnibus modeste rerum singula, si forte aliquo pacto sua minus et vesementia sanari posset, tractare, in quo non tam sibi quam Regiae voluntati deferebatur, qui aeque et amplius quam sibi, aut suis natis de omni honore et amplitudine, et signanter Ducatus Magni excellentia favebat. Et quamvis omnium Praelatorum et Baronum consilio et deliberatione bellum contra ipsum in futura aestate gerendum, et signanter pro conquisitione castri Luczsko, fuisset decretum, Nuntij tamen ex Sendomiria ad illum Litthuaniam missi sunt, videlicet Stanislaus Posnaniensis, Joannes Chelmensis Episcopi, Sandziwogius de Ostrorog Posnaniensis, Joannes de Lichin Brestensis, Palatini, cum his mandatis ut Luczko castrum et terram Lucensem quae de proprietate et dominio Regni Poloniae fuisse constabat, et castra occupata in Podolia restituat, et amplius terram illam ab antiquis Regibus Poloniae pacifice possessam vexare desistat. Ut cum Vladislao Rege et Regno aut pro die Sancti Georgij aut pro festo Ascensionis Domini, aut pro festo Penthecostes conventionem agat, ad sopiendum rixas et dissidia inter Vladislaum Regem, et ipsum quomodolibet exortas, utque in huiusmodi Conventione de Ducatu Magno Litthuaniae, quem praefatus Dux per vim et contra federa Regni et Ducatus occupaverat, dispositio fieret, et Dux ipse Ducatum praefatum a Rege, Regno, et Ducatu

sibi

sibi de illo providere, et sibi illum conferri peteret et postu
laret, Aspirabat enim Vuladislaus Rex ad promotionem
suam, et propterea pro celebranda Conventione, tres termi
nos consignaverat, sperans illum unum ex tribus acce
pturum, certus existens, si Conventio celebraretur, posse
funditus omnes lites et bella extingui, et Ducem Swidri
gal, ad pacem et concordiam fraternam, bonumque ordinem,
et bonam mentem reduci. Dum autem Nuntij praefati
ad illum venissent, et mandata Regis et Regni exposuis
sent, respondit se neque Luczsko et castra in Podolia occu
pata dimissurum, neque Ducatum magnum cum illum na
turali successione integre possideret, a quoquam petiturum.
Alterioribus tamen subterfugijs rem ducere satagens, ob
tulit se super omnibus requisitionibus Vuladislao Regi
et Regno per suos Nuntios responsurum. Sed cum obla
tionem non implevisset, missus Joannes Lutek de Brzezie
Notarius Regius, qui mandata Regis fideliter, liberius
tamen quam aspicere parum sensatum Ducem conveniret dis
serens, ab ipso Swidrigalo Duce maxillam in vultum per
tulit, dedecusque sordidum non tam Regi et Nuntio suo, vio
lando ius gentium et humanitatis praevaricando foedus,
quam sibi et nomini suo inflixit, praevaricatus legem omnium
hominum, ipsorum etiam barbarorum, apud quos Legati,
quantumcunque ferant invisa, inviolabiles habentur. Indi
gnabundus et nimia ira percitus Vuladislaus Poloniae
Rex audivit id facinus, nec immerito, violatum enim ius
gentium, spreta germanitatis, et, quod omnia superat, hu
manitatis faedera, in Nuntij sui querebatur persona, mul
tifarijs siquidem persuasionibus, multisque blanditijs effi
cere Rex Ducem sibi morigerum nitebatur et unanimem,
verum Ducis levitas, ducta moribus inconsultis, ad eam
temeritatem processit, ut etiam Legatum Regium decen
ter et fideliter suadentem, violaret, cui, velut paces inter
arma infestissima sequestro, deferri etiam a barbaris solet.

In eadem insuper conventione Sando
miriensi, Sophia Poloniae Regina, magnum indignationis
nubilum contra Joannem Strasch de Byalaczow militem
de domo

+

de domo Odrowanses gerens, qui ipsam coram Duce olim
Lithuaniae Alexandro, et Praelatis et Baronibus Lit-
thuaniae incontinenter palam diffamasset, ius sibi con
tra illum, licet id sanior et maior Praelatorum et Baro
num pars dissuaderet, petijt per Vladislaum Regem de
cerni. Qui precibus suis annuens ius locat militare, et Pe
trum de Vucdaua, iudicem Siradiensem pro iudice con
stituit. Apud quem Sophia Regina per aliquot Barones,
videlicet Albertum Malski Castellanum Lanciciensem,
tunc Magistrum Curiae suae, item Msczugium de Skrzin,
item Clementem Vuantropka de Strzelcze, item Petrum
Curowski et alios querelas suas proponit, singillatim de
ducens Joannem Strasch ipsam multipliciter de stupri
consuetudine suo ore diffamasse, offerens se testibus id pro
baturam. Sed et milites praedicti diffamationi huiusmo
di se interfuisse profitebantur. Praefatus autem Joannes
Strasch, ab omnibus quidem consanguineis et notis desertus,
et non nisi ab uno fratre Joanne nigro Strasch adiutus,
tot querelis respondendo, una tantummodo ad singula
accusationum capita responsione utebatur, asserens se
nunquam huiusmodi probra et facinora in Sophiam Reginam
commentasse, paratus accusationis suae facinus iure mi
litari diluere, offerens manus dextrae protensione iure pur
gatus cum quolibet accusatore, duelli pugnam se initurum.
Verum dum nemo ex Baronibus querulantibus palestram
duelli acciperet, Straschoni praefato purgatio per iudicem
decreta est, quam e vestigio iuramento corporali expleuit,
Rege tamen mandante, Strasch ipse in turrim castri Sen
domiriensis, cuius tunc Joannes de Czeszow erat Capita
neus, et in eius fundum detrusus est. Cuius notabili tempore
sustinens molestias, parum abfuit ut ille non periret, ex car
bonibus enim viuis, qui illi ministrabantur, vapor et fumus
exortus, turrim replens, puerum qui secum erat extinxit,
Straschonem ipsum absque dubio si non celeriter de turri semi
uiuus et vix adhuc spirans foret extractus, prope horam ex
tincturus. Itaque Joannes Strasch, si verum fatendum est,
inimicorum

inimicorum molitione et opera, nec criminationi habis fuerat nec supplicio exemptus

Ex Sendomiria Wladislaus Poloniae Rex per loca solita in novam civitatem Korczin pro medio Quadragesimae advenit. Ubi ad Suam Serenitatem veniunt Bohemorum Nuntij rogantes ut Sua Serenitas daret illis licentiam ad conspectum suum veniendi, et praestaret illis audientiam publicam, praesertim cum omnis Sinagoga eorum Sectae et fidei, et fere singuli ritus sui primores in propinquo videlicet apud Oppidum Gliwicze agerent, quod per Bohemos expugnatum Dux Sigismundus Koributh possidens, vicinas Slesiae regiones ex illo, cum assistentia multorum Polonorum, et Bohemorum, qui labe haeretica infecti erant, spoliabat. Wladislaus autem Rex cum dudum ante et Sedis Apostolicae indultum, et Sigismundi Romanorum Ungariae, et Bohemiae Regis liberalem consensum habuisset, posse cum Bohemis quoscunque licitos et honestos miscendi super fide Sancta Catholica tractatus, et altercationes, et illos convincentibus modis ad unionem et obedientiam Ecclesiae universalis reducendi, annuit et consentit, ut Cracoviam pro Dominica Iudica accedant, publicam audientiam a Rege, et impugnationem suae Sectae ab Universitate Cracoviensi habituri. Universitatem quoque Cracoviensem Rex avisat, ut pareat se cum Bohemis Haereticis ad congrediendum fidei Catholicae puritatem defensuri. Interim quo haec aguntur et parantur, gentes Ducis Sigismundi Koributh, partim Poloni, partim Bohemi, quorum Wierzbiatha de Krzyszow, Zawischa Wierzalkowski Niemczik, principales videbantur, ex Gliwicze egressae, crudelitate plus quam barbarica in monasterium Carthusiensium Lechnicza, quod alio nomine vallis Sancti Antonij vocitatur, in confinibus Ungariae et Poloniae supra fluvium Dunaiecz situm, sacrilegissime irrumpunt, credentes illuc maximum thesaurum fortunarum multarum conditum esse. Spoliant in primis Monasterium et locum sanctum, vasis, vestibus et ornamentis, duo Dratis, libris. Et spolia summo

ex

di rengno fruitis, dum attendunt se magno suo periculo
et labore, tenuem et paruam praedam quaesiuisse, maiori
vesania et furia accenduntur, aliquos ministros Dei occi
dunt, aliquos vulnerant et verberant. Priorem vero vi
rum, iam senem et grandaeuum, credentes ab illo occultatos
thesauros Monasterij posse ostendi, secum vinctum abdu
cunt. Magnus illico fremitus et pauor singulos qui haec
audierant, omnia vltra verum efferentium coortus est,
Cracouiam quoque nouitas mox et celeriter alata, Sbi
gneum Episcopum Cracouiensem illico commouit, et ze
lo accensus ne tam manifestam iniuriam et offensam Dei
sineret esse inultam. Itaque eadem die et nocte, qua haec
sibi denunciata sunt, tum ex fratribus et amicis, tum
ex familiaribus suis, notabilem colligit exercitum, quem etiam
ciuitas Cracouiensis per suas gentes auxit, Sequenti die fa
cto prandio Cracouia, egressus cum exercitu bene notabili
et potenti, praestantes Barones et milites Poloniae continente,
in Lipowiecz peruenit, volens praefatis gentibus, Ducis Si
gismundi, spolia Monasterij Lubnicz ferentibus occurrere,
et tam spolia facta, quam Priorem captum liberare. Sed
illico ab exploratoribus cognoscit, praedones huiusmodi
et diuino et humano perterritos terrore, eodem die prope
castrum Lipowiecz visos et praetergressos esse, et in fugienti
um morem nullo in loco consistere ausos, in Gliwicze veloci
cursu properare. Quo cognito, aliquibus eorum, qui consequi
agmen fugientium non poterant, comprehensis, tristis Cra
couiam rediit, dolens se vnius prandij spacio tantam victi
mam e manibus dimisisse, et iniuriam Dei vltam non esse.
Ab eo autem tempore Dux Sigismundus Koributh hosti
lem animum contra Sbigneum Episcopum concipiens, magno
astu desiderabat sibi et mortis, et quorumlibet tendere insidias
periculorum. Et licet praedones praefati, praedam in Monaste
rio praedicto captam in Gliuuicze detulissent, vindicta tamen
diuina illos et publice et priuatim sequuta est, nec aliquis illo
rum foedam et subitaneam mortem euasit

Ex

Ex noua Ciuitate Korczyn Vladislaus Rex pro Dominica Iudica Cracouiam, pluribus Praelatis et Baronibus concomitantibus illum aduenit. Et quo iam sub suo Regio conductu, Dux Sigismundus Koributh, et Bohemorum Haereticorum principaliores, videlicet Procopius apostata Ordinis minorum, Petrus Anglicus Byedrzych, Vilhelmus Kostka et plures alij conuenerant. In praesentia autem Vladislai Regis, Praelatorumque et Baronum Poloniae disputatio in castro Cracouiensi in Stuba magna murata, respicienti fenestras domus Canonicorum, per Doctores Vniuersitatis Cracouiensis cum Bohemis Haereticis feria secunda in crastino Iudica habita est. Erant autem hi Doctores in diuino et humano iure periti Stanislaus de Scarbimiria, Nicolaus de Koszlow, Andreas de Kokorzino, Franciscus Creiswicz de Brega, Joannes de Elgoth, Benedictus Hesse de Cracouia, Jacobus de Paradizo, Helias de Vuanuelnicza Decanus Sandomiriensis, plurimorumque aliorum longus ordo. Durauit autem disputatio ipsa diebus aliquot, cum in Polonico fere omnia argumenta et responsiones fierent, Et licet Spiritu Domini suis fidelibus subministrante virtutem et veritatem sermonis, Haeretici ipsi iudicio non spiritualium solum, sed etiam saecularium tunc audientium victi forent, victos tamen se esse nullatenus fateri voluerunt, propter quod Vladislaus Poloniae Rex tali ad illos usus est sermone. Etsi argumenta et probationes legitimae, ex veritate Euangelij et Scripturarum Sanctarum sumptae, quae hic in praesentia mea, Praelatorumque Principum et Baronum meorum, pro confutatione Sectae vestrae per Doctores Vniuersitatis meae Cracouiensis inductae sunt, vos non mouent, realia saltem exempla moueant, quam primum enim fidei Sanctae vnione abiecta, in varias errorū caligines scissi et prolapsi, et suggerente vobis inimico generis humani, nouam Sectam a puritate fidei Catholicae abhorrentem practicare coepistis, illico florentissimum Regnum vestrum adeo depressum et pene conculcatum est,

ut

ut nec Regem habeatis, nec Pontificem, non sacrificium, non victimam, Universitas Pragensis fons naturam irrigans aruit, principes et Barones a servis et rusticis gladio summoti sunt, templa incensa, corpora Sanctorum disiecta et violata, virgines stupratae, religionis sacra pessundata, et exclusa, omnia violentia et impetus, non consilium, non ratio gubernat, ut etsi aliqui Baronum et Nobilium supersint, si tamen a rusticorum genere, qui in ingenuorum et nobilium successerunt fortunas, adeo obtriti sunt, ut resurgendi, et Rempublicam defendendi, et capessendi nullam habeant facultatem. Equidem et ego ex progenitoribus meis homo gentilis sum, Praelatorum et Baronum Poloniae vocatione renatus ad fidem, saltem vobis documento sim, quod a plerisque Bohemis in iure divino et humano Doctoribus, curiam meam sequentibus, fidei rudimenta, velut novus Catholicus sugebam, qui non aliam fidem mihi sectandam, nisi in qua sto, reliquerunt, Hanc velitis obsecro per misericordiam Domini nostri Iesu Christi et vos sequi, et suscipere, a Summo Pontifice et Catholica Ecclesia, super articulis, quos temerarie et pertinaciter defenditis, informationem. Nam etsi universis fidelibus dolendum sit, de vestra deviatione, mihi et Regno meo eo amplius propter Regnorum vicinitatem et linguarum identitatem. Moverunt hi sermones omnium circumstantium corda fidelium, Bohemorum tamen arida et fera, nullum potuerunt concipere humorem, allegantibus illis se rectam Evangelii et Patrum viam, aliquando ignotam, nunc compertam sequutos esse, nec ab illa quoquo modo discessuros, nisi per generale Concilium, in quo daretur illis facultas opiniones suas defendendi, victi et superati essent. Ita re infecta discessum, stabant tamen in Cracovia pluribus diebus, et in praesentia eorum Ecclesiasticum servabatur interdictum. Sbigneus Episcopus ad consecrandum Chrisma et ad reconciliandum poenitentes in

Mogila

Mogila Monasterium exurerat, sacrisque praecipiens di-
strictum servari Cracoviae interdictum. Et licet aliqui saecu-
lares persuaderent, ut in praesentia Bohemorum, quod faci-
lius eorum reductio tractari et effici posset, divina officia
tenerentur, praefatus tamen Sbigneus Episcopus cum omni
clero suo fortiter restitit, et constantia sua omnium conatus
fregit. Coactusque fuit Vladislaus Rex ne civitas insignis
prodibus pallosa Ecclesiasticis careret officiis Bohemos
Haereticos in Casimiriam reijcere, non sine ipsorum turpi igno-
minia et nota. Civitas quoque Cracoviensis omnes portas
sub fideli custodia, ne Bohemi clandestine intrarent, clau-
sas observare coacta est, pro qua re magna cholera et
furore Bohemi accensi multa maledicta et contumelias
plures in Sbigneum Episcopum Cracoviensem expuebant,
quem sciebant suae exclusionis principalem esse causam
et auctorem. Unde et expost frequenter Dux Sigismun-
dus Coributh in consilio Regio cum eo iurgatus est, et
verba eorum usque ad testatas inimicitias procedebant.
Praefatus enim Sbigneus Episcopus, zelo fidei accensus,
conatibus praefati Sigismundi Coributh animose resi-
stebat, et suas confutabat instantias, a nonnullis ob id
Sigismundo faventibus, carptus liberiori quam convenie-
bat voce, Consiliariis, Sigismundo Duce, nonnulli et bono-
rum vastationem, si de caetero molestus sibi et suis perge-
ret, comminante, Istud, inquit, nescis superbe facile me
tuam insolentiam comminuturum. Dum autem praefatus
Dux et Bohemi tam per Vladislaum Regem, quam Consi-
liarios suos licentiati ex Cracovia discederent, retortis in
Cracoviensem Ecclesiam Dux Sigismundus oculis, minaci
ore, iam non Sbigneo Episcopo, sed Ecclesiae Cracoviensis
beatissimo Pontifici et patrono, manu contra Ecclesiam
vibrata diffidabat dicens, Staszku Staszku sis ausa-
tus de mea contra te hostilitate. Parabat homo profa-
nus et ita in animum induxerat Ecclesiae Cracoviensis
bona, et possessiones quamprimum in Climiecze venis

sit

set, spolijs et incendijs vastare, et omnimodo de in
iuria sibi et Bohemis Haereticis per Sbigneum Episco
pum in observatione interdicti facta, ultum iri. Deus cle
mens dominus, qui non deserit per rectum gradientem
iter, aliter praeordinaverat. Interim enim quo Dux Sigi
smundus et Bohemi, tractatibus cum Vladislao Rege
in Cracovia vacabant, Conradus albus Dux Olesni
censis et Kozlensis, oppidum Gliwicze, in quo sibi
Dux Sigismundus et Bohemi Haeretici sedem et quendam
quasi nidum posuerant, intempestae noctis silentio, pro
dente quodam Slesita Bernardo Fior, qui inter Bohe
mos et gentes Ducis Sigismundi sibi continua familiari
tate conciliaverat fidem, feria quinta infra Octavas
Paschae ante ortum Solis irrupit, et oppidum praefatum
cum omni praesidio Bohemorum et Ducis Sigismundi vi
riliter cepit, et plures mortales illic aut occidit aut ca
ptivavit, magnamque praedam rerum plurimarum ex vi
cinis regionibus spolio contractam nactus est, et Hae
reticorum Sinagogam illic congregatam, velut Prin
ceps Catholicus summovit, contrivit, et dissipavit. Ita
Dux Sigismundus et Bohemi, qui Carthusienses in Le
chnycza probris et spolijs affecerant, qui Beato Stani
slao et patrimonio suo vim facere parabant, poenas
dignas penderunt, nec longe abfuit, quin ipsi Dux Sigi
smundus, et Bohemi Haeretici in manus praefati Ducis
Conradi albi inruerent. Ibant enim ex Cracovia ala
cres et securi, omnium quae in Gliwicze acta sunt,
ignari, et absque dubio ulla securitate oppidum Gliwicze
ingressuri, ni quidam eorum familiares ex ipso oppido,
dum per Ducem Conradum caperetur, fuga elapsi, qui
stratas ut aliquem caperent observabant, ipsos in quan
tum irent periculum avisassent. Avisamento autem
huiusmodi suscepto, nimio terrore et dolore consternati,
in Odri castrum, quod tunc per Doboslaum Sulsatam
tenebatur

tenebatur, et deinde in Bohemiam tumultuaria fuga dila
psi sunt, minarum quibus castellum et Sanctum Domini Sta
nislaum terruerant, prorsus obliti. Ab eo quoque tempore
Ducis Sigismundi Koributs pondus et existimatio adeo con
fracta et languidata est, ut in sortem veniret tenuem et
humilem, et omnes illum velut virum a Deo reprobatum
aspernarentur, praedictusque Sigismundus Koributs Dux
contumeliae suae in Deum et in Sanctum eius, ultionem
sensit. Mercedem quoque putidissimae linguae interceptione
oppidi praefati Klimuntz, et rerum omnium nobilium quas
congesserat direptione accepit. Ex gentibus autem Sigi
smundi Ducis Lithuaniae centum notabiliores capti,
et in hostile deducti, Oppidum autem Klimuntz, ne eo
hostes iterum potiti, novo bello urgerent Slesitas,
igne conflagratum

Ex Cracovia Vladislaus Poloniae Rex
post festa recidens paschalia per solita loca pro Dominica
Jubilate venit in Byerz, transmisso in omnes terras
Regni sui ex Cracovia mandato, ut contra Lutzkam in
bellum procederent, Quo apud Brez agente venit ad
eum ex parte Ducis Swidrigal nuntius, Dux Vuaszelo,
dictus Crasznivuaszelo, qui ad legationem Regis respon
dendo, asserebat Ducem Swidrigal neque de Lyurzko, neque
de castris in Podolia occupatis, quoquo modo cessurum
quinimo petebat et Camunietz et caetera Podoliae castra
eidem tradi, post quorum consignationem non abnuebat
cum Rege illum conventurum. Quod si civitates et ca
stra, quae manu tenebat Vladislaus Rex in Podolia tra
dere sibi recusaret, non esse conventioni et placitationi
locum, quin non resultaret causa pro qua esset in huius
modi conventione tractandum, quinimo esset supervacuum
fatigas et impensas subire. Venerat et tunc in Brez
ad Vladislaum Regem Lodovicus de Langsze Com
mendator Thorunensis, a Magistro Paulo de Ruszdorff
Prussiae et Ordine missus, in effectu perorans, ut Vla
dislaus Rex cum germano suo Duce Swidrigal digna

retur

retur pacem et honestam concordiam acceptare, pro qua se fideliter laboraturum Magister ipse et Ordo offerebant. Cui Vladislaus Rex actis gratiis, Magistro et Ordine de interpositione commendatis, pacem inter se et Ducem Swidrigal a quo conditionibus arbitrandi, potestatem permittebat. Verum ferunt multi, quamvis res impossibilis, et mendacio persimilis videtur, quod Vladislaus Rex uno duntaxat arbitro Joanne Stembarski, propter interpretandum verba, cum ignarus esset Theutonici idiomatis, assumpto, cum praefato Ludovico Commendatore secretos habuit tractatus, rogans et persuadens ut Duci Swidrigello Magister et Ordo faventes, assistentiam exhiberent contra Regnum effectualem, et ruptis pacis perpetuae inscriptionibus Regnum hostiliter, si Poloniae Regni exercitus quoquam in Swidrigellum hostiliter moveretur, invaderent. Nec tantum huiusmodi clandestino tractatu contentus, Andream de Lubin tunc dilectum Secretarium suum de armis Pomiala, et Stephanum Cibski Canonicum Posnaniensem aulae suae notarium de domo Luba ad Magistrum et Ordinem transmisit, qui iuxta instructionem Regiam Magistrum et Ordinem in Poloniae Regnum vastationem composuit, quae omnia exinde Vladislao Rege mortuo, praefatus Paulus de Ruszdorff Magister Prussiae Vincentio Kots de Dambno tunc Regni Poloniae Vicecancellario ad se in legatione nomine Regis venienti patefecit, asserens se nunquam foedus cum Regno Poloniae firmatum violasse, nisi prece et persuasione Vladislai Regis ad id fuisset stimulatus. Omnia tamen ego haec pro falsissimis existimo, cum Cruciferi ad colorandum fraudes ruptorum foederum mendacissime id et plura alia creduntur commentasse. Rumoribus autem et relationibus hiis etc. tres Pontifices, Sbigneum Cardinalem et Episcopum Cracoviensem, Vincentium Archiepiscopum Gnesnensem, Thomam Cracoviensem

Episcopos

Episcopos, denunciatores habeam, neque tamen affirmata eorum relatione res haec fuit, nec pro vana praetermissa, Ex mansuetudine autem singulari, quam praefatus Vladislaus Rex et in pectore et in operibus gestare consueverat, misit ex Bycz ad Ducem Swidrigal Secretarium suum, et notarium, Joannem Lutkonis de Brzesze, rogans et requirens illum, quatenus se errare, et non germane nec fraterne agere aliquamdiu recognosceret, et cum ipso Vladislao Rege ad concordiam fraternam rediret, facta sibi de iniurijs reconciliatione, et recompensa. Sed ubi pacem credebat occurrere, illic immenso dolore sauciatus est, praefatum enim Lutkonem fideliter et animose mandata regia exponentem, in choleram accensus, ira parum temperans ad maxillam cum manu extensa cecidit, et captivitatis custodia mancipare non fuit veritus, in maximam Regis et Regni, cuius Nuncij non solum apud Reges et Principes Catholicos, sed etiam apud Imperatores Turcorum, Tartarorum, et Saracenorum summo honore tractabantur, contumeliam et pudorem. Haec quoque novitas Vladislao Regi et suis Consiliarijs nunciata, impulit illum omnibus pacis et quietis consilijs abiectis, de instaurando bello contra Ducem Switrigal velut hominem furiosum et dementem de castro ferventius cogitare

Ex Bucz Vladislaus Rex proficit in terras Russiae, Et in Przemisl pro festo Sancti Joannis Baptistae perveniens, missis Cracoviam factoribus, qui bombardas, sagittas, et res bellicas coaptarent, et versus Luczko ducerent, feria secunda in crastino Sancti Joannis Baptistae de Przemislia egressus, per Medicam, Hrubyeschow, et alia solita loca confluente ad illum ex omni parte populi multitudine, feria secunda ante Sanctae Margarethae in Hrodlo pervenit, et castra exercitus sui supra fluvium Bug posuit, duodecim quoque diebus illic stativa habuit, exercituum suorum plenarium praestolando adventum. Infra illos autem duodecim dies particularia certamina cum hostibus habere coepta, Hryczko enim Kyerdeowicz, cum Duce Senkone filio

Ducis

Ducis Romani pugnans, omnes suas gentes confligit, sed et ipsum Ducem Senkonem interficit. Castra Vuladzimirz et Sbaras3 metu Regis et sui exercitus a praesidibus derelicta exusta sunt, et omnes pene terrigenae Lucenses pavore nimio territi, cum Rusticis, pecoribus, et fortunis suis, in loca abdita, prout quemque sors ferebat, dilapsi, universaque terra Lucensis ad primum adventum Regium habitatoribus est nudata, et ab illis prorsus deserta. Ex eisdem etiam stationibus Rex diffidatorias literas pro ampliori cautela et honestate, licet non fuissent necessariae, Duci Swidrigielo per Olischonem Ruthenum, quo Rex pro deliro utebatur, transmittit, causas belli in eisdem exprimens, quod involverit terram Lithuaniae et Ducatum Magnum Lithuaniae, sine suo et Regni Poloniae consensu occupasset, et illum non recognosceret se a Regno et Rege possidere, nec aliquam inscriptionem et iuramentum corporale, de praestanda fidelitate et obedientia Regi et Regno praestitisset, quod terram Podoliae hostiliter invasisset, et quaedam castra in illa occupasset, quod Nuncios Regis foede et turpiter tractasset. In eodem etiam loco exercitus omnis Regius terrarum Cracoviensis, Sandomiriensis, Lubliniensis, et Russiae ordinatus est, exercitus vero terrarum maioris Poloniae nondum advenerat, sed multa damna propriis faciens tardo gressu movebatur, cuius adventum Rex praefatus duodecim diebus praestolabatur. Quod si iuxta multorum consilia et hortamenta festina in Luczkam ire, nulla mora valuisset, Luczko castrum, quod tunc fuit praesidio militum, et omni genere defensionis vacuum, sibi fuisset traditum, et absque omni difficultate resignatum. Sed Vladislaus Poloniae Rex, quanta poterat ampliori dilationes de die in diem rem extrahens, occasionem interrumpendi belli, aut in aliud tempus suspendendi eventuram expetebat, molestiae ferens Russiae terras affligi bello et igne absumi, ac fratrem suum Ducem Boleslaum

slaum Swidrigal Ducatu magno Litthuaniae spoliatum et exclusum iri, Mortique ducebat amarius, Ducis Swidrygelli ex Ducatu Litthuaniae eiectionem, unde nec tacitus aut simulans, sed plerumque aperta comminatione Consiliarios bellum illud suadentes, arguebat, belli molestiis se probe exsaciaturum

Sabbato in vigilia Mariae Magdalenae, motis castris ex Hrodlo per pontes in flumine Bug, per gentes Regis factos, Wladislaus Rex flumine Bug superato, castra in ripis eiusdem fluvij Bug prope oppidum Uscziluh posuit, et duobus diebus illic mansit. Sub quibus certamen nobile inter sexingentos equites de gentibus Regis, et Ruthenos ac Tartaros fuit commissum. In quo gentes Regis, multitudine hostium, multo se numero, et robore superiore, debellata, caesaque, plures captivos ad praesentiam Regis perduxerant, uno tantummodo in huiusmodi conflictu Polono notabili Zagroba, et alijs paucis desideratis. Miserat et tunc Wladislaus Rex ad Ducem Swidrigal duos Nuncios Albertum Malski Lanciciensem, et Laurentium Zaramba Siradiensem Castellanos, offerens conditiones pacis honestas, dummodo vellet recognoscere culpam suam et redire ad fraternam unionem simulatus, nihil tamen clementia Regis intimatio efficere potuit apud hominem naturaliter furentem, insolentem, et delirum. In eodem loco Sbigneus Episcopus Cracoviensis tam Regem quam totum exercitum prostratum humiliter benedixit, et exinde cum Joanne de Tarnow Palatino Cracoviensi valetudinario, et Wladislao de Oporow Regni Poloniae Vicecancellario ad propria remearunt, Sigillum quoque Regium, quod Vicecancellarius ferebat, Nicolao Drzewiczki Custodi Sandomiriensi, viro prudenti, fideli, et integro, Reipublicaeque maximo zelatori interim consignatum, nobili de taurorum domo

Feria secunda in Die Sancti Apollinaris ex Uscziluh motis castris Wladislaus Rex et exercitus suus, transitum per oppidum Wladzimirz faciens

farunt, castra sua medium milliare post oppidum Vuladzimiersz prope villam Zimno Mszczugij de Skrzin locat, tribusq diebus stativa illic habita. Sub quibus tres insulae parvae et una sylva stagnis et lacubus circumsepta, difficilem habentes et periculosum aditum, per exercitum Regis comprehensae sunt, defendente illas multitudine Ruthenorum, qui se uxores, pignora, pecora, et fortunas suas velut in tuto illic locaverant, praeda ingens reperta, in exercitum Regis partita est. Oppidum Vuladzimiersz cum pluribus villis, Rege nequicquam prohibente, exustum, Feria quarta in die Sancti Jacobi Apostoli, ventus validus, grandine corruscationibus et fulgure pluvia mixtus, duabus et amplius horis exercitum turbavit, plura tentoria, aut deijciens, aut confringens, sed et Regis Capellam, ipso adhuc orationibus vacante, vi tempestatis allisit. Tres homines in tentorijs fulmine extincti, pluvia ingenti, usq ad noctem durante, Oppidum Vuladzimiersz cum suo districtu Vuladislaus Rex Duci Fyedusckoni nepoti quidem suo germano sed Schismatico ritus Ruthenorum donat et inscribit.

Feria Sexta post festum Sancti Jacobi Apostoli, motis castris a villa Zimno, Vuladislaus Rex in villas Brzeszowiecz, Dalubowiecz, et Mihulowiecz venit, et castra illic posuit, defectusq aquae angebat exercitum, cum aqua non nisi coenosa profunde quaesita posset reperiri. Exinde Sabbato in die Sancti Pantaleonis consurgens, castra in amaenis collibus, quercubus obsitis, prope villas Skorecz et Bilhuprecz Cristini de Ostrow Castellani Cracoviensis locat. Ibi magna pars exercitus Sacramento Eucharistiae procurata est, sed et exercitus terrarum maioris Poloniae in multitudine gravi illic advenit, cuius primores Vuladislaus Rex tum de tardo adventu, tum de damnis et violentijs nefarijs in proprios commissis corripuit, asserens se illo

rum

rum tarditati castri Luczsko possessionem neglexisse. Tribus autem diebus ille Vladislaus Rex mansionem suam continuans, feria secunda in die Abdon et Sennen motis castris in villam Sandomyce venit, Ad quam statim Lanciciensis et Siradiensis Castellanus a Duce Swidrigal revers[is], ex parte etiam Ducis præfati duo Nuncij videlicet Dux Constantinus et Sedibor Lithuani venerunt, Qui etsi nomine Ducis sui verba pacem petijssent, omnia tamen et arroganter, superbe, et minaciter depromebant, Post multos tractatus Sincere Sabcos cum ea conclusione remissi, ut Dux Swidrigal Sabbato proxime futuro ad conspectum Regis personaliter accederet, de pace et reconciliatione conditionibus æquioribus et submissioribus cum Vladislao Poloniæ Rege placitaturus.

Feria tercia ante ad vincula S. Petri ex Sandomyce Vladislaus motis castris, Oppidum atque castrum Luczsko attingere disponebat. Dum autem in itinere in villa Zabrodle divina officia occupatus audivit, Dobeslaus de Olesznicza Vnoinrunsis, Cristinus de Hozeglowy Sandomiriensis Castellani, Joannes de Olesznicza Regni Poloniæ Marsalcus, et Petrus Saffranietz Succamerarius Cracoviensis, cum suarum gentium Banderijs propero et celeriori cursu antecedentes exercitum, venerunt ad Luczsham, Et pontem in flumine Stir per hostes reperientes disruptum, penetrare in Oppidum Luczsko, cum essent eis vada fluminis Stir ignota, non poterant Dux insuper Swidrigel iam ille personaliter adveniens castrum Luczsko gentibus, prosinguarulis, sagittis, et victualibus, præfecto in Capitaneum Jurssa Ruthenno firmaverat. Potentia autem gentium suarum ex Lithuanis, Ruthenis et Tartaris collecta, habens iuxta estimationem ad sex millia personarum, stabat ex altera parte ripæ fluminis Stir, ingressum transeuntibus prohibitura. Quos milites Poloniæ prædicti, duabus bombardis Tarasznicze vocatis, contra illos crebro proiectis a prohibitione ripæ excludunt, Fugissentque et Dux Swidrigal et omnes suæ gentes tunc virtute Dei per Polonos

prostratæ

prostrata, si praefati Barones mox in adventu suo instando
perculsis adduxissent timorem, et flumine Stir transvadando
hostes fuissent aggressi, sed ignorantia vadorum hostibus
stragem, Polonis plenam victoriam adimit. Dum autem Po
lonis et Lithuanis pro ripa Sirwinti demorantibus Vla
dislaus Rex cum potentia exercituum suorum, vespero
rum hora supervenisset, Barones praefati nihil profundi
tate fluvij Stir deterriti, cum gentibus plurimis in illud
prosiliunt, et amne superato cum in pluribus locis per ex
perientiam vada comperta essent, fere totus residuus
exercitus flumen per vada transit, Dux Swintrigal
exercituum suorum acies ordinante. Verum cum idem
Dux Swintrigal potentiam Polonorum validam et fortem
advertisset, civitati Liczko, in qua praeda Poloni potiren
tur, mansa, primus in fugam lapsus, reliquum omnem exer
citum in fugam vertit. Nulla itaque dimicatione aut resi
stentia facta, hostes per plura diffugientes itinera, aut tru
cidabantur, aut captivabantur, et multi mortales imo ma
ior pars exercitus hostilis, gladio, dum ob debilitatem equo
rum fugere non poterant, consumpta, caeteri capti, pauci fu
ga se salvaverant. Casolous et Rumboldus Marsal
cus Lithuaniae cum pluribus alijs Lithuanis et Ruthe
nis capti sunt, praeda omnis in curribus reperta militi
concessa est, Dux ipse Swintrigal ex coniectura veresi
mili credebatur diebus pluribus interfectus, dum vestis
quaedam sua sanguine rubrata inter spolia comperta et
recognita fuisset. Quem Vladislaus Rex amaris lamen
tis et fletibus deplangebat. Oppidi Liczko reliquiae per
exercitum Regis incensa et deleta sunt, Accidit et in illo
Polonis casus infestus, nam dum nonnulli milites, videlicet
Jacobus de Rogow dictus Narobny, Jacobus Lyganssa,
Paulus Sborzenski, Henricus Pakoslawski, Bulislaus
Syrawski, et Jacobus Comorowski longius fugientes hostes
persequuntur a caeteris Polonis se sequestrassent, Tartari
eorum paucitate conspecta in eos irruentes confligunt, et
multis inflictis vulneribus spoliatos omnibus rebus relin
quunt

quunt seminecos, qui non nisi die altera a suis inventi, et ad exercitum reducti omnes praeter Paulum Sborzenski ex vulneribus acceptis, quae vermes et culices suo morsu continuo exasperaverant mortui sunt.

Feria quarta in die Sancti Petri ad vincula Caduceatores in castrum Lwczsko missi, qui suaderent ut castri in manus Vladislai Regis fieret deditio. Sed Jursza Capitaneo ferociter respondente, spes deditionis omissa est. Andreas insuper Episcopus Lucensis cum esset genere Polonus, ipsa die ad Vladislaum Regem in castra veniebat, volens suae Serenitati facere assistentiam fidelem. In via vero per Polonos omnibus rebus, equis, et vestibus suis spoliatus est, et fere seminudus ad tabernaculum Joannis de Oleschnicza Regni Poloniae Marsalci, iussu Regis deductus est, et per ipsum Joannem Marsalcum vestitus.

Feria quinta in die Sancti Stephani Papae et diebus sequentibus plura et frequentia inter gentes Regis et castrenses fiebant praelia. Pons insuper in flumine Stir Regis mandato extructus, quo facilior foret exercitui pabulatio. Dux Masoviae Casimirus et Joannes Manzyk de Dambrowa Capitaneus Russiae cum sex millibus armatorum ipso die ad exercitum Regis reversi sunt, qui ex stativis, quae Rex prope Vladimiriam habuit, in Belzensem terram, quam Rutheni oppido Busko exusto damnificabant, animosi advenerant, et hostibus conflictis et prorsus profligatis victores redierant. Tenutario castri Olesko Bogdano Rohatinski gravi sponsione constricto, ut conquisitione aut deditione de castro Lwczsko facta, castrum Olesszko in manus Regias repraesentet. Praedictus enim Bogdan licet bona notabilia in terra Russiae sub Rege pacifice obtineret, ad Ducem tamen Swidrigal nulla necessitate cogente clandestine diffugit, propter quod Vladislaus Rex de bonis suis, videlicet Rohatin, pluribusque villis aliis Nicolao Parava de Lubin militi et familiari suo perpetuam fecit donationem.

Sequentibus diebus stationes partis exercitus Regii ultra flumen Stir translata et deducta sunt, et castrum ab omni parte vallatum, et aquae importatio pabulatioque hostibus de castro prohibita. Sed et Vladislaus Rex

Rex tentoria sua in alteram partem ripæ fluminis Stir
in vallem prope Ecclesiam Sancti Crucis ligneam, ex oppo
sito castri situatam traiecit, Bombardæ quoque maiores ca
stro admotæ quatiebant et rumpebant murum, et plures
turres et spacium notabile muri deiecerant, Vuladyslao
Rege improbante murorum concussionem, et exhortante ali
quos, ut a proiectione bombardarum abstineretur, Ingre
diebantur autem castrum Lutzko clam de nocte nonnulli
Poloni, et cum adversarijs certos agitabant tractatus, animan
do illos ad resistentiam et subministrando eis victualia quo
rum magno defectu angebantur. Et quamvis aliqui per
custodias exercitus forent comprehensi, sine muleta tamen
dimissi sunt, propter quod multorum insimulatione Rex
omnium quæ sic turpiter fiebant conscius putabatur. Dum
autem rumores percrebruissent, Ducem Swidrigal venire,
et in villa Stepanye exercitum aggregasse, sequenti quoque
die mane videlicet feria tertia in die Sancti Donati cum
potentijs suis pro committendo prælio advenire, Nocte inse
quenti fremitus ingens in castris Regijs exortus est, omni
bus accingentibus se ad occurrendum, In aurora vero
universus exercitus aciebus ordinatis ex castris egres
sus stabat, copiam dimicationi facturus. Sed cum nul
lus appareret hostis ad tabernacula sua reversus est.
Swidrigal demum Dux intelligens armis et potentia se
inferiorem fore, dolis et fraudibus rem prosequi cœpit, mit
tit Nuncium suum Czatham ad Vuladislaum Regem in
castra cum literis Imperatoris Tartarorum, Regi et Ba
ronibus Poloniæ scriptis, per ipsum Ducem Swidrigal false
compositis, In quibus idem Imperator hortatur et requi
rit, ut abstineatur ab invasione et desolatione terrarum
Litthuaniæ, Et ut terra Podoliæ, quam iuris sui Impera
tor Tartarorum scribebat, Duci Swidrigelo restituatur,
asserens se donationem perpetuam de illa Duci præfato fecisse.
Irrisæ autem sunt literæ huiusmodi, et pro falsis habitæ,
nihil secum ferentes efficaciæ, nisi vaporem ad horam pa
rientem confusi terroris

Feria

Feria secunda in die Sancti Hyppoliti in aurora exercitus omnis regius ad arma consurgens oppugnare castrum Luczsko aggressus est. Nec oppugnatio aut conquisitio cessisset in irritum, moenibus discussis et nudatis, muroq[ue] in frequentibus locis disrupto, si iusta omnia fuissent per Regem ordinata, et praevisa. Verum omni exercitu ad oppugnationem occurrente, non ingenio, aut arte, sed viribus res omnis gerebatur. Multis Parkanum conscendentibus, multis muros irrumpentibus, non aliquis tamen sequebatur profectus, cum duntaxat hastis, gladijs et sagittis dimicaretur. Et dum nemo militum murum suffoderet, aut Parkanum securibus frangeret, nullusq[ue] cohortator, provisor, aut inspectator adesset, qui integros pro saucijs submitteret, qui sua adhortatione hostes terreret, et unusquisq[ue] pro suo libito aut pugnaret, aut oppugnationem desereret, hostes animos extrema formidine occupatos resumunt, et tum bombardis, tum fundis, fistulis, sagittis, lapidibus, Polonos ex muris et scalis deijciunt, multos occidunt, prosternunt, vulnerant, et ab oppugnatione turpiter cedere cogunt. Haec autem turpitudo et a castro praedicto repulsio, creditur Polonis idcirco accidisse, quoniam Ecclesias Dei non secus quam Ethnici et barbari vastabant, et exurebant, vasa domini et res Deo dicatas suis applicando usibus, ministros quoq[ue] Dei, sacerdotes spolijs et probris afficiebant, nec reputabant tanta mala alicuius fore salutis vel delicti. Eadem die post Solis occasum Iursza Capitaneus Luceoriensis Nuncios mittit petentes trium dierum inducias, infra quos si petitam defensionem a Duce Swidrigal non acciperet, castrum Regi traditurum se pollicebatur. Nemo dubitabat petitionem dolosam esse, Rege tamen, cui difficile erat resistere, volente, Treugae concessae sunt. Verum quamprimum altera die, aqua, et propugnaculis, lignis vallis, lapidibus, lateribus, et contis, castrum refectum est, denunciant Regi Treugis sibi opus non esse, ageret quae vellet se nullatenus de castro cessurum. Advenerunt die eadem duo Nuncij Litt. Suam petentes nomine

Ducis

Ducis Suintrigal, et Treuga firmata deputarentur ab utraque parte duodecim Barones, qui de pace agerent. Ad missa eorum petitionem Vladislaus Rex Treugas ad feriam sextam post festum Assumptionis duraturas, dedit. Omnis tamen labor pro pace tunc cassus fuit, Dux enim Suintrigal post adeptum Litthuaniae principatum insolentius se gerens, et salutaria monita respuens, ad bonam mentem non facile poterat induci, Eo etiam fortius inquinatior, quod arma nefaria contra proprium et Regem et germanum induerat, foedus quoque cum hostibus communibus Cruciferis clandestinum iunxerat, de quo plurimum confidens, ab omnibus honestis et quietis consilijs abhorrebat

Feria sexta post festum Assumptionis Sanctae Mariae; treugis expirantibus custodiae instationis contra castrum applicatae sunt. Verum dum in die media Poloni in huiusmodi excubijs secure starent, Sesa[?] coruum luto occupati, hostes ex improviso de castro irrumpentes Nicolaum Slanka de Lapszow militem, et familiam suam aggressi sunt, et plerisque occisis, caeteros affecerunt vulneribus, Fuisset quoque et ipse Slanka occisus, ni familiaris suus fidelis Stephanus offerendo se pro illo, sibi mortem, domino vero suo salutem praestitisset. Caesi tamen sunt, aucta virtute Polonorum hostes, et multi occisi, caeteri fuga in castrum delapsi. Sabbato post Assumptionis Sanctae Mariae veniunt ad Regem ex parte Ducis Suintrigal, Olelko et Vaszily Duces Ruthenorum et Gedigolts cum alijs quinque Litthuanis pro pace tractanda, Et licet diebus aliquot pax fuisset tractata, redeunt tamen Nuntij Ducis Suintrigal absque conclusione, Treugis tamen in dies octo firmatis, exercitu Regio dispendium adferentibus, cum tempus aestatis laberetur, et afferret in diurnos pluvias autumnus, quarum molestias certum erat exercitum non toleraturum

Dum haec agerentur castrum regale Ratno quod Hriczko hyrdeonowicz cum Rege in exercitu praesentiali tur

ter agens, timebat, a propriis et domesticis, erant enim omnes Rutheni, hostibus proditum et exustum est. Hostes quoq; fe licitati ipsa animati, in terram Chelmensem spolijs et igne sae uire ceperant. Sed Czyolek Burgrabius Chelmensis vix cum centum triginta personis adunatis, hostes securos, et nihil hostilitatis suspicatos, improuise inuasit, et adeo in paurfactos et somnolentos grassatus est, ut omnem multitudinem, pau cis fuga elapsis, aut occideret, aut captiuaret, Trecenti clade occisi, quadraginta capti, ita vindicta pro exustione castri Ratheno reddita, et vastatio terrae Chelmensis in hibita. Sub eodem insuper tempore quatuor Barones Po loniae Petrus Saffranniecz Succamerarius Cracouiensis, Petrus Myedzuyeski, Derslaus Vuloszounski et Hriczko Kyerdeowicz assumptis duobus millibus pugnatorum ex castris egressi versus Crzemuniecz quaerentes hostium congressum processerunt. Duces autem Vasili et Balaban ex castro Crzemuniecz egressi, in Polonos qui in insula prope villam Tyrnanye se locauerat, multitudinem eorum ignorantes, pabulatores eos rati, feria tertia infra Assumptionis Sanctae Mariae Octauas in aurora irruunt, sed a multitudine Polonorum illico obtriti, paucis fugien tibus fere omnes interempti. Poloni magna praeda potiti victores redierunt in castra, et uniuersum fere exercitum ex casto pauore refecerunt. In exercitu Regio magnus faetor et numerus muscarum in dies crescebant ex multi tudine equorum morientium, magna enim vis morbi et pestis in omni exercitu equos inualerat, ex eo proueniens, quod equi tritico aculeato, et setas habente, in gleba vberi nato, pabulati, digerere illud ex integro non valentes suf focabantur, ingensq; damnum ex peste equorum defici entium exercitus Regius ceperat, et multi mortalis ex equestribus in pedites fuere redacti. Triticum quoq; hu iusmodi, in palea equis datum, sub aculeis equorum sto machos et vulnerabat et perforabat, quod cum tarde a Polonis fuisset prospectum, maior pars equorum malo huiusmodi, et peste strata et absumpta est

Infra

Infra omne obsidionis tempus, crudelis inter
Polonos, Ruthenos, et Litthuanos committebatur dimicatio,
A Ruthenis tamen et Litthuanis primum orta, Si enim ca
ptiuabant aliquos captiuatos Polonos, inspectante exercitu in
muris concidebant in frusta, caeteros impletos aqua suffo
cabant et exquisitis necabant cruciatibus. Quinque insuper
Fratres Praedicatorum Polonos, qui in castrum Luczko in ad
uentum exercitus ex ciuitate fugerant, turpi morte damna
runt, Propter quod et Poloni in captiuos Litthuanorum
et Ruthenorum vicem reddendo saeuiebant, compensando
vicium vicio, ut non solum dexteris, sed etiam maioribus
propediis videreantur certasse. Ferunt etiam Jurszam
Capitaneum, et Litthuanos, atque Ruthenos in castro, in eam
amentiam et tyrannidem efluxisse, ut omnem in Pytho
nibus, et Pythonissis, retinendi et defendendi castri fidu
ciam reponerent. Unde petentibus Judaeis datus fuit
ex captiuis Polonis, unus adolescens forma elegantior,
quem continuo, cultro in gulam infixo occidentes, extra
cto ex corpore eius sanguine, ventrem diuidunt, et corde,
iecore, et alijs intestinis e corpore eductis, et in partes mi
nutas diuisis, in carbones viuos proijcientes, fumo exinde
orto, omnes castri parietes et angulos, quasi thuris odore,
precationibus canendo sacrilegas inficiunt, Juramento
asseuerando, Jurszam et obsessos, nullam obsidionis, aut
expugnationis vim de caetero castro fore nociturum

Die Dominico post festum Sancti Bar
tholomei fama vniuersum compleuerat exercitum, pacem
per Vladislaum Regem et Consiliarios suos, Ducisque Geor
gium Syemon, et Vaszily, et quinque Barones Litthuaniae
qui a Duce pro tractanda pace missi, feria sexta in die
Sancti Bartholomaei aduenerant conclusam esse. Sed mox
famam ipsam, quam Poloni laetis audiuerant animis, spe
rantes citum ad propria regressum, alia nunciata nouitas
restrinxit. Allatum enim est Ducem Swidrigal omnis tra
ctatus pacis, callide et dolose interponere, Ut ex Tarta
ris, Valachisque conquisito exercitu, Polonos inuaderet, et tem
pus

pus Autumni et Hyemis superveniens, Regem et Polonos
a castri oppugnatione desistere compellat, Polones tamen
ad demirandum animos, nihil hac novitas terrebat, Consu
mati interim fuerunt tractatus pacis, et capitula pro pace
inter partes conventa, Unde omnibus Nuntijs Ducis Suui
trigal pacis tractatoribus, ad Ducem Suuitrigal remissis,
iuncti sunt illis duo Poloniae Barones videlicet Sandivogius
de Ostrorog Palatinus Posnaniensis, et Laurentius Zaramba
Castellanus Siradiensis, ut cum Duce Suuitrigal pacis re
siduos articulos tractent, liment, et corrigant, Praesertim
cum Dux Suuitrigal novam difficultatem ingessisset, non
posse, neque velle pacis conventa observare capitula, nisi
Cruciferis et Valachis in sua parte inclusis, De quo su
spicio vehemens exorta est, quod suorum ministerij res hac
ferret, cum Cruciferi pacis perpetuae foedere iuncti, Vuala
chi Omagio Polonis subiecti agnoscerentur. Absumptus
est pro illis diebus morte Dux Fyedusko Ruthenus, ne
pos germanus Vuladislai Regis, omnibus thesauris, cle
nodijs, equis, vestibusque et bonis haereditarijs et quibus
cunque fortunis Vuladislao Regi legatis, quae omnia Vula
dislaus Rex in milites suos liberaliter distribuit. Feria
tertia in die Sancti Augustini Treugis expirantibus ca
stro concessis, custodiae contra muros a Polonis admotae
sunt, et Bombardis castrum crebro impetitum, Sed et
castrenses tum de turribus, tum de muris crebras fa
ciebant bombardis et fistulis provocaturas, contra custo
dias et exercitum, non sine Polonorum admiratione,
quippe sciebant castrum huiusmodi propugnaculis
fuisse vacuum, Propter quod maior suborta est, de qui
busdam nobilibus Baronibus Poloniae suspicio, quasi
fistulas, et pulveres castrensibus, receptis muneribus
subministrassent, ex quo postea multae contentiones exor
tae, et suspecti Barones de tanta iniquitate per milites
animosos publice notati, et ad dimicandum oblato du
ello provocati sunt, longoque tempore factor sceleris huius
modi, a suspectis Baronibus nulla diluj potuit purga
tione

tiorem. Laurentius autem Zaramba Castellanus Siradi
ensis huius facinoris insimulabatur patrator. Et a Stani
slao Czunkla de Konin, de genere cygnorum petebatur
ad duellum, qui improperia plurima in illum spargebat,
affirmans illum fraudium plurimarum in Regem, Re
gnum Poloniae et propriam gentem commentatorem.

Et quoniam Vladislaus Poloniae Rex
senio et laboribus confectus, curis belli parum intendere
poterat, et multa per negligentiam suam exercitui in
commoda succrescebant, propter quod Ducem Semovitum
Masoviae, et Nicolaum de Michalow Castellanum Cra
coviensem, Spithonem de Jaroslaw Sendomiriensem, San
divogium de Ostrorog Posnaniensem, Martinum de Ka
linowa Siradiensem, Stiborium Lanciciensem, Joan
nem de Lichin Brestensem, palatinos, Joannem de Ole
schnicza Regni Poloniae Marsalcum, Albertum Malski
Castellanum Lanciciensem, Andream Czolich Succa
merarium Sandomiriensem, Petrum Medzwyski desi
gnat et deputat, et ipsis in solidum curam et omnis ge
rendi belli et providendi, quae necessitas exposcerit, com
mittit. Sabbato in Die Sancti Aegidij, Pons ex lignis
magistraliter et artificiose dispositus, et ex altera parte
fluminis Stir locatus, magnum Castrensibus velut res
nova et insolita attulerat pavorem, cum et lapides mi
rae magnitudinis ex illo provecti multos mortales offen
derent, et cadavera equorum in castrum similiter pro
vecta multos turbarent. Propter quod petentibus ob
sessis a Rege Treugae fuere concessae; non sine Polonorum
amaritudine et pudore; Poterat siquidem castrum prae
dictum facile infra dies paucos vinci, poterat et bellum
cum magna utilitate et honore Regis et Regni confici,
et finiri. Sed Vladislai Regis pietas et clementia, qui
fratris sui Swidrigiello et Lithuanorum favebat partes
illud protraxit, et omnia instaurata debilitans, Polo
nis fecit adversa

Du

Die Dominico et feria secunda ante festum Nativitatis Sanctae Mariae post multos tractatus pacis hincinde habitos, tandem pax inter Vladislaum Regem Regnumque suum Poloniae ab una, et Ducem Swidrigal Ducatumque Lithuaniae partibus ab altera, non quidem perpetua, sed temporalis facta est, et literis firmata, sub certis modis et capitulis conventa, literaque reversales Duci Swidrigal transmissa, in quibus inter cetera cavebatur, quod pro festo Purificationis Sanctae Mariae inter partes conventio in oppido Parczow, fieret, pro perpetua pace concludenda, Dum autem conclusio sufferentiarum pacis in exercitu percrebruisset, omnis hostilitas inter exercitum, et castrenses summota et deposita est, plures de exercitu carnes, lardum, farinam, et plura victualia castrensibus exposuerant ad vendendum, Regio tamen mandato venditio ipsa illico abrogata et prohibita est

Feria tertia ante Nativitatis Sanctae Mariae Vladislaus Rex data licentia exercitibus et gentibus suis ad propria digrediendi, castrum Luczko obsidione solvit, et eadem die motis castris fluvium Stir transit. Altera vero die feria quarta exercitibus multifarie divisis Rex versus Vlodimirz processit, et circa villam Tharczin Episcopi Luceoriensis nocturnum faciens versus Regnum Poloniae per terram Chelmensem descenderunt. Ferunt aliquos ex Polonis avaritiae et temeritati indulgentes, qui post prohibitionem et post discessum Regis ad vendendum victualia circa Luczko remanserant, turpiter necatos aut captos et omnibus rebus exutos esse, posteris exemplum et documentum dedisse, ne de hostium fide confidentes lucra, vitae praeponant. Quo insuper Rutheni post discessum Regis in Catholicorum saeviebant Ecclesias, postquam in personas saevire non poterant, ut et Ecclesiam Sanctae Crucis e regione castri positam, et omnes fere Ecclesias Catholicas in Luczensi terra repertas, in cinerem et favillam redigerent

Occupato Vladislao Poloniae Rege et suis proceribus atque militibus Poloniae universis circa

castri

castri Lurzho obsidionem, Paulus de Rusdorff Magister Prussiae cum Commendatoribus et subditis suis id probantibus, contra Regnum Poloniae insurgit, sive quia illud viderant defensoribus vacuum, et nolebant occasionem vel tempus omittere, sive quia ita inter illum et Vladislaum Regem Poloniae convenerat. Et pace perpetua circa lacum Melno conclusa, temerata, accersita etiam Magistri Livoniae potentia gentium suarum, et stipendiariorum plurimorum multitudine, in tres exercitus partita, Regnum Poloniae cum pompa magna hostiliter post festum Assumptionis Sanctae Mariae ingreditur. Terras quoque Cuiaviae et Dobrinensem, crudeliter igne spoliis et praedis, nullo prohibente vastat, Castrum et oppidum Iunivladislaviam proditum a Nicolao Tumygrala ingreditur, et incensis Collegiis ac castro oppidum relinquit semidirutum. Oppidum Brzeszcze obsidione cingit, positis castris circa Vngyerzerzino, sed abinde turpiter repulsus, uno ex Commendatoribus ictu bombardae interfecto, Castrum et Oppidum Nyeszowa a tenutario illius Nicolao Tumigrala de Szchow prope Costan nobili de armis Shahalem tabulam deferentibus, de domo quae vocatur Vnczelye, qui ad custodiam totius terrae Cuiaviensis relictus erat, proditum Cruciferis est, et illico castro praesidium impositum, in oppidum vero, quoniam novis tectis et auspiciis Thorun redigebat in solitudinem, igne saevitum est, et omnes domus illius sumptuosae et nobiles multis impensis ex muro et lignis factae, demolitae, quatenus oppidi praedicti deleta memoria et nomine, Thorun ad pristinam gloriam et fortunam resurgeret. Civitatem insuper Vladislaviensem et Ecclesiam Pontificalem Sanctae Mariae, cum castro, omnibus calicibus, libris, ornamentis et clenodiis spoliatam, igne subiecto vastarunt. Et quo latius sub brevi tempore vastitatem per ignem Regno Poloniae et damna irroget, praemia incendiarijs proposuit, ut omnis villae unam marcam, oppidi vero exustor de aerario publico tres marcas communes, pro munere et labore acciperet,

quo

quo effectum est, ut gentes suae tum pro gratificatione ob
sequij, tum pro spe retributionis per terras praefatas Dobrzi
nensem et Cuiaviensem late dispersa discurrerent, et infra
paucos dies singula oppida, villas, et curias ipsi diriperent,
nihil intactum, nihil inviolatum, sed nec templa Superum,
quod non maculaverent relinquunt, direptaque omnia, divina
et humana tecta et in flammas data, bellum nefarijs
cum hominibus Dijsque gessere. Et licet Rusticorum, ex terris
taliter vastatis, magnus numerus in unum conglobatus,
speciem iusti exercitus fecisset, et iniuriarum multitu
dine accensus, cum viderent sua culmina villarum suarum
exusta, greges suos abactos, uxores et filias eorum stupratas
esse, in Cruciferorum exercitum irruere, et nudi cum arma
tis decernere pararent, Nec iam longe res erat a dimicati
one et congressu, facilemque victoriam sibi omnes pro templis, aris,
focis, penatibus, et pignoribus suis promittebant, Superum
unus tamen praefatus Nicolaus Tumigrala Capitaneus,
qui prior ad reprimendas hostium invasiones esse debuerat,
ipsos terrendo et increpando a proposito reduxisset, Et proinde
conflato omnium in illum odio, pro tot tantisque patriae prodi
tionibus anno subsequenti in Conventione generali Siradi
ensi crimine proditorio damnatus, et honore privatus est
Dum autem hostilitas tanta et pacis rupta foedera per
Cruciferos in Regis exercitu, qui tum acrius obsidionem ca
stri Luczko continuabat, percrebuisset, universos quidem
ingens maeror de Cruciferorum perfidia, et Regni vastatio
ne atque damno, Barones tamen et Nobiles Dobrinenses et Cu
iavienses, terrarum, altior dolor et luctus occupabat, dum
in communi damno et miseria privatim fortunam suam et
suorum Larorum, tum uxorum, tum liberorum et subdito
rum iniurias deplorare cogerentur, propter quod tum ipsi tum
omnes alij redire ad propria et suis utcunque consulere fe
stinabant

Quamprimum autem Treuga inter
Vladislaum Poloniae Regem ab una, et Ducem Suitrigal
Cruciferosque partibus ab altera, ante Luczkam fuere firmatae,
illico Vladislaus Rex de vastatione Regni sui per Crucife
ros in dolo facta, sollicitus, Nicolaum Zalirzowski, et Dux
Suitrigal

Swidrigal Czatham Ruthenum ad exercitum Cruciferorum
transmittunt, qui illum iam festinantem ad propria, prope
Radzansz reperientes, Marsalco et Commendatoribus,
Magister enim generalis in domo relictus erat, faciunt ver
ba, et pacem firmatam denunciant, requirentes ne Regnum
Poloniae amplius devastent. Sera tamen fuit huiusmodi re
quisitio, dum iam nihil in terris Cuiaviensi et Dobrzinensi
relictum esset, in quod ignis et praedonum rabies non saevis
set, viginti quatuor oppida, amplius quam mille villae igne
absumptae; terris Masoviae ubique parsum. Quae res maio
rem suspitionem in Regem, quod vastationis praefatae au
thor fuerit, apud Consiliarios, vehementius tamen apud
Sbigneum Cracoviensem Episcopum, in coniectura sagacissimum,
auxerat. Nec Duces Masoviae notam eiusdem suspicionis
vitare poterant, quippe aut Regis aut Cruciferorum auxa
mento, in hostile quid pateruntur, sibi per novas treugas
prospexerant, uno hoc reatu obnoxij, quod malum imminens
Baronibus Regni celaverant. Nihil potentia et multitudi
ne hostium, Joannes Jarogniewski de domo Oxlya, Bar
thossius Vulszemburk de domo Nalecz, et Dobrogostius
Kolinski moti, ex agrestibus tantummodo, etsi pro nu
mero amplum et frequentem, robore tamen et exercitatio
ne languidum, inermem, imbellemque cogunt colliguntque exer
citum, serendo agro et alendo pecori magis quam armis
tractandis aptiorem, pugnam data oportunitate loci et tem
poris quam ferunt conserturi.

Livoniae exercitus, cui Theodricus Croc
Marsalcus cum alijs Commendatoribus Livoniae praeerat,
et Jodocus de Hogenkerche Bavarus natione, Commen
dator de Thorun, velut regionis peritus, ducatum prae
bebat, in redeundo ad propria, ab exercitu Magistri Prussiae
divisus, quasi parum crudelitati hostili functus esset,
in partem Regni Poloniae, quae Crayno dicitur, declinat
vastitati eam subacturus. Iam plures milites Cuiavienses
et Dobrzinenses mutando equos praepeti cursu ad simula
cra domiorum suarum exusta redierant, doloremque dudum
ante ex relatione crudelitatis hostilis ortum, ipsae facies
fumantia

fumantium ardor villarum augebat. Itaq Joannes Jarognewski, Bartossius Wuisemborg, Dobrogostius Colinski milites strenui et feroces, assumpta rusticorum manu post exercitum Livoniae, quanto celerius possent cursu contendunt. Et illo prope Nakiel iuxta flumen Wyrsza in campis villae Dambki consequuto, feria quinta ante festum Exaltationis Sanctae Crucis, animositate maxima, quam recens exasperabat indignatio, non sine Livonitarum magna admiratione et pavore, unde tam subitus exercitus emersisset, irruunt, et carmine patrio Bogu rodzicza, cuius sonora, sylvis et campis repercussa erat vociferatio, per cantum expleto, pauci cum multitudine, nudi cum vestitis, agrestes cum militibus adeo incunctanter et viriliter decertant, et magis veteranos cum tyronibus, agrestes cum exercitatis pugnare aestimares, Ingenti caede hostium edita, et his qui in acie locati erant crudeliter absumptis, ideo omnis exercitus Livoniae in fugam versus, castris suis ex quibus pugnaverant, derelictis, victoriam Polonis concessit. Fugiebant in diversa loca, quo quemq sors ferebat, sed maior fuit in fugientibus clades, Polonis enim perculsis metu instabat, caedens in dispersos, nec captivatio illis sed trucidatio passim omnium fiebat, Polonis et maxime agrestibus se adhortantibus mutuo, ut cruore hostili incendia villarum suarum restringerent, atq suis indigna morte absumptis, caede hostium parentarent. Capti tamen, videlicet praefatus Theodricus Marsalcus, Walterus de Kilsze Commendator de Flin, cum septem Commendatoribus capti sunt, qui postea praeter Theodricum Marsalcum in miserabili captivitate morte fuerunt apud Cracoviam absumpti. Signa seu Banderia hostium quatuor capta, in signum victoriae tantae in Cracoviensem Ecclesiam relata sunt. Castris hostium, Poloni potiti, magnam praedam illic reperientes diripiunt, et notabiliter ex illa ditantur. Occisus inter alios erat praefatus Commendator de Tucholya Jodocus, qui cum suis ad augendum exercitum Livonitarum relictus erat. Et quoniam omnes Livonitae, qui fuga elapsi erant, tum locorum, tum idiomatis Polonici ignari erant, propter quod in sylvis sine via dispersi et per invia et agnota loca sylvestriaq non reperientes

iter

iter fugae, fame aliqui et frigore contabescentes, per agrestes per plures subsequentes dies inquisiti et comprehensi aut occidebantur, aut captivabantur. Fama huius victoriae primum ad Vladislaum Regem, et deinde Cracoviam perlata, magnam in populo fecit laetitiam, quam civitas Cracoviensis campanarum pulsu et ignium per universam urbem extructione testata est. Fuerunt autem in exercitu Livoniensium septingenti equites, item gentes et milites de Herlant, item Swreczinses, Turbolenses, et Slochovienses milites, et pedestrium magna multitudo. Szunor Commendator de Osterrode, Waltherus de Lo, Commendator de Dinborch interfecti, Waltherus de Hevesdorff Commendator Curoniensis, Georgius de Rutsszlyebe advocatus de Hohensaulze, Hean de Hande tenutarius et Flager in Betsoun fuga elapsi testes victoriae Polonorum, non prius sistere fugam, quam in Tursolya, et exinde in Mariemburk cladem suorum Magistro Paulo de Ruszdorff Cruciferorum, novum quidem certum, sed acerbum coram denunciaturi pervenissent

Simile vulnus Poloniae Regno, a Valachis pro eodem tempore datum est, Alexander enim Woyewoda Moldaviae, quamvis esset Regis et Regni omagialis, et castra terrae Podoliae videlicet Czeczim et Chmyelow, et Nyemyecz cum suis districtibus fuissent sibi per Vladislaum Regem et Regnum, quo arctiori obligaretur fidelitati, in feudum donata, et inscripta, omnium tamen beneficiorum factus immemor, corruptus donis plurimis, quae illi per Ducem Switrigal mittebantur, volens etiam ipsi Duci Switrigal placere, quem sciebat fidei Graecorum affectissimum esse, cuius ipse Alexander cum gente sua ritum sequebatur, Congregata omnium suorum subditorum potentia, Vladislao Rege tunc adhuc castri Luczko obsidionem cum suis fidelibus continuante, nihil tale quid suspicanti, in terras Podoliae et Russiae Regno Poloniae subiectas, hostiliter irruit, et districtus, Sniatinensem, Haliciensem, et Camyenyecensem, crudeliter vastavit, praedas plurimas tam hominum, quam pecorum, et cuiuslibet generis spoliorum

rerum

secum abducens. Quae novitas dum in Regis exercitu per
crebuisset, Mico Theodricus, Michael, et Miselo fratres de
Buczacz cum alijs terrae Podoliae et Russiae terrigenis transmissi
per Regem, qua poterant celeritate in Podoliam perveniunt,
et exercitum Alexandri Voiewodae securitate per agros
et villas, praedae dulcedine sine insidiarum metu sparsum,
animose invadunt, et prosternunt, praedam eripiunt, et in ore
gladij fugientes persequuntur, Magna quoque caede palantium
facta, plures ex illis capitivant. Sed et ipse Alexander Voio
wooda qui per fugam salvatus evaserat, morbo ex dolore
perfidiae suae et actionum malarum, quae in Vuladislaum
Regem et Regnum egerat contracto, varijs cruciatibus aegri
tudinibus non multo post extinctus est. Sic in forte divino
auxilio utrique hostes Cruciferi et Vualachus poenas vio
latae fidei rependit.

Sigismundus Romanorum et Unga
riae Rex, habito in Nuremberga omnium Electorum Im
perij et omnium Principum et communitatum Alemaniae
conventu, nova Principum auxilia contra Bohemos compa
rat. Ad quem et Julianus tituli Sancti Angeli Diaconus
Cardinalis per Martinum Papam missus legatus de la
tere est, vir moribus et literis excellens, cum eo manda
to, ut Bohemis bellum inferat, et adveniente tempore in
Concilio Basiliensi, cuius propediem celebratio instabat, nomine
Apostolico praesideat. Post multas deliberationes et tracta
tus expeditionem contra Bohemos Haereticos gravissime et
fidem Catholicam et vicinas regiones manu armata impu
gnantes indicit. Et quoniam ex superioribus eventibus
credebatur praesentia ipsius Sigismundi Romanorum et
Ungariae Regis in bello esse plus nociva quam fructuosa,
et praeterita clades et fuga, sua infelicitate et scelere puta
bantur contigisse, propter quod communi omnium assensu
decernitur, ut Rex Ungariam reversus bello abstineat,
et alterius auspicijs et ductu bellum ad Calendas Ju
lias contra Bohemos gerat. Electus ad rem hanc Fride
ricus Marchio Brandeburgensis Archicamerarius Imperij
velut homo prudentia singularis et multarum rerum exper
tus onus suscepit, sed fortuna Regis cum Duce mutata non

est

est. Albertus Austriae Princeps per Moraviam suas copi-
as ducere iussus, In comitatu Cardinalis Albertus et Chri-
stophorus Bavariae, et Fridericus Saxoniae Duces fuere, Jo-
annes et Albertus Principes Brandeburgenses cum patre, pe-
nes quem belli summa erat, Herbipolensis, Bambergensis,
Eistetensis Episcopi cum societate Suevorum, et Imperialium
civitatum Magistratus. Cum deinde exercitus multorum
principum Almaniae in multitudine gravi tam pedestrium,
quam equestrium, ut vix illos terra capere posset, splendido
magis et luxurioso, quam bellico et terribili apparatu,
in Nurembergam pro constituta die convenissent, et abinde
praecedenti exercitum Juliano Cardinali cum cruce in Egram
venissent, motis castris ex Egra, Sylvam, quae Misnam
et Bavariam a Bohemia dirimit, non sine difficultate one-
rosa, cum quadrigas haberent commeatibus graves, supe-
rant, et castra in plano ponunt Bohemiam vastaturi,
aut cum Haereticis Bohemis, quos nullus credebat tantae
multitudini occurrere audere, congressuri. Et quamvis
Bohemis Haereticis tenuis tunc esset exercitus, cuius
erant, Dux Sigismundus Korbutt, et Procopius Sacerdos
Duces, quamprimum tamen ab exploratoribus docti sunt,
exercitum Almanorum Sylvam transgressum esse, et sta-
tiva sua in Bohemiae planis posuisse, contra illos dimicaturi
procedunt, Et iam vix viginti millibus stadiorum aberant,
illico nescio quis ingens pavor, cuius causa non suberat,
Almanorum animos concussit, ex denunciatione adventan-
tium hostium ortus, totisque castris trepidatum, qui adeo
universum exercitum pervasit, ut robur tanti exercitus,
sola fama adventus hostium, nec quidem hostibus visis,
crederes confractum, A primoribus itaque et ab ipso
Duce Marchione Brandeburgensi orta fuga, et metu
quasi maioris periculi omnes concussi, in fugam vertun-
tur, castris et curribus atque impedimentis, omni genere
divitiarum, et epularum plenis, hosti relictis. Quod cum
Bohemis Haereticis quorum agmen fuerat in propinquo
per agrestes pavidos nunciatum esset, addere periculosis timo-
rem, et instare fugientibus coeperunt. Neque clades illa aut dimi-
catio

catio sed truncatio fiunt, dum Bohemi in Almanorum dorsis haerentes eos quos consequi poterant, aut occidebant, aut capti uabant. Syluarum densitas fugientibus addebat formidinem, veriti ne ex latebris arborum hostes erumperent, Bohemos, currus multiplices et graves, sarcinaq rerum preciosarum et nobilium, quibus strata erant itinera, ne consequerentur fugi entes, movabatur, propter quod minor clades, quam pro numero tanti exercitus fugientes edita est, Principes omnes salui per fugam euaserant, Crux legationis, et vestes Cardinalis capitaq a Bohemis ludibrio habita sunt, Castra hostium per Bohemos direpta, in quibus multa aurea et argentea po cula vini plena comperta sunt, Tentoria nobilia mar garitis ornata, vestes, equi, bombardae multae, et multa rum rerum copia, exercitum Bohemicum, in quo etiam nonnulli Poloni erant, vehementer ditavit, sed et spolia et sarcinae fugientium et per syluas errantium diebus pluribus a Bohemis agrestibus legebantur.

In Chelmensi terra Rex Vladislaus aliquanto tempore moratus, versus Leopolim processit, et ibi mansionem suam similiter aliquanto tempore continua uit. Concurrebant ad suam Serenitatem Baronum et No bilium ex terris, Dobrzinensi et Cuiauiensi, per vastita tem Cruciferorum, damnificatorum multifarij greges non tam clamoribus quam gemitibus et vlulatibus poscen tes, ut illorum releuaret inopiam, et non sineret illos et vxo res illorum ac liberos fame frigore et nuditate perire Compassus eorum miserijs pius Rex Vladislaus, aliqui bus bona sua Regalia largiebatur, aliquibus ex thesauri sui pecunia subueniebat, singulorum tamen necessitates et indigentias supplere nullatenus poterat, erant enim pleraq bona regalia dudum per eum liberali donatione suis Ca strensibus et Baronibus distributa, Itaq vociferantium et suffragia poscentium, qui vbiq illum sequebantur, infesta tione actus, dum fiscus Regius indigentibus non suffice ret, ad bona Ecclesiarum se conuertit, et de villis tam Cathedralium Ecclesiarum, Gnesnensis, et Posnaniensis, quam Monasteriorum et Capitularium eorundem dioecesium,

multis

multis mortalibus distributiones, Baronibus et Nobilibus
igne desolatis facere cœpit, usum duntaxat huiusmodi
villarum illis concedendo sub certo tempore, quo possent adve-
niente ætate suas villas et habitationes reficere. Cracovi-
ensem tamen Ecclesiam hac distributio non molestavit,
præter paucas villas Monasterij Miechouiensis, sciebat
enim Rex Pontificem Cracoviensem nullatenus suam iniu-
riam toleraturum. Onerosa supra modum huiusmodi di-
stributio fuit Ecclesijs, propter quod Albertus Jastrzembiecz
Gnesnensis Archiepiscopus, et Sbigneus Cracoviensis
Episcopus, assumptis secum aliquot Capitularibus, pro
festo Sanctæ Hedwigis, Regem in Leopoli adeunt, Ubi
dum in primis Albertus Gnesnensis Archiepiscopus fru-
stra precibus de restitutione villarum sollicitaret Regem,
Sbigneus Cracoviensis Episcopus, cui plurimum erat ani-
mi et constantiæ verba ad Regem facit, tam publica ca-
lamitate mœrens, quam privata. Sæpe quidem te
Serenissime Rex in culmen Pontificale promotus, nullo
conscio, in charitate paterna corripui, tum ut meo in te fun-
gerer debito, tum ut tuam explerem precem, qua me ex-
hortando, ut transgressiones tuas reprehenderem, totum
te mihi permittebas. Sæpe itaque velut speculator et ani-
mæ tuæ custos te admonui, ut mores tuos mutando re-
formares, abstinerésque a Monasteriorum et Ecclesiarum,
in stationum exactione, gravamine, a bonorum Regalium
prodiga distributione, petentibus quoque administratio-
nem iustitiæ exhiberes te promptum et propitium, Ca-
tholicorumque Principum saltem in hac extrema ætate
imitareris mores, audiendo in constituto tempore Mis-
sarum solennia, quæ crapula, in qua maiorem noctis
et diei partem consumendo, te onerante, in vesperam
extendis. Sed quia correctiones meas sæpius vidéo
te hactenus non curasse, arbitris adhibitis iam te al-
loquor, et correctionem resumo. En vides te vesperam
diem præter gressum, adduci in mortem, et paucos

vitæ

vita octidua vegetare dies, mores tamen tuos et Deo et ho
minibus odiosos non reseras, sed auges, Ecclesias, et Mona
steria non protegis, non ornas, sed gravas, et spolias, exten
disti manum in bona Ecclesiae, et quorum dispositio tibi
iure divino et humano interdicta est, eam tibi usurpas
donans, distribuens aliena, qui prodigaliter dispersisti
et distraxisti, quibus praesentem necessitatem supplere po
teras, propria. Tum Rex, pressus, inquit, necessitate,
dum aliter non poteram, hoc modo vestis et desolatis
subveni. Ad hoc Episcopus, Subventione, inquit, hac
opus non erat, si tu ipse, ut fama publica de te praedicat
et verisimiles coniectura concludunt, hostes Cruciferos
in hanc ipsam terram cuius Rex es, et in eius desola
tionem non sollicitasses, non invitasses, et sedendo va
cuus in castri Luczko obsidione tempus non absumpsis
ses, cum castrum poterat faciliter, nisi te obstante, con
quiri, Ex quo hostibus crevit audacia, quibus tuo iussu
dicuntur etiam bombardae, pulveres, et victualia in
castrum esse ministrata, et Cruciferis additus animus,
ut terras Regni tui desolationi subijcerent, Vides
iam, quid egisti, recollige te quam Deo redditurus sis,
non post multos dies rationem, pro tot hominibus tru
cidatis, pro tot stupris, et exustionibus spoliationibusque
Ecclesiarum et hominum commissis. Tu ipse hanc no
bis calamitatem, et has lacrimas quibus madcimus,
invexisti. Rex sive conscientia premente, sive veri
tus, ne amplioribus in illum Episcopus verbis utetur,
Quanam, inquit, culpa mea, quod tam acribus ver
bis a te carpor? cum tibi et Ecclesiae tuae nec unam
villam abstulerim. Tum Episcopus, Zelus inquit sa
lutis tuae et officij mei stringit, me ut loquar, nec mi
reris si non laesus pro aliorum interpello iniuria,
cum in dolore et iniuria communi aequaliter versari
sentiam dolorem et iniuriam meam, Interdicto opposi
turus totam meam Cracoviensem Dioecesim, sed et omnia
loca, in qua te devenire contigisset. si Episcopatus mei

bona

bona disturbare et occupare continuassus

Post haec Vladislaus Rex ex Leopo
li discedens, in Nyepolomicze pro festo Sancti Mar
tini venit. Ubi dum Praelati et Barones ex toto fe
re Regno ad eum convenirent, propter hospitiorum
defectum, asperitate hyemis quae solito tunc saevi
or incurrerat, gravarentur, in Cracoviam se misit,
et illic adventum Domini et Natalis Christi dies va
cando dispositioni rerum publicarum peregit. Interim
crudele vulnus cruentum quidem et gravissimum Regno
Poloniae inflictum fatorum inclementia est. Filia enim
Regis Vladislai ex Anna Casimiri Regis filia, filia
genita virgo Hedwigis, chara omnibus, Friderico Mar
chioni Nurembergensi desponsata, qui secum in eadem
nutritus fuit aula, et illo praesente, morbo incertum
est correpta, an veneno, sed ut ipsamet asserere so
lebat coram secretissimis amicis, sub veneno fere uno
anno pestilentem languens, dum vis morbi nulla me
dicorum arte inhiberi posset, omnibus Sacramentis pro
curata, Sabbato die Conceptionis Sanctae Mariae, dum
Te Deum laudamus in matutinis cantaretur, spiri
tum Domino reddidit, et in Ecclesia Cracoviensi in se
pulchro matris suae Reginae Annae cineres maternos am
plexa, non sine omnium Praelatorum et Baronum Po
loniae, stirpem inclyti Regis optimi Casimiri ~~deficientem~~
lugentium, sepulta. Occasus eius neque ortus neque ve
neni expers aestimabatur. Flagitium mortis suae non
nulli sermone vulgato Zophiae Poloniae Reginae noverc
cae suae assignabant, etiam prius, et postquam expira
ret, recte ne an perperam incertum est; quasi vene
no sublata fuerit, quod et ipsa sibi innotuisse, multis
liberius querebatur injuriis. Rogata tamen, et a ma
tronis circumastantibus frequenti admonitione

sollicitata

Sollicitata, consulto per prius confessore suo Doctore Joanne de Elgots, ne contra mentem cuius, inquinaret se facinore, de suo consilio et annuentia rumorem praefatum sub audientia Sbignei Episcopi Cracoviensis et multorum aliorum prae purgavit. Id autem venenum privignae Hedwigi Regina Sophia a plerisque administrasse per faeminas et matronas sui facinoris conscias asseritur, ut filiis suis Viladislao et Casimiro Regnum Poloniae magis vacuum et expeditius, haerede sublata, magnos favores apud populares habente, efficeret. Extat eius Epitaphium per Adamum Swinkam Canonicum Cracoviensem editum, cuius talis est forma

Virginum o iubar o inclyti gloria Regni
Aquila quod niveis lustrat in purpura pennis
Laetus olim cecini pueri carmine laudes
Inclyta virgo tuas, dum te consurgere gemmis
Stellatam floribus fulvo radiare vel auro
Sydereo vultu ratus Deam esse mirabar
Nunc mea Calliope attonita pollice chelym
Se quatit, seu tristi sonat hac cymbala planctum
Liraque dat gemitum, dum impio vulnere mortis
Occidis, et nostros obduris fletibus orbes
Cum funera ducens miseram lacrimosa per urbem
Bellipotens genitor ~~geh~~ gelidos complectitur artus
Et vellens nitidos diro de vertice canos
Pectus, suspirat, sacrum, vultusque seniles
Irrigat lachrimis sparsumque increpat aevum
Alta merent atria, lugent iuvenesque senesque
Et vulgus proceresque gemunt, matresque nurusque sequuntur
Virginis et casta quatiunt plangore lacertos
Dumque manet corpus, corpus ad pectora pressat
Exsequiasque canunt, tumulo dant oscula saxo
Fundentes lachrimas caelum replere dicentes

O decus

O decus o requies, grandaeui et gloria patris
O speculum morum, castitatisque smaragde
O lilium candens, o campi viola fragrans
Puniceis rosis, nunquam cessure Jacincto
Quo abijt decor ille tuus, quo ille genarum
Discessit fulgor, quo lactea lumina frontis
Non gestare sibi tales o inclyta taedas
Sperabat genitor, sed vota communia fatum
Jam Himeneus erat thalamo tuusque canendus
Et tecum sponsus eadem nutritus in aula
Dux Federicus ibat, Francorum inclyta proles
Insignis genere filium diximus illum
Te consorte virum, sed heu fefellimus omnes omen
Impia cum lethi cui nec virtuti resisti
Herbarum, armisue potest te falce funesta
Succidit feritas innuptam florentibus annis
Anno tricenno mille ~~et~~ C quater et uno
Dum colitur matris conceptio summitonantis
Quatenus duce reor benedicta virgine virgo
Coelestes colore beatorum praemia valles
Ver ubi perpetuum floret nullique pruinae
Has vestire solent, nec audent laedere nimbi
Quos gignunt flores zephiro contenti colono
Clara decore fui, proles ego Regia virgo
Hedwigis Vladislao sata, Annaeque Reginae
Quam Comitis Ciliae filia peperit Casimiri
Stirps cuius illustris me moriente perit
Pro Regni solio, matris iam clausa sepulchro
Amplector cineres, qui me genuere in hosque
Ordine fatorum stillante tabo resoluor
Quis

Quid proderit mihi nunc amplissima gloria Regni
Quid genus, et speciosa forma; quid gemmae, vel aurum,
Nil nisi virtutis, si quis amicta fuissem
Nos orat precor Spiritum ut inferat astris
Pneumati conceptus intactae virginis infans
Hoc serto florum virgo redimita quiesco
Quos non carpsit hyems, aestu nec Sirius urit
Horridus sed rostro vasto de pectore spirat
Spinosus aper dente recurvo ferox

Mortem autem Hedwigis Reginulae praefatae, minus aegre quam dignum erat etiam patrem Wladislaum Regem, tulisse ferunt. Quippe qui iam filiis magis, quam genero, Regni Poloniae successionem destinabat, et cuiuslibet impedimenti obicem succisam esse eius morte crediderat. Unde et in illius funere nullum fletum, sed nec dolorem visus est monstrasse. Aestuabat enim et ipse, magnopereque flagrabat, neque tacitus rem ipsam contegebat, sed et cum Witoldo Alexandro Duce Magno Lithuaniae frequentius digerebat, providere et efficere quoquomodo satagens, ut successio Regni Poloniae in natione Lithuanica, et in familia et in domo sua Redimina continuaretur

Feria tercia post Palmarum Bohemi Husitae Oppido Loben obsesso et expugnato, flammis illud tradunt, substantia et fortunis civium direptis. Conradus Kantsner Dux Olesnicensis fretus Wratislaviensium subsidio Oppidum Crzeczborh circumsedent, sed plurimis affectus per obsessos damnis, pluribus de suis desideratis discedere turpiter coactus est. Similis obsidio contra Oppidum Nyemcze per eundem Conradum Olesnicensem, Ludovicum Bregensem Duces, adiuvantibus eos civibus Wratislaviensibus et Swydnicensibus tentata est, nec illa

blandorum

blandorum fortunam experti, solvere obsidionem, multis periculis et damnis susceptis coacti sunt.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRINGENTESIMVS TRICESIMVS SECVNDVS.

Huius anni quod raro aetas contigerat, Wladislaus Rex Natalis Domini solennitatem cum pluribus Praelatis et Baronibus suis celebravit Cracoviae, et captivos Cruciferorum et Livonitarum vinculis solutos, etiam honore mensae suae excepit. Peractis autem festivitatibus Epiphaniae egressus versus Miechow et Tarnowiecz processit, exinde vero per Chanciny, Wislicz, Bodzancin, Urzedow, pro festo Purificationis Sanctae Mariae venit in Lublin, celebraturus cum fratre suo Duce Suitrigello, ad tractandum pacem perpetuam, conventionem. Convenerant autem plures Praelati et Barones pro huiusmodi conventione, quos omnes Wladislaus Rex in Parczow transmisit, solo Alberto Jastrzambiecz Archiepiscopo Gnesnensi circa se in Lublin relicto. Iverunt autem per Regem missi hi Praelati et Barones in Parczow, videlicet Sbigneus Cracoviensis, Joannes Szafraniecz Wladislaviensis, Stanislaus Ciolek Posnaniensis Episcopi, et Wladislaus de Oporow Regni Poloniae vicecancellarius, Sandivogius de Ostrorog Posnaniensis, Jarandus de Brudzewo Junivladislaviensis, Joannes de Lichin Brzestensis, Stanislaus Grad de Szrensko Plocensis Palatini, Laurentius Zaramba Castellanus Siradiensis, Spytko Jaroslawski, et alii quamplures. Venerat et Dux Boleslaus Switrigal pro eodem tempore

in

in Brzescie cum suis Polonis, Lithuanis, et Ruthenis, ha
bens secum pro Consiliario summo Ludovicum de Lansze
Commendatorem Thorunensem, per Magistrum et
Ordinem Prussiae, ut tractatibus omnibus interesset, et
pacem inter fratres componi non sineret, missus, Vole
bant autem Praelati et Barones Poloniae aliquem
fructum ex huiusmodi Conventione elicere, unde et
crebris Nuntijs sollicitabant Ducem Switrigal ut
suos Consiliarios iuxta ordinata et conclusa in Polubi
cze, aut quod magis sibi gratum asserebant in Parczow
mitteret, ubi facilius et victualia et hospitia utraque
pars esset habitura, offerentes se praestare Nuntijs suis
omnem securitatem. Dux autem Switrigal cum ma
gis omnibus diebus mero et ebrietati vacaret, quam
consilijs, ambigua et incerta ad requisitiones Praelato
rum et Baronum Poloniae dabat responsa, et aliquan
do se suos mittere in Polubicze, aliquando in Parczow,
repromittebat, aliquando literas salui conductus al
legabat aut vitiosas, aut defectuosas, aliquando sibi
et suis asserebat structas esse insidias, Talibus fi
gmentis et ludibrijs sive ex ebrietate, in qua singulis
diebus absumebat tempus, sive astu et dolo procedun
tibus, Praelatos et Barones Poloniae in Parczow, suorum
adventum praestolan[tes] pluribus diebus fatigatos elusit.
Apparuit et tunc stella Crinita Cometes, quantitatis
tamen exiguae, ab Oriente in Septemtrionem caudam
faces suas porrigens, et octo solum diebus cursum suum
faciens, tandem disparuit, Omnibus Praelatis et Ba
ronibus, qui tunc in Parczow convenerant iudicantibus,
Duci Switrigello fatalem denunciare stellam ipsam
expulsionem aut mortem, et rerum Lithuaniae pro
pinquam mutationem. Nec eos opinio fefellit, quoniam
futuro Autumno quod portendebatur advenit, Dum
itaque Praelati et Barones Poloniae qui in Parczow Nun
tios et Consiliarios Ducis Switrigelli pacem tractatu
ros frustra multis diebus expectassent, et omnes conatus
suos

+

suos et labores quos faciebant, mittentes in Brzescie
Nuntios, ut iuxta conuenta, placitationes pro pace fu
erant, irritos viderent, ex Sarczow descendentis ad Vula
dislaum Regem amarum et tristem, quod germani sui
mores pertinatia, ebrietate, et fatuitate gubernari vi
deret in Lublin reuersi sunt.

Ex Lublin Vuladislaus Rex di
scedens per solita loca pro Carnisprivio venit in Jedlnam,
et illic cum Sophia Regina omnes dies Carnisprivij egit,
Confluxerat et tunc ad suam Serenitatem Dux Maso
uiae, Semouitus, et alij plures Proceres et Barones. Ex
Jedlna in Quadragesima discedens, per Ilsam venit
ad Monasterium Sanctae Crucis feria quinta post Inuo
cauit. Exinde pro Dominica Reminiscere per Opatow ve
nit Sandomiriam, Ex Sandomiria per loca solita in
nouam ciuitatem Korczyn processit. Ubi iterum cum Con
siliarijs suis aliquot diebus expeditioni publicarum
rerum vacauit. Exinde per Skarbimiriam, declinans
Cracouiam, in Miechow venit, de Miechow per solitas
stationes in Calisz veniens Pascha Domini illic celebra
uit. Ex Calisz in Siradiam processit, et generalem Con
uentionem omnium terrarum illic tenuit pro die S. Ad
alberti, ad quam et Sophia Regina cum duobus filijs
Vuladislao et Casimiro, et omnes Praelati et Barones
Regni conuenerant, Ibi Vuladislaus Rex omnes allo
quutus, rogat ut cum viderent eum extremam aetatem
agere, et ad mortis limen propinquare, vnum e duobus
filijs suis in Regem assumere, morte sua secuta, vel pro
mittant, qui ipsis pro Regni regimine aptior videretur
Super quo Praelati et Barones deliberatione habita con
corditer nullo discrepante filium seniorem Vuladislaum
in Regem recipere obtulerunt, et obligauerunt se prae
fatum Vuladislaum primogenitum, patre rebus huma
nis absumpto, in Dominum et Regem assumere et coro
nare. Super quo Vuladislaus Rex cum Sophia Regi
na

na magnas gratias egerunt Praelatis et Baronibus Et quia
tam Vladislaus Rex quam omnes sui Consiliarij attenderent,
quod multa discrimina a varijs hostibus Regno imminebant,
vnoque tempore tot motibus bellorum turbati, et cuinam primum
hosti resisterent deliberabundi, Hinc enim Romanorum Rex
Sigismundus cum Vngariae Regno et Slesiae Principibus, Hinc
Cruciferi de Prussia cum Litthuanis et Valachis, et vndique
septum Regnum tot hostibus, speciem futuri et magni periculi
portenderet, Propter quod in ipsa conventione deliberabatur
qualiter malis huiusmodi impendentibus Regnum subveniri
et eripi posset, Post multas autem deliberationes in Sacro Sa
betas, licet multa oblata fuissent et comperta remedia, illud
tamen ex omnibus validius et securius assensu omnium ac
ceptum et complexum est, vt omnis potentia Regni in vnum
colligeretur exercitum, et siue Rex Vngariae, siue Cruciferi aut
Litthuani horum fortiores exercitus exhiberent, illuc se robur
et exercitus Regni vnitus converteret, et alijs partibus Re
gni neglectis, hosti fortiori occurrens cum illo quamprimum
decerneret, futurum enim esse, vt hoste fortiori diuino opitu
lamine confracto, hostes quantumcunque feroces et superbos ter
ror relatae victoriae, ne Regnum inuaderent, in suis conti
neret sedibus, faciliorque cum illis et belli ratio et decertatio
futura foret, dum in vna parte contritis hostibus, et summo
to periculo ad confringendos et debellandos hostes caeteros
exercitus victor, plenus animi et spei, in reliquam partem
posset obijci et traduci. Itaque vnanimi consensu, ei qui plus
haberet roboris censuerunt occurrere, facilius caeteros lan
guidiores contrituri. In eadem quoque conventione instau
rato iudicio, Nicolaus Tumigrala P. de Scrunno, velut cri
minis perfidiae reus, quod Cruciferis de Prussia castrum
Nesshouua prodiderat, et exercitum agrestium congredi
cum Cruciferis paratum dissipauerat, proditionis crimine
damnatus est, vir genere nobilis, qui tabulam Shahatam
deferret pro insigni, cuius facinus plerique excusabant, quod
proditionem illam non sua sponte sed imparatus pa
trauerit

Rebus publicis

Rebus publicis in Siradiensi conuentione taliter compositis Wladislaus Rex Siradia egressus versus Posnaniam, et partes maioris Poloniæ processit, Posnaniaq; consistens, virginem Amiliam neptem suam ex Sorore Alexandra, germanam filiam Semouiti Ducis Masouiæ Boguslao Duci Stolpensi tunc illic præsenti dat in vxorem, nuptiasq; munificentia regia in die Beati Joannis Baptistæ celebrat, Dum autem maioris Poloniæ partibus lustratis in Pabiyanicze aduenisset, veniunt ad suam Serenitatem Bohemorum Nuncij viri quidem notabiles sed peste hæresis Wicleffistarum infecti, nomine omnium eorum Bohemorum, qui in campis exercitualiter degebant, Et siquidem in propositione legationis suæ primum de iniuria et ruptione fœderum per Cruciferos de Prussia in Wladislaum Regem, et Regnum Poloniæ facta, compassi sunt, propriam illam reputantes et offerentes cum omni eorum potentia et exercitibus venire Regi in subsidium, pro quocunq; tempore constituisset Rex expeditionem in Cruciferos mouere. Item vt Rex indignationis nubilum contra Ducem Sigismundum Korebuth, dudum conceptum, remitteret rogabant, gratia illi priori restituta, deinde fauores qui in Concilio Basiliensi nouiter congregato, per Patres Concilij illis humaniter exhibebantur, adijciebant. Grata fuit Wladislao Regi et Consiliarijs suis huiusmodi legatio, paranti enim in aliam æstatem expeditionem Regi contra Prussiam, oportunum subsidium tempestiue oblatum cuncti lætabantur, non minus vtili, quam fama ipsa quæ vicinas regiones compleuerat terribili hostibus et formidolosum, præsertim cum solita subsidia Litthuanorum, Valachorum, et Tartarorum propter Ducis Swidrigelli rebellionem deficerent. Tractati itaq; fuerunt præfati Bohemorum Ambasiatores et Nuncij splendide et opulenter, et quoties omnis honos exhibetur atq; humanitas, in præsentia etiam illorum diuina officia habita sunt, et ipsi ad communionem diuinorum admissi, præbent audaciam facinori

quod

quod Concilium Basiliense a communione fidelium, eorum
Ambasiatores non excluderet. Nec res haec temere ortum ha
buit, quippe et Albertus Jastrzambiecz Gnesnensis Metro
politanus, Joannes Szafraniecz Vladislaviensis, Stanislaus
Czolek Posnaniensis, Joannes Chelmensis Episcopi, praesentes
enim tunc in curia Regia ita consuluerant, decreuerant, et sub
scripserant, nescio qua pietate vel religione moti. Remissi
itaque nuncij Bohemorum praedicti versus Cracouiensem
ciuitatem et Dioecesim, remunerati procedebant, conducen
tibus illos duobus Baronibus Regijs, Joanne Manszyk
de Dambrowa Palatino Leopoliensi, et Petro Korczbog de do
mo et familia Korczbog quae pro insigni defert tres pisces
Harpiones in campo rubeo, quorum maiores ex Misnensi
regione Regnum Poloniae intrauerant, Quibus a Vladi
slao Rege, qui probe animum Sbignei Cracouiensis Episcopi
nouerat, imperatum, ne ulterius Cracouiam ingrederentur
sed illam declinarent, futurum enim esse ut ibi Bohemis ad
uenientibus silentium mox fieret a diuinis, quorunque Decreto
caeterorum Pontificum Prouinciae non obstante. Nuncij au
tem Regij Manzyk et Korczbog, transgresso mandato Regio,
quadam temeritate illos incitante, cum Bohemorum Nuncijs
in Cracouiam diuertunt, quod dum Sbigneus Episcopus
Cracouiensis persensisset, quamuis tunc absens a Cracouia
aberat, mandatum Capitulo et Clero ciuitatis et Dioecesis
Cracouiensis direxit, ut Bohemorum Nuntijs uenientibus
ubilibet interdictum seruaretur, Et quo res vigorior solidiorque
esset, Vicarius Episcopalis Andreas Myszka Canonicus
Cracouiensis, conuocationem Praelatorum Ecclesiae Craco
uiensis, Vniuersitatis, et omnium religiosorum tenuit, in qua
assensu omnium Episcopale mandatum commendatum est,
et omnium subscriptione, assistentia in omni casu usque ad
sanguinem pollicita. Venientibus itaque Bohemorum Nun
cijs et cum illis conductoribus Regijs Manzikon et Korczbok
in Cracouiam illico interdictum Ecclesiasticum obseruari
captum est, unanimi consensu, nec literae Archiepiscopalis
et Episcopalis productae per Nuncios Regios poterant intentioni

et

et proposito suffragari. Magna ob id indignatio apud Bohemorum Nuntios, maior apud Regios coorta est, et Horzsbok Nuntius Regius pluribus sermonibus nunc terrendo nunc carpendo sperabat rem posse corrigi et mutari. Sed dum constantes videret omnium animos, sero mandati Regii recordatus, Bohemorum Nuncios ex Cracovia eduxit, ubique quidem honoratos, sed Cracoviae taliter vilipensos. Movit et Regem suus rei contumelia, movit et Pontifices Ecclesiarum, qui Bohemos ad communionem fidelium admitti decreverant, quod Decretum eorum Cracoviensis Episcopus reprehenderit, et irritaverit, et quasi casum Morum sua providentia erexerit. Stomachabantur igitur et Rex et Episcopi in Cracoviensem Episcopum, et graviter illi pro contumelia irrogata succensebant, Rex quoque ad indignationem maiorem concipiendam, Nunciorum suorum Manzyk et Horzsbog persuasionibus accendebatur, dignus quoque tunc Cracoviensis videbatur Episcopus, ut sede sua exutus pelleretur, alio in locum eius surrogato. Sub eo autem tempore in Basiliensi Concilio quatuor principales Bohemorum erronei articuli in publica audientia confutati sunt per Patres Concilii Bohemis praesentibus et articulos ipsos defendentibus, Qui etsi se suosque errores celeberrima et fortissima disputatione superatum iri non dubitaverint, mentium tamen venena retinendo, prophanos ritus suos et dogmata rursus apud vulgum efferre cautelo tenus non erubuerunt, tanto pleniores mendacii quanto inaniores veritate.

Terris maioris Poloniae peragratis, venit Vladislaus Rex in Vneschiam quinque diebus ante festum Assumptionis Sanctae Mariae, illic et Sbigneus Cracoviensis Episcopus advenit. Quem venientem Vladislaus Rex torvo vultu aspiciens, negata dextra, Quis te, inquit, furor impulit, ut ordinationibus non solum nostris, sed etiam tui Metropolitani et aliorum Episcoporum contraveniendo, Bohemorum Nuncios graviter non sine nostro dedecore

confunderes

confuxeris, tenendo in eorum praesentia interdictum, quod nullibi alias nisi in tua Dioesi servabatur. Credis caeteros errare et non intelligere, et te omnium doctorum prudentiorumque esse. Opus itaque est ut tuam pompam et rebellionem in contumeliam nostram et Regni grassantem atteramus, et amoveamus te de Episcopali Sede quemadmodum praedecessorem tuum Petrum, qui tibi documento esse debuerat, amovimus. Ad haec Episcopus. Nihil tam foedi sceleris existimo me admisisse, propter quod a tua Serenitate carpi, et dextra Regia honore repelli debeam. Neque observatio interdicti in praesentia Haereticorum, odium mihi apud tuam Serenitatem parere debuit, sed amplissimum favorem. Dum ergo verus salutis tuae et honoris custos, ignominiam tuam, qua per Cruciferos de Prussia et alios Principes Orbis, velut fautor Haereticorum notaris, averterim et restrinxerim, et ne de te accusatio tum coram Papa, tum coram Concilio verificaretur, providerim, neque me facti mei poenitet, quin etiam illud nunc, si haeretici adessent, ingenue resumerem, neque vultum tuum, aut quorumcunque aliorum, ubi fidei agitur negocium, expavescerem. Celerius te tui operis quam me mei poenitebit, et qui me nunc odis et corripis, expost mihi gratias ages, dum cessante indignatione intelliges me facinus quidem sed praeclarum egisse, quo tua ubique ab hostibus invecta posset purgari et defendi infamia. Supervacuum est me depositione ab Episcopali Sede terrere, et praedecessoris mei renovare deductionem, non tam illi quam tuae Serenitati verendam. Amotionem ego non timeo, qui nec exilium nec mortem pro fide reformido, praeter haec et tempora depositioni meae non consentiunt, quibus Summum Pontificem talem sortiti sumus, qui non iniuria, sed excellentia singulari pro fide et veritate certantes remunerat. Felicem me rebor, si aut contumeliis aut verbere vel morte pro fide obrutus fuero, habeo operum meorum adiutorem Deum, habeo et viros prudentes atque doctos Magistros divini et humani iuris Universitatem Cracoviensem, quorum consiliis rem hanc egi. Et si actio mea a Metropolitano caeterisque Episcopis discrepet, non ego ob id damnari debeam, qui

aliorum

aliorum opinionibus dissentiens, a puritate Catholicae fi
dei in devium non abij, forte illis licitum esse poterat, quod
mihi profanum et infame. Responsio haec etsi Vladislaum
Regem mouerit, et indignationem suam resoluerit, vocati
tamen Doctores Universitatis sunt similibus verbis argu
endi, quibus multipliciter per Vladislaum Regem corre
pti, et cur in praesentia Bohemorum in observationem
interdicti consilio et opere assensissent, arguti, tale habuit
Rex responsum. Non arbitramur Serenissime Rex in
terdictum per Sedem Apostolicam in Bohemos latum, au
thoritate cuiuscunque Pontificis velut inferioris tolli posse,
nec rite actum esse credimus, si praesentibus Bohemis, non
dum in Ecclesiae unionem reductis, divina habita sunt,
cum per hoc Sacerdotes miscentes se divinis non reatum so
lum, sed et irregularitatis notam contraxerunt. Episco
pum nostrum Cracoviensem optime et sinceriter egisse astrui
mus, et assistere illi usque ad sanguinem in hac re non
recusamus. Malumus quoque et exilium et mortem pati
et desertis proprijs penatibus in exteras regiones servire,
quam in fidei sanctae consentire corruptelam. Nemo ve
stram Serenitatem seducat, Bohemos velut Haereticos, da
mnatos non reputandos esse, donec errores suos dimiserint,
et Ecclesiae Sanctae Dei fuerint reconciliati. Tunc Rex, ha
beo, inquit, et ego, in curia mea Doctores notabiles, qui de
creverunt potuisse in praesentia Bohemorum Nunciorum di
vina agi posse. Tum Universitatis Doctores, parati, inqui
unt sumus cum illis in charitate confraterna, et veri
tatem aut sequi, aut ostendere. Consignato loco et hora Sbi
gneus Episcopus Cracoviensis cum Universitatis Craco
viensis Doctoribus, et Joannes Saffraniecz Vladislavi
ensis, Joannes Chelmensis Episcopus in Theologia Ma
gister, et Vladislaus de Oporow Decretorum Doctor Re
gni Poloniae Vicecancellarius conveniunt. Ibi orta conten
tio litem in longum traxit, sed dum Joannes Episcopus Chel
mensis et Vladislaus de Opporow nitebantur in hoc uno
fundamento, et illud velut arcem defenderent, dominis inter di
ctis

Ecis. familiares non esse interdictos, ac exinde trahebant, Nun
cios Bohemorum velut familiares interdictos non esse, facili
bus argumentis victi sunt, cum dominis suis participarent
in haeresi et de iure scripto conclusum esse familiares et
dominos interdicto ligari. Post hanc disputationem dum
Rex de veritate informatus esset, et opinio adversa in totum
confutata et elisa, non deerant tamen qui Regem in Sbignei
Episcopi Cracoviensis necem accenderent. Comparati ad
id iam erant carnifices nocte sequenti cogitata expleturi
Avisatus de periculo imminenti per Joannem de Tarnow
Palatinum Cracoviensem Sbigneus Episcopus Cracovien
sis non remisit animum, sed nunciante sibi Palatino respon
det. Ego, inquit, vir Magnifice gratias ago charitati tuae
de avisamento, quo possim mortem effugere, sed neque fu
gere ego volo, sed nec de consuetudine mea quicquam
variabo, in eodem quo consuevi lecto et cubiculo quiescam,
nullam corporis adhibebo custodiam, sed et pro solemnibus
Deo laudibus media nocte in Ecclesiam ingressurus, cum
sacerdote et cubiculario et lumine consurgam, et caput
meum carnifici non subducam, victimam mei corporis
utinam gratam, Deo oblaturus. Nec Episcopus aliquid
horum, quae constituerat, mutavit, sed pro matutinalibus
laudibus consurgens expectabat mortem, quae tum, consilio
salubriori mutante propositum non venit. Nihil secundum
sibi Sbigneus Episcopus conscius, habebat futuram omni
periculo, quod superimpenderet denunciabatur, cariturum.
Venerat et tunc sacerdos quidam Bohemicus ad Vuladi
slaum Regem, venena per praedicationem suam, quam
iam ordiri coeperat, disseminaturus Wiclephistica, quem
Sbigneus Episcopus gravissime obiurgatum, praedicare
vetuit, eius quoque communionem Vuladislao Regi interdi
xit, quatenus et ipse et Regnum suum non extra noxam
modo, sed etiam extra noxae notam versaretur apud
exteros

Stante Vuladislao Rege in Vui
slicia venit ad suam Serenitatem Ambasiata notabi
lis

lis Jani Hierusalem Cypri et Armeniae Regis, Barduinus de Noris Regni Cipri Marsaleus, miles insignis habens in comitiva sua ducentos equites. Inter quos erant duo filij sui adolescentes pulcherrimi, et Petrus de Brino Polonus natione miles, Qui maiori animo quam fortuna sua conveniebat usurus, in Cyprum pervenerat, et incolatum suum illic figens, celebris et favore regio propter altitudinem ingenium, et facundiam habebatur. Ambasiata ipsa galea propria per mare Leonicum vecta in Alba regali in Valachia portum cepit, exinde equis coemptis per Valachiam, ubi multa horrenda sustinuit a populo scelerato et inculto facinora, et nisi Vladislaum Regem expavisset, prope caedes aderat, in Russiam et Poloniam pervenit. Excepta est cum omni maiestate et honore per Vladislaum Regem, et omnia necessaria copiose administrata, Ipse Balduinus Marsaleus praesentatis Vladislao Regi, Sophiae Reginae, Praelatis, Principibus, et Optimatibus suis nomine Jani Regis Cypri satis notabilibus muneribus, staminibus videlicet subtilibus varij coloris de Czamletho, lignum aloes, aromata preciosa, et virgulas quasdam odoriferas, fumum suavem spirantes, legationem suam obtenta audientia orditus, commemoravit vulnus gravissimum Regni Cypri et cladem per Soldanum Babiloniae habitam. Qui anno Domini Millesimo quadringentesimo vicesimo sexto cum magna suorum potentia Regnum Cypri irrumpens, ipsum Janum sibi cum dimicatione occurrentem, conflixit, et desertum a suis, cum filio captivavit. Nec aliter liberatio sua et filij sui haberi poterat, donec Rex spopondit esse Soldani tributarius, et pendere sibi pro annuo tributo florenorum millia quinquaginta. Petebat etiam ut Vladislaus Poloniae Rex mutuaret Jano Cypri Regi ducenta aureorum millia, cum quibus comparatis gentibus posset et ignominiam datam Christianitati eruere, et tributum, Offerens quasi pro vadio Regnum universum Cipri, ita videlicet ut Vladislaus Rex duas

in illo

in illo haberet vices, et duas omnium introctuum portiones, tercia ipsi Jano Regi Cypri relicta. Item ut filiam suam Hedui gim, quam adhuc extimabat vivere, Vuladislaus Rex Po loniae filio unico Jani Regis Cypri desponsaret, in uxorem. Vuladislaus autem Rex habita super huiusmodi propo sitis cum Prelatis et Baronibus suis deliberatione, ipsi Balduino respondit, se quidem amplissime de omni casu et infortunio, qui Jano Regi Cypri et suo Regno, imo toti Christianitati accidit, maestum esse, et non solum pecuniis sed et gentibus suis ipsum relevaturum fore pro repa rando casu tam foedo et gravi, si Regnum ipsius Tarta ris, fortioribus quos habet orbis, barbaris confrontatum non esset, quibus resistentiam continuam suorum militum opponere cogitur, et quotidiano Marte belli ferre fortunam. Rogabat sibi non succenseri, si petitum non praestaret mu tuum, magnis sibi impensis pro sustinendo bello Tar tarico opus esse, nec aequum nec iustum Regno proprio indigente, alterius necessitatem suo deserto et periculis exposito supplere. Matrimonium filiae frustra peti, pri dem fatis exceptae, si tamen viveret, non abnuere se af finitatem tam optimi et clari Regis, et tale daturum se responsum, quo merito laetatus fuisset. Benigne Regis Vuladislai responsio a Balduino Marsalco excepta est, quippe et ipsemet intelligebat prudenter et formaliter responsum. Remissa sunt Jano Regi Cypri et filio suo in vasis preciosis, in sericis, et pellibus notabilia munera, sed et ipse Balduinus cum filiis et omnes potiores sui libe raliter remunerati, vasis, vestibus, et equis, laeti in Ve netias regrediebantur. Exinde freto in Cyprum trave cturi horrentis aer brevius propter Vallachorum cru delem immanitatem.

Ex Vuislicia Vuladislaus Rex discedens venit Novam civitatem, et abinde Laurenti um Zarambam Castellanum Siradiensem Lithuaniam ad fratrem suum Ducem Suitrigal transmittit. Sollicitans et exhortans illum ut omissa pertinacia sua secum in gra tiam et reconciliationem rediret, cum durante eorum mutuo dissidio, fides Lithuanorum sibi debet esse suspecta, et ve ver.

veri deberet capitis sui periculum sibi aliquando imminere, et hac quidem erat Zaramba aperta legatio. Verum aliud erat Regis et Consiliariorum in missione sua propositum, Sollicitare enim miserat animos Principum et Boiarorum Litthuaniae, et signanter Ducem Sigismundum Starodubski alias Kestutowicz fratrem germanum Ducis Magni Vitoldi, ne paterentur Ducem Suuitrigal principari, sed illum, prout iam ad id noverat Rex eos conspirasse, nullo metu aut respectu de Rege habito, a sede Ducatus Magni Litthuaniae eicerent et excluderent, et Ducem Sigismundum Starodubski in eius locum surrogarent, certificarentque eos de omni assistentia illis per Regem praestanda. Movebantur enim Rex et Consiliarii ad id faciendum, quoniam Dux Suuitrigal praefatus non solum pessimo regimine et crudeli praeerat, sed etiam in sectam Graecorum propensior existens, ritum Graecorum ultra Catholicum efferre et promovere, sollicitante ad id eum consorte sua, quam noviter ex Principibus de Tuuera acceperat, nitebatur. Itaque Zaramba fideliter in his, quae sibi mandata erant, procedens animum Principum et Boiarorum Litthuaniae animos suasu ad id dudum deflexos opportune accendit. Non post multos enim dies Zaramba illic stante concepta conspiratio contra Ducem Suuitrigal edita est, dux enim Sigismundus praefatus Starodubski cum assistentia plurimorum Principum et Boiarorum Litthuaniae in Oszmany, ubi tunc Dux Suuitrigal cum consorte et omni curia sua agebat, cum exercitu valido in nocte die Dominico ante festum Nativitatis Sanctae Mariae supervenit, et Ducem Suuitrigal de throno Ducatus Magni Litthuaniae eicit, et expellit, et tam uxorem suam quam omnes suos captivat, dux autem ipse Suuitrigal manus suas effugit. Quae conspiratio contra eum conclusa adeo secreta esse non poterat, quin in notitiam suam per Iwashkonem Moniuuidowicz Litthuanum pertingeret. Fugiens autem nullibi in Litthuania subsistere ausus, ubique enim metuebat proditionem, sed in terras Russiae se contulit, sciens quod Litthuanorum animos offensos habuit, Ruthenorum vero plurimos, tum ex largitionibus, tum ex favore ritui eorum impenso, conciliatos et obstrictos. Dux vero Sigismundus

Mox

Mox omnia castra Litthuaniae, videlicet Vilnam, Trokhi, Grodno, in suam redegit potestatem, terrae vero Russiae, Smolensko, Vitebsko, Ducis Suitrigal fidem sequebantur. Ex pulsione Ducis Suitrigal, Prussiae Magister Paulus de Ruszdorff qui tunc apud Ragnetam cum principalioribus Commendatoribus agebat conventum, audita, magno metu cum omnibus suis, conscius Zizaniarum quas diffuderat, agi capit. Et e vestigio Ludovicum de Lanczse Thorunensem, Conradum de Trucz Commendatores, Iodocum Thesaurarium, et Gabrielem de Bayszen militem cum donis ad Sigismundum Ducem Starodubski, conciliaturus illum, Duce Suitrigello reiecto, sibi et Ordini, quasi fidem cum fortuna oporteret consistere, transmittit. Quibus variis redeuntibus ampliori pavore Cruciferi territi destinebantur, cum res longe aliter, ac ipsi opinati fuerant, cecidissent.

Dum autem Vuladislaus Rex novam civitatem linquens per solitas stationes pro festo Nativitatis Sanctae Mariae in Sandomiriam pervenisset, celeri nuntio Ioanne Nyemirowicz certificatus de Ducis Suitrigal expulsione, vocatis Praelatis et Baronibus propinquis deliberat quid circa eventum huiusmodi novitatis agendum esset, et si Ducatus Magnus Litthuaniae Duci Sigismundo conferendus, quem per Nuncios in Lublin expost missos sibi conferri, et se in illo confirmari per Regem et Regnum, supplicabat. Deliberatione autem sumpta septem Consiliarios Litthuaniam, in Lublin pro festo Sancti Michaelis pervenire, transmittit, videlicet Sbigneum Episcopum Cracoviensem, Iarandum de Brudzewo Siradiensem, Ioannem de Lesno Bresticensem Palatinos, Vuladislaum de Oporow Regni Poloniae Vicecancellarium, Laurentium Zaramba Castellanum Siradiensem, Spitkonem de Iaroslaw, et Przebislaum Dzik de Caslub Castellanum Zarnoviensem, omnia pleno mandato. Erat quidem persuasum deliberatum, ut solus Vuladislaus Rex Litthuaniam mitteret, quoniam et Dux Sigismundus, et omnes Praelati et Boiari Litthuaniae

summopere

summopere id precabantur, Rex qui ire consenserat, et Dux
Sigismundus certificatus de eius adventu omnia neces
saria in vijs, per quas iturus erat, abunde prouiderat,
sed tandem sanius consilium ex multiplici respectu tran
situm Regis in Litthuaniam prohibuit, solidius et effi
catius singula agi et gubernari existimans per consi
liarios quam per Regem, sed nec tutum videbatur in
mutatione tam subita Litthuaniae personam Regis ex
ponere periculis, quae verisimiliter possent prouenire. Mi
sit et tunc Vladislaus Rex exercitum de Curiensibus
suis, et castrum Olieszko quod tunc per Iunaszkonem
Przysluszcz Rosatinski pro Duce Swidrigal tenebatur,
obsidione cinxit, et illud cum adiutorio Dei conquirens
Joanni de Sienno filio Dobeslai Castellani Lublinensis
dedit in tenutam, certam pecuniae summam sibi in illo
inscribens, ab eo quoque tempore castrum praefatum
Olieszko cum territorio suo formam prouinciae accepit,
et in Regni Poloniae redijt unitatem

Regij Nuntij ex Lublin progressi

per Parczow, Mielnik, Bielsko, aliaque loca in Grodno
peruenerunt, quibus Sigismundus Kiestutowicz persona
liter cum omnibus Praelatis et Baronibus Litthuaniae ad
medium milliare obviam exiuit, ipsos honeste et liberali
ter excepit, et in hospitia pro eis praeparata conduxit, abun
de illis omnia necessaria ministrans. Habitis autem die
bus aliquot tractatibus, sub quibus conditionibus Ducatui
magno ipse Dux Sigismundus debeat praeesse, omnia ca
pitula et conditiones literis patentibus firmant, et iura
mentis corporalibus hinc inde corroborant. Turpe enim
et delirum erat, post mortem Ducis Magni Vitoldi
Ducatum Litthuaniae alteri simpliciter committere, se
questratione earum terrarum, quae a Regno Poloniae
abstractae Duci Vitoldo concessa erant duntaxat ad
vitam, non facta, ne continuatio possessionis illarum

transiret

transiret in perpetuitatem, et ob id tunc Dux Sigismundus can
celli posuit, ne terras Podoliæ, Luczensem, Vetsli, Olesko, Hrodlo,
Lopatzin, ad Regnum Poloniæ pertinentes vsurpet. Omnibus
itaque rite compositis feria quarta in die Sanctæ Hedwigis
præfatus Dux Sigismundus, consentientibus vniversis Præ
latis et Boiaris Litthuaniæ, per Sbigneum Episcopum Cra
couiensem, per traditionem gladij, vice et nomine Vula
dislai Regis et Regni Poloniæ, de Ducatu magno Litthua
niæ est institutus et investitus. Et licet Cruciferi de
Prussia, expulsione Suitrigelli intellecta, misissent ad Du
cem Sigismundum præfatum, vt superius descripsimus,
Ludovicum de Lansze Commendatorem Thorunensem
cum alijs, qui et tunc præsens aderat, quando supradi
cta gerebantur, vt Ducem Sigismundum averteret et alie
naret a Rege et Regno, et ipsum cum Cruciferis noua pa
cta et fœdera suscipere induceret, non prævaluit tamen
Ludovicus ipse, licet fortibus et acutissimis persuasioni
bus vteretur, adiutus etiam suffragio cuiusdam Litthuani
Georgij Butrym, qui in Regnis Catholicis longo tempore
conversatus ingenio et prudentia pollebat. Sciebat enim
Dux Sigismundus periculum sibi grande imminere, si de
serto Rege et corona, Cruciferis se iunxisset. Maxima tamen
hunc instantia maximoque conatu Sigismundum Ducem Ma
gnum Litthuaniæ Cruciferi vexabant, vt se cum Polonis
per quascunque conditiones posset ab eis non abnuendas
ad pacem reduceret, adeo conscientia, quod se meritos pro
violato fœdere scirent, celare non poterant. Nuncijs itaque
Regijs magnificis muneribus honoratis, eos cum omni
gratia et fauore remittit, et literas inscriptionis Magi
stri et Ordinis Prussiæ, quibus cum Duce Suitrigal fœ
dera contra Regem et Regnum Poloniæ inita continebantur,
originaliter tradit, singulas artes, dolos, et ingenia, quibus
in destructionem Regni Poloniæ Magister et Ordo Prussiæ
vti disposuerant detegentes, Ludovicum vero Commen
datorem velut hostem licentiat, qui per literas suas obliga
uerat

nerat se Cruciferos velut hostes Regni habituros, praefa
tarum autem literarum, quae foedus huiusmodi et institutio
nem de Ducatu Magno, et terrarum praefatarum renuncia
tionem continent tenor sequitur et est talis

In nomine Domini Amen

Ad perpetuam rei memoriam

Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occur
rimus incommodis, dum gesta aetatis nostrae literarum
apicibus et testium annotatione perhennamus, proinde
nos Sigismundus Dei gratia Magnus Dux Litthuaniae
Russiae etc., ad universorum notitiam tam praesentium
quam futurorum per haec scripta deducimus, quomodo
eo tempore quo Principes Praelati Nobiles et Regnicolae
Regni Poloniae Serenissimum Principem Dominum Vladisla
um Regem Poloniae, dominum nostrum et fratrem Charissi
mum ad Regnum Poloniae invitantes assumpserunt, et eum
nutu divino, almi Spiritus inspiratione, de gentilitatisque te
nebris educentes ad fidei Catholicae gremium per genera
tionem baptismatis adduxerunt (attulerunt), eidem Domino Vladislao
Regi Poloniae, Coronaeque, et Regno, et Regnicolis ipsius Regni
Poloniae, et irremeabili animo, famaque, et inviolabili sponsione,
ex certa nostra scientia, matura deliberatione, volun
tateque ultronea, non compulsi, nec coacti, seu aliquo errore
seducti, promisimus, et literis nostris firmamus, quod
ipsum Dominum Vladislaum Regem, Regnum, et Coro
nam, ac Regnicolas ipsius Regni Poloniae non debemus
deserere, sed eis toto posse et viribus constanter assistere,
et eos contra insultus quorumlibet Dominorum viventium,
cuiuscunque status, conditionis, gradus, vel eminentiae
fuerint, defensare. Nos quoque et successores nostri non de
bemus dictum Regem et suos successores ratione huius
modi subsidii pro quibuscunque damnis amovere, exceptis
victualibus et equorum pabulis necessariis et opportunis. Demum
quia

quia vero Serenissimus Princeps Dominus Vladislaus Rex
Poloniae praenotatus, nos in partem sollicitudinis suae assumpsit,
Magnumque Ducatum terrarum suarum Litthuaniae et Rus
siae, caeterorumque dominiorum Ducatus praedicti, et sua
bona paterna, videlicet Vilnam et alia bona ad ipsius
patrimonium spectantia de manu sua, deliberatione
circa nostram electionem Principum, Praelatorum, Baronum,
et Nobilium utriusque dominiorum, videlicet Regni Poloniae,
et Ducatus Magni Litthuaniae habita, iuxta continentiam
literarum super huiusmodi electione firmiter confectarum,
nobis dedit et contulit ad tempora vitae nostrae titulo
supremi Principatus Litthuaniae quo uti consueuit, pro
se et suis successoribus reseruato cum omnibus terris, ci
uitatibus, castris, districtibus, curijs, villis, et cum omnibus
utilitatibus ad ea spectantibus firmiter et irreuocabili
ter sub eisdem limitibus et gadibus, sicut eundem piae
memoriae Dominus Alexander Magnus Dux tenebat,
Et si inter subditos super huiusmodi granicijs vel alijs
causis Regni Poloniae ac Magni Ducatus Litthuaniae
aliqua quaestio siue dubietas orietur, quemadmodum
in vita praefati Ducis fuerant exorta, ad literas et le
gittima documenta ex utraque parte producenda reser
vatur, et secundum illarum determinationem finis prae
dictis quaestionibus et dubijs imponatur. Nos autem
debemus et promittimus Serenitatem suam timere et
honorare sicut Dominum et fratrem nostrum seniorem,
pro quo etiam ipsum, Coronam, Regnum, et Regnicolas
Regni Poloniae praedicti constantiori fide prosequi cu
pientes, et prout iustum est, reddere cautiores, promittimus,
pollicemur, et spondemus Domino Vladislao Regi Polo
niae et Inclitis natis suis Vladislao et Casimiro, Co
ronae, Regno, et Regnicolis Regni Poloniae sub fide et
honore, absque dolo et fraude, et sub honore praestiti iu
ramenti corporalis stabilem assistentiam extunc prout
ex nunc, et ex nunc prout extunc, tenere firma fide. Ita
quod

post decessum nostrum Ducatus Magnus Litthuaniae cum terris et dominijs omnibus etiam Russiae quibuscunque nunc subiectis et virtute nostra subijciendis ad ipsum Dominum Vladislaum Regem et Inclitos natos suos, scilicet Vladislaum et Casimirum ac suos successores et ad coronam et Regnum Poloniae debent vera et hereditaria successione devolui, quemadmodum patentibus providis literis desuper confectis est firmatum, quarum tenorem hic habere volumus pro insertis. Exceptis nostris bonis paternis videlicet Trohi et alijs bonis ad praedictum patrimonium spectantibus, quae per nostrum decessum ad filium nostrum Ducem Mer Saulem seu ad alios filios legittimos et futuros devolventur. De quibus nihilominus praefatus Dux Mer Saul et alij filij futuri ipsi Domino Regi, filijs suis, et eorum successoribus ac coronae et Regno cum suis succedaneis temporibus perpetuis, prout caeteri principes terrarum Litthuaniae et Russiae seu Dux Magnus per utrasque partem pro tempore eligendus, obsequi, obedire, subijci tenebuntur et servire. Quos si non habita prole ab hac luce contigerit decedere, extunc praedicta bona paterna ad praefatum Dominum Regem, natos, et successores suos, et ad coronam Regni Poloniae devolventur. Praeterea tenore praesentium profitemur, quod terra Podolia cum omnibus civitatibus, castris, oppidis, villis, districtibus, plene et ex integro in omnibus suis limitibus, sicut ab antiquo spectat, et protunc spectabat, et pertinebat, spectareque debet et pertinere ad Regnum Poloniae perpetue et in aevum, Neque dominijs per nos aut successores nostros per Ducatus Magni incolas, Regnum et Corona impetetur pro eadem terra quibuscunque modis aut coloribus exquisitis. Item quia stantibus inter nos tractatibus, castrum Swinowodi Holischko de quo plurima damna

Sostulit

fideliter Regno et ipsius subditis inserebantur, per gentes
Regias est vallatum, in casu quo ad manus Regias per de-
uolutionem aut alijs quibuscunque modis deuoluetur ipsum ca-
strum, cum bonis ad ipsum spectantibus praefatus Dominus
Rex et Corona tenebit, possidebit pacifice et quiete, nisi nobis
illud dare vel pro se retinere vellet, quod stabit in sua li-
bera voluntate. Alia vero sicut Luczko, Vuladimiria,
et alia castra, ciuitates et districtus ad ipsa spectantia,
quae frater noster bonae memoriae Dominus Alexander aliâs
Vuitoldus olim Magnus Dux Litthuaniae possidebat, prae-
ter castra et terram Podoliae spectan, etiamsi medio
tempore ad possessionem Domini Regis aut Coronae deueni-
rent, nobis ad tempora vitae nostrae tenenda et possiden-
da dari debent et assignari. Quae quidem castra nulli
ad tenendum dare promittimus, nisi prius in manibus
nostris corporale praestet iuramentum, et suis literis pa-
tentibus inscribat, quod pro nobis fideliter tenebit, et
post decessum nostrum nulli ea nisi praefato fratri nostro
Domino Regi aut filijs suis, vel coronae Regni Poloniae
assignabunt. Item Ratsno, Vuyetslye, Loparzin, cum
bonis ad praedictos districtus spectantibus, Dominus Rex
et Corona perpetuo possidebit. Praeterea sub fide et hono-
re absque fraude et dolo et onere praefati iuramenti omnes
ligas, inscriptiones, uniones, si quas in damnum, pericu-
lum, aut contemptum fecerimus eiusdem domini Regis, fi-
liorum suorum, et Regni, et quorumuis suorum dominiorum
dominorum, cum cuiuscunque status aut conditionis ho-
minibus fecissemus, et specialiter ligas et inscriptiones
per impressionem et importunitatem Ducis Suuitrigal
per nos principes Boiaros et nobiles, cum Cruciferis de
Prussia et Liuonia factas et firmatas abolentes, et in ni-
hilum redigentes, promittimus et spondemus, quod nulli
hominum cum quibus foederati fuimus et vniti, fauo-
ribus, subsidijs et quibuscunque praerogatiuis, suae Ma-
iestati

ustati, filijs suis, aut coronae praeferre volumus, nec
unquam contra ipsos esse, quinimo ipsum, filios suos, et co-
ronam eius, supra et ultra, et contra omnes et specialiter
contra praefatos Cruciferos de Prussia et Livonia, nostris
auxilijs, consilijs, fauoribus, et quibuslibet subsidijs, vita
et rebus etiam, quotiescunque, et contra quoscunque, inimi-
cos opportunum fuerit, tota nostra potentia et viribus
cum omnibus nostris subditis adiuuare et adhaerere fir-
miter obligamur. Nec unquam ipsum Dominum Re-
gem Poloniae, filios suos, aut Coronam, aliquibus exquisi-
tis coloribus volumus deserere, et alijs adhaerere, sed
secum stare in prosperis et adversis, Et eum, filios suos,
et Coronam ab omnibus adversitatibus et periculis pure,
constanter et fideliter praemunire. Item promittimus, pol-
licemur et spondemus ut supra, quod nos aut nostri
successores praedictum Magnum Ducatum Lithuaniae
tenentes, ut praefertur, non aspirabimus ad cuiuscunque
suggestionem aut inductionem, ad recipiendum regale
fastigium, videlicet Coronam, contra praefati Domini Regis,
successorum suorum, et Coronae Poloniae scientiam, volunta-
tem et consensum. Et haec omnia praemissa et singula
superius contenta ut maiorem obtineant roboris firmita-
tem, Nos Matthias Vilnensis, Andreas Luczyanensis
Episcopi, Alexander Iwan Wladzimirowicz, Symyon
Iwanowicz, Fiedor Cortsurowicz Duces, Hosal
Castellanus Vilnensis, Michael alias Kensgal Capi-
taneus Samogitiae, Ioannes alias Iannimus Palatinus
Troczensis, Tymunye Kratserszycz, Rumpoldus Mar-
salcus, Petrassius Montigerdowicz, Gastoldus Sedibor,
Radiuol Hostrzonowicz, Cindegude Iurga, Naczurz Bun-
bilowicz, Olechno Dulmoinowicz, Sudak Duabal Ve-
xillifer, Goyllius Nawagowicz Praelati Duces Bo-
iary et Nobiles terrarum Lithuaniae et Russiae de certa
scientia, mandatis, ratihabitione, et consensu aliorum
omnium

omnium, fratrum amicorum, et consanguineorum nostrorum, Bojarorum et Nobilium, promittimus pura fide, absq dolo et fraude, et sub onere corporaliter super ligno Crucis vivificæ prestiti iuramenti, quod prefatus Dominus Sigismundus Magnus Dux Litthuaniæ noster Dominus gratiosus tenebit, attendet, et servabit, nosq cum ipso tenebimus et serua bimus inuiolabiliter, Ipsumq, successores suos, Dominos nostros Magnos Duces Litthuaniæ futuros inducemus ad tenendum et seruandum fideliter et constanter supra scripta. Harum, quibus sigillum nostrum, prælatorum, Ducum, Bojarorum, et nobilium subscriptorum sunt appen sa testimonio literarum. Actum et Datum in Grodno feria quarta in die Sanctæ Hedwigis Anno Domini Mil lesimo quadringentesimo tricesimo secundo

In nomine Domini Amen

Ad perpetuam rei memoriam

Ne ea quæ aguntur, cum tempore et cum lapsu tempo ris euanescant, sagaces humanæ naturæ discretio con suevit gesta mortalium scriptis patrocinio roborare. Proinde nos Sigismundus Dei gratia Magnus Dux Litthuaniæ Russiæ etc. Recognoscimus et fatemur per presentes, quod Castrum et Districtum Hrodlo supra flumen Bug situm, cum omnibus et singulis villis, granicijs, gadibus, limitibus, et signanter cum omnibus aspencijs et atti nentijs vniuersis, prout in se, longe, late, et ab antiquo con sistit, ad coronam et Regnum Poloniæ spectabat, pertinebat, spectatq et pertinet, ac spectare et pertinere debet, nunc et in æuum, et omnibus temporibus perpetuo duraturis. Propter quod nos Sigismundus Magnus Dux Litthua niæ supradictus, spondemus, promittimus, et pollicemur præsentibus scriptis nostris, quod pro dicto castro et omnibus suis attinentijs supradictis Serenissimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniæ et ipsius successores et Coronam Regni Poloniæ nulla tenus

impetemus

+

impetemus, neque inquietabimus, vel molestabimus, quacunque ratione, negotio, modo, ingenijs vel coloribus exquisitis. Harum quibus nostrum Sigillum Praelatorum, Principum et Baronum nostrorum infrascriptorum, praesentibus est appensum testimonio literarum, videlicet Reverendissimorum in Christo Patrum, Dominorum, Matthiae Vilnensis, Andreae Luceoriensis Episcoporum, nec non Alexandri Iwan Palatini Trocensis, Tymunych hracsruszczycz, Rumpoldi Marsalci, Petrassij Montygirdowicz, Cmdygedi Jurga, Narzwcz Gumbelowicz, Olechno Dulimonowicz, Sczak Onagil Vexiliferorum, Goyliu Radogowicz. Actum et datum in Grodno feria quarta in die Sanctae Hedwigis Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo.

Rebus publicis in Lublin prudenter et mature compositis, Vladislaus Rex versus terras Russiae se contulit, et in Leopolim descendit, ubi exercitum suum victorem a conquisitione castri Oleszko reversum, novarum gentium supplemento auctum, in Podoliam contra Ducem Ffetshonem de Ostrog, praeficiens ei in Capitaneos Vincentium de Schamotuly Castellanum Miedzirzecensem, et Capitaneum Russiae et Joannem Mansch de Dambrowna transmittit. Is enim ex omnibus Principibus Litthuaniae et Russiae vir erat magnae audaciae et magnae in armis aestimationis. Qui cum auxiliatoribus, Tartaris, Valachis, Ruthenis, et Bessarabis, quorum maximum numerum sibi conquisiverat, continua invasione ex castris quae pro Duce Swidrigal in Podolia tenebantur subditos Regis premebat. Venienti itaque exercitu Regis in Podoliam, Ffetho velut in armis et proelijs exercitatus confligere iusto concursu cum exercitu Regio detrectavit, sed furtive et particulariter saepe Polonos infestabat, et saepe particularibus congressibus victus discedebat. Exercitus

citus autem Regius dum Fetho pugnandi copiam non faceret, ad expugnationem castrorum se convertens, fere omnia castra, in Podolia, quae pro Duci Suitrigal tenebantur, conquisivit. Restabat castrum Braslaw, quod praefatus Fetho adventum Polonorum praesentiens una cum oppido, ne Poloni eo potirentur, cremavit. Redibat iam exercitus Regis ad propria, universa Podolia in ditionem Regis et Regni subacta, et expulso Fethone. Fetho tamen velut vir acris ingenij moleste ferens et ademptionem Podoliae, et suam turpem exclusionem, novas gentes ex Tartaris, et Valachis Besserabisque conducens, vindicare iniurias suas parabat. Et licet esset et robore et numero gentium multo superior, intelligens tamen Polonos ex superioribus triumphis de se relatis inflatos esse, nullatenus decernere statuit, nisi postquam Polonos iniquitate loci videret inferiores. Aliquanto itaque tempore per sylvas et nemora, Polonis ignorantibus, castra eorum sequutus, ad fluvium Morachuua, et prope villam Copostrin, paludosum, et dilatatum ripis, occultus et septus sylvis consedit, intelligens futurum esse debere, quod ille exercitus Regius fluvium praedictum, cum alibi propter alveum et lubricitatem suam erat impermeabilis, esset superaturus. Nec eum opinio fefellit, die itaque Dominico Sancti Andreae Apostoli gloriosi, mane Polonorum exercitus, qui Fethonem alijs progressum itineribus per exploratores pro comperto habens, expectatione omni deposita praelij cadis conferendi, ad angustias praefati fluminis motis castris pervenit. Erat autem illic agger piscinam fluminis continens, infra quem duo loca strata virgultis ex industria et Capitaneorum iussu erant, ut facilior esset exercitui transitus, et ne pars media invaderetur ab hostibus, altera non valente ferre subsidium, quae omnia callidi Ducis Fethonis ingenium necessario sperabat, iniquitate loci spem suam nutriente. Dum itaque per loca strata virgultis, exercitus pars media

dia

dia, ripam alteram cum medietate curruum transijsset, pa
lustres enim locus hinc et hinc transitum extendi prohibebat,
nec dum medietas Polonorum aggerem transiuerat, subito
cum Ruthenorum et Tartarorum copijs, quem nihil eorum,
quae Poloni agebant, latebat, superueniens Fetho destinata
exequitur, et tum virorum multitudine, habebat enim de
qualibet gente aliquot millia, tum loci iniquitate fretus Polo
nos animose cum tubarum validissimo clangore inuadit.
Incerti ac trepidi Poloni, et quid primum agerent, nescij,
quomodo resisterent et periculum quo comprehensi fuerant
qualiter euaderent, non quomodo vincerent cogitabant,
et altera residua medietate aggerem transire, his quoque
qui aggerem transiuerant suffragio esse contendentibus cur
ruum obstabat propriu alter alterum prementium conge
ries. Occursum est tamen per primos Fethoni, et quan
tum et temporis angustia et loci iniquitas patiebatur,
tumultuaria acies instructa. Committitur itaque inter vtrosque
ingens bellum et multi mortales hinc inde cadunt, mul
ti ad eos, qui adhuc ripam alteram tenebant refugiunt,
Pars altera nihil[3] cunctata[4] exercitus Regij[2], his in au
xilium accurrit, et nedum per loca virgultis strata,
ex quibus currus transitum eorum impedientes in aquam
et lutum praecipitat, sed et per loca aquosa et paludosa
et aquam piscinae, quae congelata debiliter multitudi
nem glomeratam sustinebat, his in auxilium accurrit,
Parum tamen abfuit, quin violatis fragilibus glaciebus
suffocarentur, singuli glaciem supergressi, et praeli
um ex integro, quod hostes iam finitum credentes ma
nus rapaces in currus et spolia Polonorum iniecerat,
resumit. Ancipiti Marte longo ~~longo~~ tempore certa
tum est, nec pars aliqua potior visa est referre,
quoniam Polonis constantia et recordatio recentium
triumphorum, Fethoni numerositas suorum animos
dabant. Poloni etsi magna vi adnisi memorabilem in

hostibus

hostibus cadem moverent, multitudine tamen hostis freti acie Polonorum perfracta, pugna quoque, quasi iam debellatum foret, relicta, ad spoliandum currus proruunt. Interim providentia divina unus ex praefectis exercitus Regij Hemlicz vir singularis animositatis et virtutis, qui cum centum equis pabulatum praedatumque ierat, casu supervenit, et intelligens ex vociferantium clamore clangoreque buccinarum et fragore strepituque armorum, praelium agi, celerrime accurrit tubisque canere cepit. Quarum sonitu hostis audito, quam gravissime perturbati, Poloni vero redintegratis resumptisque viribus, quod plerique in spe victoriae accidere consuevit, acrius, pavidos et perturbatos ac spoliationi quadrigarum intentos, impugnare ceperunt. Hostes undique circumventi, partim caesi partim ex curribus eiecti, Hemlicz autem vicisse non contentus etiam cum suis terga hostium invadit, tumultusque maior inde exortus, Cum multitudo ingens cerneretur exercitum Fethonis primo turbavit, mox in fugam vertit. Solutis siquidem ordinibus, cum et a tergo et a fronte instaret Polonus sustinere Rutheni et Tartari impetum non valentes dissipabantur, deinde ordinibus rarefactis pedem referentes, victoriam concedunt, et in fugam sparsi, quo quemque sors ferebat, dilabuntur. Strata erant et corporibus et rebus itinera, quae copiarum et exercitus Dux colligere victoribus vetabant, sed insistere fugientibus hortabantur. Nec gentis Regiae detrectavere imperium, sed omnibus sarcinis et spolijs hostium contemptis, hostis trucidando, nullus enim pro fracta fide castigabatur, usque ad noctis medium insequebantur. Divino itaque munere, etsi Dux Fetho evaserit, multa tamen millia Tartarorum, Bessarabarum, Valachorum tunc occisa sunt, et victoria notabilis multis memoranda saeculis relata. Signa hostium duodecim capta, in signum victoriae in Ecclesia Cracoviensi collocata sunt Ex Polonis duo tantum notabiles Jacobus Trestka de

Mirsorzin

Michorzin, et Nicolaus Mirzslai de Smogorzow de
sudrati. Omnes autem relati triumphi et erecte tunc
victoria, expiataque iam superimpendentis cladis decus
et gloria hominibus tributa est, cuius sublatus clamor et
invasio in terga hostilia facta, conterritis hostibus vin
centes fecerunt vehementius suo periculo consternatos.
Agebat dum illum Wladislaus Rex Leopoli, et in Ec
clesia Sanctae Crucis fratrum minorum, divinis officijs
et orationibus vacans, usque ad vesperam insistebat,
auxilium de caelo erectis oculis et brachijs tensis depre
cando, Sollicitus enim erat de suis, quos sciebat inter ho
stium gravissimas insidias et pericula, in capita eorum
comparata, versari, nec voce tantum quantum lachri
mis superni numinis suffragia flagitabat, nec potiunda
ex hoste victoria, sed vita militum suorum, quos in tam
grandi doctus fuerat versari periculo custodiri ma
gis sollicitus, diebus ac noctibus in orationibus excuba
bat. Ipso itaque adhuc in praefata Ecclesia Sanctae Crucis
perseverante, et Omnipotentis Dei clementiam implo
rante, vicisse exercitum Regis, et de Lithuanis et Tar
taris victoriam retulisse, et utrosque profligatos vulga
tum est, Non quidem ex aliquo certo authore, cum
locus praelij quadraginta milliaribus a Leopoli dista
ret, sed adeo unus ad alium, eventum victoriae,
nescio quo rumore ortum, perferebat, ut plena certi
tudo triumphi tunc habita esset, et laetitia magna in
populo exorta. Iussu etiam Regis Te Deum lauda
mus ora Ecclesiarum resonarent, isque sermo con
festim diffusus, Poloniae Regnum universum exulta
tione et gratulatione replevit. Cum vero eius famae
certus non extaret author rescivit. Venit altera
die Nuntius a Capitaneis exercitus missus, et rem
ita gestam ut fama vulgaverat, postquam retulis
set, tam Wladislaum Regem, quam omnes suos et in
devotionem ampliorem, et in admirationem sui religio

nem

nem quandam convertit. Tali victoria ex hostibus et fidei et suis Vladislaus Rex relata, in gratulationem novam prorupit, eo quidem maiori cum gaudio, quo prope metum fuerat. De Leopoli versus Cracoviam per solitas stationes procedit, missis exercitui victori, et vestibus et pecuniaribus donatius, Cui cum Cracoviam venienti omnes Ecclesiarum processiones in obvium exivissent, et Regem, et victorem excepturae, ipse ex equo descendens, pedibus, sequendo processiones, Urbem cum notabili procerum et nobilium caterva ingressus est, signis hostium in praelio captis cum praecedentibus Nec prius Regiam intravit, donec multarum Ecclesiarum limina adiens, gratias altissimo pro concessa victoria precibus et eleemosinarum largitione persolveret. Mansit autem Vladislaus Rex Cracoviae diebus pluribus cum Praelatis et Baronibus suis, qui ad suam Serenitatem confluxerant, et illic Natalis Domini dies egit, de publicis rebus plures et necessarias faciens dispositiones, et ad legationes Regum et Principum responsa edens.

Sed nec Litthuaniae res tempore eodem minus secundae fuere. Dux enim Suitrigal dum ulturus iniuriam facta sua ac suorum expulsionis, coadunato ex Ruthenis et Tartaris exercitu viginti millium armatorum in Litthuaniam venisset, et exercitus Cruciferorum de Livonia illi coniunctus, magnum sibi animum tribuisset Litthuaniae recuperandae; Dux Magnus Litthuaniae Sigismundus ex Litthuanis et Samogitis et Polonis qui terram Drohicinensem inhabitant, exercitu utcunque poterat confecto, illi circa Oszmiany occurrit. Et licet Vladislaus Rex subsidium in gentibus Sigismundo Duci misisset, praeficiens illis in Capitaneum Msczugium de Skrzyn militem non minus animosum, quam belli peritum, expectare tamen adventum illius, et festinatio ad congressum, et vastatio crudelis terrae Litthuaniae igne et ferro per Ducem Suitrigal et eius exercitum inflicta, prohibebat. Die itaque Conceptionis Sanctae Mariae feria secunda in albescente, Dux Magnus Sigismundus exercitu suo,

qui

qui respectu hostium tenuis et infirmus erat, ordinato, congressum in hostes et impetum facit. Ferrebat aliquanto tempore bellum inter partes, et caedes mutua mortalium plurimorum edebatur, et in horas aliquot bellum obstinatis animis gestum protelabatur, modo spem, modo metum utraque parte sibi augurante. Dux ipse Sigismundus non spectator solum, sed et adhortator suorum aderat, et acies, quas frangi potentia hostium vel debilitari videbat, novos immittendo pugnatores sustentabat. Rutheni tandem et Tartari sustinere impetum Litthuanorum non valentes pedem referunt, quibus metu perculsis Litthuani fortius instant, et tandem divino munere ad extremum superant et prosternunt. Decem millia occisa, quatuor capita, hostium eo die referuntur. Captus et tunc fuit Dux Georgius Langwinowicz nepos germanus Vladislai Regis, qui partes Ducis Swidrigal sequutus, ipsum et robore corporis et consilio adiuvabat. Dux ipse Switrigal mutando equos manus per fugam evasit hostiles, licet ad comprehendendum corpus unum illud, persequentium aspiraret intentio. Signa hostium octo capta in Ecclesia Vilnensi, in triumphi signum delata sunt. Dux ipse Magnus Sigismundus tum pro evitato periculo, tum pro obtenta victoria de hoste, laetus primitias triumphi sui ut par erat voluit insignire. In loco itaque certaminis Ecclesiam in honorem Beatissimae virginis Mariae construit, et eam donis, et largitionibus plurimis dotat, libertat, et privilegiat. Sacerdotum numerum illic constituens, qui laudes iugiter Beatae Virgini persolvant, quae in dicata sibi Conceptione die ipsum et exercitum eius referre de hostibus tam insignem victoriam obtinuit. Huius triumphi novitas cum veloci Nuntio ad Vladislaum Regem fuisset perlata, gaudia gaudiis cumulata sunt, et Rex ipse de donis multiplicatis domino Deo uberes solvebat et continuas gratiarum actiones.

Secunda

Secunda mensis Julij die Taboritarum et Orphanorum exercitus sub ductu Procopij Presbiteri qui Rasus vocatus est, Slesiam intrans, multis illam percellit tam caedibus, quam spolijs. Sed et Monasterium insigne Trzebniczense confractis pulcherrimis Sanctorum imaginibus, a Beata Hedwigi fabricatis, campanis abductis, plumbo quo universum Monasterium tectum fuerat, deposito, incendunt. Monasterium insuper Lubyąz et Oppwa, Vinczch, Praunsznch, Mielicz, caede, spolio, et igne depopulantur. Oppidani Olesznenses terrore eorum perculsi, oppido Olesznicza, ne eo hostes potirentur, incenso, cum omnibus fortunis et pignoribus suis in Vratislaviam effugiunt, Sed Hussitae supervenientes igne restincto multis spolijs et commeatibus, quae efferri angustia temporis non sinebat, potiuntur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS TRICESIMUS TERCIUS

Diem Natalis Domini Vladislaus Rex Cracoviae celebravit, Pluribus quoque diebus non nisi consilijs Praelati et Barones vacabant, exquirendo vias varias et diversas, qualiter bellum, quod Cruciferis de Prussia, Treugis in festo Sancti Joannis Baptistae exspirantibus inferre deliberaverant, prosequerentur, et contraherent aliquorum vicinorum auxilia, postquam sociorum pro illo tempore provenire non poterant. Et licet plures viae fuissent repertae, placuit tamen pro Dominica Reminiscere in Sandomiria teneri conventionem. Et pluribus Consiliarys accersitis, maturiori consilio digestis rebus conclusionem singulis dari. Ex Cracovia itaq, Vladislaus egressus per Novam civitatem et alia loca in Jedlnam processit, et illic Carnis privij dies egit. Quibus transactis per stationes solitas in Sandomiriam pro Dominica Reminiscere advenit, Ubi ad suam Serenitatem Concilij Basiliensis, iam in eadem civitate Basilea supra Renum sita indicti, quod Julianus de Caesarinis titul. Sancti Angeli

geli Diaconus Cardinalis, velut Apostolicae Sedis Legatus, per Martinum Papam conniventem, ad id specialiter pro Bohemorum reductione missus, inchoaverat, et quod Eugenius Papa quartus in principio suae assumptionis confirmans, tandem aliter persuasus, dissolvere studebat, solennes veniunt Oratores et Nuncij, videlicet Joannes Episcopus Parmensis, Guilhelmus Ordinis Beatae Mariae de monte Carmeli Provincialis Lombardiae, et Antonius de Bernarijs Decretorum Doctor Ducis Sabaudiae Amdei Consiliarius, Hi cum omni reverentia suscepti, die Dominica Reminiscere, in Ecclesia Sanctae Mariae Sendomiriensi, praesente Vladislao Rege, Sophia Regina, Sbigneo Episcopo Cracoviensi et pluribus Baronibus Poloniae finita Missa maiori, legationem suam, nomine totius Concilij Basiliensis, per organum Joannis Episcopi Parmensis exponunt. Qui notabili et diserta oratione assumpto themate; Hora est iam nos de somno surgere; nunc est enim propior salus nostra, quam cum credidimus, usus, statum Concilij Basiliensis et eius authoritatem, principaliter a Christo, deinde a Concilio Constantiensi et duorum Summorum Pontificum decreto et consensu pendentem extollebat, Causas dissolutionis per Eugenium inductas, confutans, dissolvens, et evacuans. In summa rogabat ut Vladislaus Rex illud sua authoritate et assistentia roboraret, et Ambasiatores suos solennes ad illud mitteret, Simul et Praelatos Regni sui mandaret ut in Basiliensem civitatem, pro celebrando huiusmodi Concilio transirent, cum magna esset spes de Bohemorum reductione, pro qua diu armis frustra certatum est, cum eorum principales duces vocati per Concilium, in Basileam veniebant, informationem Concilij et Ecclesiae subituri. His deliberatione in consilio Regio habita responsum est, velle Vladislaum Regem cum suis Praelatis et Baronibus conventione instituta deliberare, et super omnibus per Concilium Basiliense petitis, missis Ambasiatoribus per Concilio ad plenum respondere, Cum tali dimissi responso

et

et per Vladislaum Regem se habitis, et aliis honoratis muneribus in Prussiam, conducente eos nuncio Regio proferrent, Prussiae Magistrum et Ordinem, ut Concilio adhaereret et pacem cum Rege Poloniae susciperet requisitum. Petebant insuper ut Vladislaus Rex ultionis animo deposito, certam magis cum Cruciferis et aliis hostibus suis susciperet pacem, quam speratam victoriam. Et cum ad hoc quoque Concilium Basiliense sit congregatum, ut pacem inter Catholicos principes procuret, ad hoc se missos multipliciter astruebant, ut pacem inter Vladislaum Regem et Cruciferos et reformarent et efficerent, cum ex eorum contentione et bello rebus fidei et Ecclesiae maximum pararetur impedimentum, offerebantque se fideliter et pure pro integranda pace nomine Sacri Concilii, salva Regia voluntate, laboraturos. Quibus quo ad hanc petitionem responsum est, pacem Regem et Regnum nunquam abnuisse, neque eo animo unquam fuisse, ut bellum mallet quam pacem, se quidem custodivisse pacta semper cum Cruciferis stabilita, eos vero opportunitate visa in Regnum varium arma sumpsisse, et notabiles eius partes ferro et igne vastasse, stuprasse virgines, templa et aedes sacras conflagrasse, castra quoque et civitates Regni sibi occupasse, et in hanc diem detinere. Velle tamen in omnibus sequi Sacri Concilii hortamenta, et dummodo detur satisfactio, a bello cessare, quod repellere se quamvis invitum, potius quam inferre, multiplicibus rationibus tunc expressis declarat

De bello vero Cruciferis movendo dum consilium fuisset agitatum pluribus diebus, nemo erat qui illud prosequi ardore magno, expirantibus Treugis, non censuisset, Difficultas tamen non parva interponebatur, quod Vladislaus Rex velut homo labore et senio confectus, caligantibus oculis, illi interesse non poterat, ex cuius absentia singula negocia administrandi belli videbantur difficiliora. Accedebat quod nec Litthuani proprio bello occupati, nec terrae Russiae, ne per hostes interciperentur, suffragia praestare poterant, sed nec Tartaros nec Valachos ad huiusmodi bellum accersiri plures conditores admittebantur. Quamvis igitur tot in consulentium obversarentur animis graves conditiones, placuit tamen bellum contra Cruciferos, divino assumpto auxilio quod nunquam

deest

decet his, qui iustius arma induerant, et proprio duntaxat milite bellum gerendum administrari, Placuit, et pluribus saecularibus Consiliarijs, suffragia Bohemorum, quamuis Haeresim Vicleffistarum tenentium non abijcere, quod se Vladislao Regi exhibituros contra Prussiam, et quoslibet hostes suos, nuncijs et literis pollicebantur, Placuit et pro festo Sancti Joannis Baptistae in Oppido Colo conuentionem generalem agi, et omnium terrarum, more bellico, exercitus illic aduenire, in terras hostiles exinde processuros, Placuit et sententiam, an Rex propria in persona exercitui praesit, an alium in locum suum substituat, in conuentionem Colensem differri. Tali conclusione accepta, mandato Regis et prouisione singula quae pro bello futuro bene administrando erant necessaria, summa diligentia parabantur, et vniuersi Regnicolae ad arma et bellum futurum gerendum se tempestiue praeparabant

Ex Sendomiria Vladislaus Rex in terras maioris Poloniae per solita loca processit, et in Calisz Pascha celebrauit. Circa conductum autem Paschae exercitus Bohemorum Taboritarum, cuius Dux erat Bedrzych Presbiter Apostata, ex Slesia superueniens, in Regnum Vngariae animo spoliandi et praedandi illud, dum esset Rege suo Sigismundo vacuum, in Italiam enim pro corona Imperiali obtinenda discesserat, per Myslimirze, et alia loca Regni Poloniae irrupit. Clausae autem erant per arborum incisiones mandato Regis et Consiliariorum Regni Poloniae viae, prohibere enim transitum illis in Vngariam Vladislaus Rex magnopere cupiebat, et quantum in eo erat, molestè ferebat Vngaros ab illis vexari. Exercitus tamen praefatus intelligens Regem et Polonos domestico bello occupatos, nihil incisione arborum et praeclusione viarum territus, securibus et igne truncos obstantes consumunt, et obstantia quaeque, nullo eos lacessente, depellunt. Et licet Vngariae Barones cognito eorum aduentu collecto exercitu ire obuiam, et congredi cum illis statuissent, audita tamen eorum pertinaci in Regnum Vngariae irruptione, rupto campo disperguntur, propter quod Bohemorum gentes in terram Scepusiensem descensum facientes, Oppidum Kesmark vacuum defensoribus, omnes enim erant aduentu eorum repentino, pauore nimio perculsi, et interceperunt,

et

et comprehendunt, ubi magnas opes pluribus annis congestas reperientes, spoliatis vicinis, oppidis, et villis, capto etiam Praeposito Sczyrzicensi Georgio, qui in Pragam deducendus illic occubuit, et districtu Turch praedato, per montes in propria cum multitudine praedarum sine aliqua animadversione et obstaculo reversi sunt

Celebrato Pascha Domini in Calisz Vladislaus Rex in Posnaniam venit, ubi Duci Boguslao Stolpensi tunc sub specie peregrini in Posnaniam venienti, neptem suam ex sorore germanam, filiam Ducis Semoviti Mazoviae Ameliam virginem in matrimonium tradit, et Regales celebrat nuptias et curias. Illuc de exercitu Bohemorum, qui se Orphanos appellabant, quorum Joannes Czapek de Szaw erat unicus ductor et Capitaneus, et qui tunc depopulando et conquassando Almanos, Misznam, Saxoniam, et oram Nurumbergensem bello et vastatione affligebant, venerunt Nuncij ad Regem, offerentes se quodlibet subsidium contra Cruciferos praestaturos. Excepta est eorum oblatio, licet viri Ecclesiastici dissuasissent, cum gratitudine, iussique sunt cum omni exercitu, in novam Marchiam, quae in ditionem Cruciferorum concesserat, accedere, et illam cum gentibus Regijs partium Maioris Poloniae vastare. Transitus quoque exercitui praefato ordinatione Regis per maiorem Glogoviam, ubi Odram, et castrum Santhok, quod tunc iam per Polonos ex concessione fratrum Joannitarum, qui illud a corpore Regni Poloniae abstraxerunt, tenebatur, ubi Vuartham, flumina supervant, patefactus erat, et Petrus Saffraniecz cum ducentis equis, ad id, conductor exercitui assignatus. Fructuosa enim res et compendiosa videbatur Consiliarijs Regijs, si exercitus ipse Bohemorum, qui vicinis omnibus regionibus erat formidini, mature novam Marchiam per alienas terras ingressus, coniunctus exercitui de maiori Polonia vastaret, et vastatione illius perfunctus, altero exercitui capitali Regis ex terris Cracoviensibus confecto et Pomeraniam ingressuro tempestive iungeretur

In Rogationum diebus Vladislao Rege in Koscian cum sua curia agente Legati Concilij Basiliensis adveniunt. Asserentes se Cruciferos ad amplectendum

dum pacis media induxisse, et diem placitandorum feria quinta ante festum Pentecostes in Slunsko prope Raczansz parti utriusque constituisse, rogantes ut et Rex illic suos Consiliarios mittere, et istas pacis conditiones accipere dignaretur. Licet autem tam Rex quam Consiliarij intelligebant frustra id fieri, cum ludibria Cruciferorum optime dudum essent experti, ad seruandum tamen honorem Concilio et Legatis eius, Nuncij notabiles, videlicet Albertus Gnesnensis Archiepiscopus, Joannes Vladislauiensis Episcopus, Vladislaus de Ostrorow Decanus Cracouiensis Regni Poloniae Vicecancellarius. Sandiuogius de Ostrorog Posnaniensis, Jarandus Vladislauiensis, Joannes de Lisbin Brestensis, Palatini transmittuntur. Qui cum ad diem constitutam venissent, nullum tamen ex Cruciferis sed nec ex Legatis illic repererunt, cum autem die altera recederent, unus ex Legatis adueniens, et absentiam Cruciferorum varijs figmentis excusans, terminum conuentionis ad XV prorogari facile a Regijs Nuncijs obtinuit. Sed dum quoque in quintodecimo die Nuncij Regij aduenissent, et nec Legatos nec Cruciferos reperissent ludificari se multipliciter videntes recesserunt, Legati quoque Concilij nunquam expost visi sunt, rubor enim mendacij ad quos eos Cruciferorum perduxerat improbitas, stringebat eos, ne amplius aliquam de pace facerent interpositionem. Opportuno itaque tempore adueniente conclusio super bello contra Prussiam gerendo in praxim posita est, nam et exercitus de terris maioris Poloniae mandato Regis ad arma consurgens, et sub ducatu et Capitaneatu Sandiuogij de Ostrorog Palatini Posnaniensis, nouam Marchiam, vix pro pabulo herbam habentem ingreditur. Ab alia vero parte Czasko cum Bohemico exercitu adueniens, speciem iusti fecit, coniunctus Polonis exercitus, Concussa fuere omnium, nouam Marchiam inhabitantium, corda, siue Polonorum, quos recentibus iniurijs lacessitos sciebant feroces esse, siue Bohemorum, quos crudeles nimis fama, quae omnia supra verum extollit, praecedente, nouerant, pauore nimio perculsi. Accedebant autem perculsis maiorem formidinem exercitus utriusque qui nimia celeritate uni

uersam nouam Marchiam percurrendo vastant, et tam igne
quam gladio duodecim ciuitates, munitas quidem et tam situ,
quam arte firmas, aut vi aut deditione comprehendunt vt
Strzeltze, Dobyegnyew, Chosczno alias Arusbarg, quas in
ruinam redigunt et fauillam, sola ciuitate Chosczno alias
Arusbarg quae robore erat inexpugnabilis reseruata, in qua
praesidium militum relictum est, quod vniuersam Marchiam
sub obedientia Regis Poloniae, vsque ad pacem reintegratam
continebat

Samogittarum exercitus anno eodem
in diebus festis Paschae ex omni gente quasi vir vnus col
lectus mandante Sigismundo Magno Duce Lithuaniae in
terram Liuonitarum, quae Curlandia vocatur, clandesti
ne incurrit, et diebus duodecim incautos, et nihil tale suspi
cantes vastat et opprimit, notabilemque praedam simul et capti
uos vtriusque sexus illic comprehendens ad propria nulla
resistentia aut dimicatione interposita redijt

Castrum Luczsko ea tempestate per
Ducem Noss Ruthenum fide Graecae ritus, erat clande
stinis dolis et largitionibus interceptum, ad quod plurimi mor
tales ex Ruthenis Suuitrigello fauentes conuenerant. Saepe quoque
terram Chelmensem, cuius tunc Hryczko Kyerdeowicz erat
Capitaneus praedatum intrabant. Verum cum praefatus Hriczko
strenue illam tutaretur, et defenderet, et omnibus esset vicinis
formidini, Dux ipse Nosz contracto vndecunque poterat exer
citu terram Chelmensem ingreditur, cui praefatus Hriczko
prope Hrubyessow circa fluuium Bug occurrens iustum fecit
congressum, et omnem eius potentiam fultus diuino adiutorio
confregit, ipsumque Ducem in fugam vertens plures suos captiua
uit, ab illo quoque tempore et hostium repressit impetum, et pa
cem terrae Chelmensi restituit

Juxta mandatum et edictum Regis ad
diem festum Sancti Joannis Baptistae conuenit vniuersus
exercitus Regni, et signanter terrarum Cracouiensis, Sendo
miriensis, Siradiensis, Lublinensis, Vuniuunensis, in Colo
denit, et Vladislaus Rex cum praelatis, principibus, et Ba
ronibus fere omnibus, vbi per dies aliquot secretum consilium
habitum

Habitum est, et longa deliberatione tractatum, an Vuladi
slaus Rex debeat personaliter ire ad bellum, vel alium in lo
cum suum praeficere belli ductorem. Verum cum omnium sen
tentia decreverat Regem propter senium et caecutientem vi
sum nullatenus illi bello mittendum esse, Nicolaus de Mi
chalow Castellanus et Capitaneus Cracoviensis de domo
Rosza, consensu tam Regis, quam Consiliariorum designa
tus est, et omnes Principes, Barones et nobiles sibi in belli
administratione parere iussi. In administrando autem bello
ex Regis et Baronum sententia talem informationem pro
summa acceperat praefatus Capitaneus, ut nullibi exer
citus Regius consisteret, nec conquisitioni castrorum aut
civitatum se occuparet, sed quanto celerius posset terram
Pomeraniae ingressus igne et gladio eam vastaret, Consumptisque
omnibus villis et oppidis tum demum expugnare aliquam
civitatem aut castrum niteretur, in qua, exercitu Regio di
scedente, praesidium illic militum, tum pro retinendis hostium
insultibus, tum pro lacessendis posset locari; Reliqua consul
tatione tunc instructus, quae sibi agenda forent, quae omittenda.
Cum his instructionibus Capitaneus et exercitus dimissi,
versus terras hostiles et terram Pomeraniae exercitualiter
procedebant. Vuladislaus autem Rex ex Colo in Conin
secessit, ibique quoniam ita per Consiliarios decretum erat, per
omne tempus belli mansionem suam firmavit, ut facilius esset
ad suam Serenitatem universis Nunciis ab exercitu mit
tendis aditus, nonnullosque Consiliarios secum ad latus tenuit,
facilius super rebus emergentibus ex eorum sententia
pronunciaturus

Exercitus itaque Regius a Colo discedens
variis itineribus ad terram Pomeraniae hostilem pervenit,
et eam in nomine domini circa Bydgostiam superato flumine
Obra, et sub ductu praefati Nicolai de Michalow Castel
lani Cracoviensis ingressus, eam vastare coepit. Incedebat
autem exercitus ipse habens in sinistra parte Jassyenecz
et Ducholya, et dum ad castrum et oppidum Ducholya per
venisset, et villas propinquas atque quaeque suburbana incen
disset

dijs et spolijs vastaret, bombarda magna ex castro Tucholya
crebra percussione consistere de prope Oppidum, et statua illic po
nere prohibitus est. Necessitate itaque compulsus, a praefato oppi
do Tucholya descendens, castra circa lacum in Borra, a Tu
cholya uno milliari distante posuit. Sed et ibi quoque lapides
bombardae ex Tucholya proiecta castra Regis non sine ad
miratione multorum attingebant. Quibus autem exercitus
Regius de maiori Polonia, et exercitus Bohemorum sub ducta
tu Sandiuogij de Ostrorog Palatini Poznaniensis, et Joannes
Czaslconis, nova Marchia vastatione perfunctus, dum illam
totam in ditionem Regis Poloniae praeter civitatem Lanczberg
subiecisset, in terram iam Pomeraniae cum omnibus copijs
descenderat, iamque Oppidum Choinicza obsidione cingens
premebat. Motus itaque Nicolaus de Michalow a Tucholya
castris recto tramite versus Choiniczam contendit, ita enim
expedire visum est, ut exercitus insimul uniti, hostibus fie
rent terribiliores. Quartus autem statius, ex quo hosti
lem terram innaserat intraverat, in Choinicza perveniens,
his qui obsidebantur falsa spe, suos enim in auxilium ve
nire credebantur, deceptis, magnam attulerat exultationem,
Unde et singuli, turres et moenia et muros spectatum ascen
derant, congressum et certamen exercituum visuri, exerci
tus enim illos obsidens ire in obviam ad excipiendum suos
arma sumens, et signa erigens, spem obsidentium, quasi
ad confligendum se pararet, nutriebat. Uterque exercitus
aciebus ordinatis et signis erectis procedebat, paucis pro
castrorum et bombardarum custodia relictis. Et non longe
a Choinicza invicem convenientes, dextris dextrae iunctae sunt,
et a propinquis, et notis propinqui hinc inde cum magna ani
morum hilaritate excepti, magnusque clamor et vociferatio
acclamantium et requirentium notos a muro obsessos exau
diebatur, iamque acies congressas esse iudicabant. Verum
dum temporis processu diligentes e muris speculatores
conspicerent, exercitus unitos alacres redire in castra,
ex magna spe deiecti, in magnum pavorem adducuntur,
non se posse tam fortes exercitus obsidionem toleraturos.
Concussa autem adeo omnium obsessorum corda erant
formidine

formidine, et magis de fuga quam resistentia, magis de deditione quam de defensione singuli cogitarent. Quod si exercitus Regius in puncto adventus sui, Oppidum expugnatione adortus fuisset, potitus absque dubio fuisset illo, cum defensoribus pro maiori parte mania nudata essent, et omnium animi incredibili metu perculsi, tantusque auctus omnibus luctus insederat, ut urbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. Sed satius videbatur Capitaneis et praefectis copiarum muros et turres primum bombardis frangere, et defensores repellere, deinde expugnandae urbi vacare, et quamvis solvere Vladislaus Rex obsidionem literis et Nuntijs imperasset, pudebat tamen Polonos coepto desistere irrito.

Castris itaque positis ad Choinczam, et utroque exercitu coniuncto, aliquamdiu tempore deliberatum est, an in obsidione incepta perseverandum esset, an iuxta decretum Regis omissa obsidione hostilis terra vastanda. Et licet tam Capitaneo exercitus Nicolao de Miesalow, quam omnibus Consiliarijs placuisset decretum Regis custodire, et obsidionem linquere, vincit tamen Sandivogij Palatini Posnaniensis sententia qui studio urbis conquirendae intentus, turpe nimis ducebat non expugnata urbe discedere, spem magnam deditionis aut conquirendae urbis repromittens, aliarum urbium in Nova Marchia longe fortiorum conquisitione inflatus. De continuanda itaque obsidione sententia accepta, octo Hebdomadis omnis exercitus circa unius urbis obsidionem frustra subsistebat. Super quo Nicolaus de Miesalow Castellanus Cracoviensis, Dux exercitus, literis Regijs arguitus est, non bono cum consilio circa Choinczam morari frustra, et unius oppidi obsidione occupatum, vastationem terrae hostilis, ob quam principaliter missus est, negligere, quae hostibus multo maius dispendium quam Oppidi Choincza si proveniret conquisitio allatura. Intra autem dies obsidionis in locis plurimis bombardis sine intermissione quatiebatur murus, et antemurale, et in quaque

vicina

vicina loca de exercitu, turmae notabiles gentium mittebantur,
quae oppida quaeque et villas adeuntes, exercitui necessaria ali-
menta ministrabant, ipsa quoque oppida et villas igni absu-
mebant. Unde in terra Pomerania non reperiebantur homi-
nes in villis aut oppidis, sed universi se in civitates munitas
abduxerant. Aqua quoque, quae fossata urbis complebat, plu-
rimo labore per novas foveas exclusa, omnia fossata crede-
batur pervia fecisse, cum remaneret limus longo tempore hu-
mefacta, profundam conferens lutuositatem. Sed tam ingens
erat in urbe omnium rerum ad sustinendam obsidionem ap-
paratus, tantaque bombardarum et tormentorum copia, tanta
denique murorum firmitas et turrium numerus, ut omnem
administrationem Polonorum facile retardaret. Cumque aperta
vi parum expugnatio proficeret, difficili expugnatione ci-
vitatis pensata, ad specus subterraneos effodiendos, et cuni-
culum occultum constituendum cura Praefectorum conversa
est, et longo labore atque impensa opus crescebat, et noctes
ac dies in opere absumpti, egerentibus multis mortalibus
humum et specum in longum, versus ipsam urbem directo
itinere trahentibus. Haec quoque res spem magnam urbis
conquirendae ingerebat obsidentibus, et in obsidendo perseveran-
tiam subministrabat, obsessis vero, quoniam id illos latere non
poterat, cumulis enim ex terra egesta eminens, index cuni-
culi fuit, addebat terrorem, fit enim communi naturae vitio,
ut ignotis et latitantibus rebus maior pavor hominum mentes
occupet. Unde et in locis singulis excubabant, sonitumque effodi-
entium aure admota captabant, incerti per quem locum ho-
stes essent urbem irrepturi. Non respondit tamen tantae spei
aliquis eventus, nam dum fodiendo usque ad muros civitatis
et ad spacium quod maior et minor murus complectitur, ven-
tum esset, superior pars, quoniam specus iustam profundi-
tatem non habebat, cuniculo superne perforato, sabulo desi-
dente, ad irritum rediens labor, hiatum fecit, quo effectum
est ut amplior fossurae inhiberetur progressus. Ut tamen
labor tantarum impensarum aliquem haberet usum, die-
bus fere omnibus quibus obsidio durabat, foramine huiusmodi
hiatus plures hostes in parvo muro stantes a tergo impune
interficiebantur per sagittas balistarum, non valentes
notari

notari unde prodirent missilia, donec post longum tempus multis orcisis fraus loci deprehensa est, et locus fimo et luto obrutus. Non proficientibus itaque pro conquirenda urbe operibus praefatis, placuit Capitaneis et Praefectis exercitus expugnandae urbi maiorem operam dare, et impetu illam aggredi fortiori, vi aperta propalam usuri, quando dolus parum profuerat, tam desidere enim quam morari irritum et in unius oppidi obsidione, caeteris potioribus neglectis pudebat. Igitur ne quid inexpertum relinquerent, die Beatae Mariae Magdalenae mane ad impugnandum urbem exercitu praeparato, fit per universum exercitum in urbem durus impetus, ab omni enim parte urbs militibus circumdata stringebatur. Iam enim alij antemurale confringebant, alij ad murum accedentes illum suffodiebant, alij per fossata plena luto ad loca quae vis bombardarum confregerat accurrere nitebantur. Inter haec obsessi animos non remittebant, sed varijs et exquisitis arboribus, tum pice, resinaque, tum aqua ferventi tum lapidibus, sagittis, et gladijs impugnantes arcebant, fortius enim, quasi iam desperatione turnida urbis concepta, resistebant, nec ullum genus defensionis omittebant, mulieribus et parvulis quoque administrantibus offendicula opportuna, neque erat quisquam omnium, qui in eius diei casu suarum omnium fortunarum eventum consistere existimaret. Dum itaque pluribus horis acriter pugnatum esset, Bohemis stationes suas et muros quos impugnabant deserentibus, omnis defensorum vis in Polonos conversa est, pluribusque vulneratis, aliquibus interfectis, aut captis, caeteri ab oppugnatione discedere coacti, et urbs ipsa tunc egregie defensa. Captus fuit tunc mersus et illaqueatus limo Petrus de Ostrorow miles, et alius Bohemus miles Petrus Scem, siquidem barathro praefatus Petrus Ostrorowski et aliquot alij milites involuti et minime valentes effugere, ne violarentur aut dilacerarentur hostilibus operibus et sagittis captioni mandantur captivorum more hostibus. Joannes Manczik de Dambrowa Palatinus Leopoliensis ictu fistulae in pedem graviter

inter vulneratur. Jarandus de Brudzewo miles et adole-
scens spectabilis, filius Jarandi Palatini Juniuladien(sis) inter-
fectus, Poloni sequendum Bohemis cedentibus, quod putabant
pudori, natura aut munimentis cedere, pertinacius prae-
liantes, aut telis et saxis obtriti sunt, aut limosa vora-
gine involuti. Et non solum conatus omnes recidere in ir-
ritum, sed quod amplius angebat Polonos, parandae expu-
gnationis in reliquum spes refrixit.

Casso itaque labore apud Choinczam
octo septimanis et meliori tempore aestatis absumptis,
exercitus Poloniae non solum angustia, urbis non conquisitae,
sed etiam fame et obitu equorum alysque incommodis preme-
batur. Circumsessae enim erant ab hostibus viae, nec exer-
citui potus et alimenta ex Polonia poterant subduci, lym-
pham quoque quotidie bibere pauperes cogebantur, sed et
equis pabula deficerant. Consumptis quoque ubique in cir-
cuitu frumentis ad quaerenda pabula longum iter
conficere cogebantur, sed nec id tutum erat propter hosti-
um crebras incursiones, multorum itaque equi aut ex fame
mortui, aut tabefacti exercitum equite nudaverant. His
itaque sero per Capitaneos et Praefectos pensatis, postquam ex-
pugnatio semel tentata serius provenerat, et Autumni tem-
pora instarent, sero mandatorum Regiorum recordati, obsi-
dio soluta est. Et castris motis, et his quae remanere debe-
rent, incensis, exercitus universus consurgens a Choincza
non sine gratulatione eius civium discessit, et ad oppidum
Tczow septimis castris pervenit, per Gniew, Nowe, Star-
gardt, statiua faciens, in castrum Peplin perveniens duobus
diebus illud igne et varia vastatione disiecit et pessumdedit.
Monasterium illud per antiquos Principes Poloniae Sambor,
Msczugium, et Swantopelk fundatum, adeo aedificiis, mu-
ris, et structuris erat nobile et excelsum, ut omnes mortales
in sui admirationem facile traheret. Omnis tamen ornatus
suus tunc erat detractus et solo aequatus, et clenodia ec-
clesiae, localiaque reperta, distracta sunt. Et quoniam exer-
citus Bohemorum in progressu priorem ordinem tenebat, et

exercitum

+

exercitum Poloniae antecedebat cum in eo maior pars pe
ditum esset, qui anticipatione necessario haberi via re
gerentur, dum exercitus Bohemorum ad Thezow per
venisset, conspecta urbe, quod situ et munitione fortis es
set, et omni conditione urbe Choinicza fortior, nihil illic
subsistendum duxit, sed eam praeteriens, uno quartali
milliaris a praedicta urbe, prout constitutum erat
castris locum et stationes suas firmare in villa
Sobhoun Episcopi Vladislaviensis coepit. Exercitus
autem Polonorum illum subsequutus, dum ad praefa
tum oppidum Thezow pervenisset, aliquanto tempore il
lic substitit. Et licet per praefectos subsistentia aliqua
illic inhiberetur, ne irruptione ex civitate facta incauti
et praedis intenti occuparentur, quia tamen incolas ur
bis fata expectabant, nullo ingenio aut castigatione poterat
exercitus Poloniae inhiberi, ne circa oppidum Thezoun
subsisteret. Habebant enim Cruciferi pro consuetudine
et usu, ut omnes gentes et stipendiarios suos, quos ha
bebant ex Bohemis, Slesitis, Almanis, et pyratis qui
Schiffkinder nuncupantur, alijsque nationibus condu
ctos, ad castra, aut civitates, ad quas exercitus Polo
niae verisimiliter transiturus erat, transferrent, ut
castra ipsa et civitates firmata hominibus essent, et ob
sidionem expugnationemque hostilem non pertimescerent,
quapropter et obsidione apud Choinicza soluta, omnes sti
pendiarij et gentes Cruciferorum in alias urbes defen
dendas in noctis intempestae silentio transmigraverunt,
omnesque tunc se in Thezoun contulerant, iamque per lo
cos ex insignijs armorum, equorumque genere optime no
scitabantur, eo quod ex castris et civitatibus, circa quae
Polonorum exercitus erat, discurrentes, praeludijs certami
num nostros infestabant. In hunc quoque morem Polonorum
exercitum, qui suburbana praefati oppidi Thezoun ingredi
contendebat, se obiecit, et plurimis conatibus ne ingrede
rentur restitit, sed tandem cum nostrorum cresceret mul
titudo, aegre in oppidum pluribus interfectis, captis, aut vul
neratis

nerates se receperunt. Suburbana primum spoliata, deinde
incensa, in altum flagrabant, et ventus validus a meridie
superveniens, et scintillas, et titiones et flammam in oppi
dum, quasi de industria suffragium Polonis ferret, superia
ciebat. Unde et exercitus Polonorum stabat intentus, con
sumatione suburbii et urbis correptionem non inani au
gurio expectans. Oppidani vero licet urbis suae incendia
aqua, et cilindriorum tectorumque ruptione repellerent,
turris tamen una in tecto ignem concipiens, urbem quoque
ardere coegit, ex turri enim in Ecclesiam, deinde in
oppidi tecta desiliens sine mora adoluit, et vicinos
quibusque se coepit infundere, neminem expertem relinquens
periculi, nec multo post ignis diffusus late longeque ma
nare coepit. Propter quod exercitus Regius moenibus ap
propinquans irrumpere conabatur, nulla tamen vi et
impugnatione eam opus, urebat enim defensores murorum
ignis ingens, qui iam in tecta saeviens etiam eos qui in
moenibus aut muris stabant suffocabat, propterquod
multi ex muris praecipites ruebant in terram, et ad Po
lonos confugientes mortem evadebant, per eosdem quoque
muros scalis appositis, Poloni urbem ingressi, nobiliora quaeque
spolia legebant. Portae autem civitatis cum essent pluri
mis repagulis firmatae, cum magna difficultate per Polonos
ab una parte, et per oppidanos ab altera defrustata sunt,
et tunc demum universus Polonorum exercitus urbem
ubique ardentem et flagrantem irrumpens, incendia domo
rum cohibebat, ut spoliis urbis posset potiri, adeo in con
trariam partem fortuna rerum humanarum actionis inten
tionisque versante. Quia tamen ignis creverat in im
mensum, et templi domorumque tecta etiam coctis lateri
bus coperta, virtute ignis collapsa sunt, et plurima no
bilia spolia conflagrata victoribus igne subtracta sunt.
Remanserant tamen cellaria pannis et mercibus varia
rum manieriarum plena, ex quibus exercitus universus
suam explens avaritiam abunde ditatus est. Omniaque
eiusdem urbis spolia in sortem Polonorum cesserant, quo

niam

niam Bohemi tardius, captam urbem audientes, advenientes, occupata quaeque per Polonos repererant. Sic urbs fortis et nobilis consumpta et penitus deleta est, non impugnatione humana, sed permissione divina, non caret enim magno misterio, ut Choinicza debilior, nulla vi, arte, aut ingenio, expugnari capique posset, sed obsidionem octo septimanis tolerans, illaesa perstitit. Dczovu vero munitione et situ fortior, una die una pene hora incenderetur, caperetur, deleretur, iniquitatem forsitan eius completam, adeo iustitia Dei puniente, ut etiam victoribus ipsis et hostibus triste et miserabile spectaculum fuerit. Egressus sub eodem tempore fuerat ex castro Marienburch Magister Prussiae Paulus de Russdorff in insulam Zolavuam, et cum falconibus venationi intentus, captura alitum operam dabat. Videns autem, in proximo enim agebat, Oppidum Dczovu, praeter spem captum et incendium esse, vehementer ingemuit, et praecipiti cursu fugam maturans in Marienburg rediit, pavidus, et anxius, carpens et obiurgans eos Commendatores et Consiliarios, qui illum ad violandum foedus pacis perpetuae renitentem, impiis consiliis impulissent

Capta urbe Dczovu, atque igne

deleta, omnes Cruciferorum gentes et stipendiarii et multi alii mortales in praefato oppido habitantes capti sunt, captaque tunc referuntur, de Bohemis, Slesitis, Almanis, et Pirratis Sebeculinenis, aliisque nationibus decem et amplius millia, qui omnes in statiua Polonorum deducti sunt, et Baronibus maioribus ad custodiendum distributi. Petente autem Joanne Czaphone et exercitu Bohemico, omnes Bohemi in Dczovu capti, sibi donati sunt, qui illos gravi redargutione corripiens, quod contra nationem propriam ferrent Almanis suffragia, et Regum atque Regnum Polonorum bene de se praeter linguae identitatem meritum, mercenariis armis oppugnatum Prussiam

siam venissent, omnes accensis in medio castrorum suoru
rogo ingenti provectos extinxit. Cuius exemplum miles
quidam Polonus Joannes Strasz de Byalaczow imita
tus, Pyratas Schewnkindry in ergastulo ligneo conclusos,
palea, dumisque stratis circumdando, ergastulum pro
pria temeritate succendit. Urente itaque Pirratas undique
flamma, ostium ergastuli, fortis enim viribus sunt, dirum
punt, et evadere ex flamma nituntur. Jam tamen plerique
ex Polonis velut ad spectaculum quoddam accurrentes,
salientes ex ergastulo pyratas excipiebant lanceis et in
terficiebant. Donec Capitaneus exercitus Nicolaus de
Michalow crudelitatis novitate huiusmodi ad eum perlata,
accurrens, et mactationem Pirratorum prohibuit, et
ignem eos vorantem extinxit. Erat unus ex illis flama
in pedibus adustus, qui in urinam aquam, utcunque po
terat, dimittens, dum sitim explere estimaretur, undis
se, dolore nimio impacientiam subministrante, voluntarie
suffocavit, nec amplius in captivos saevitum est. Faeminis
autem et parvulis in Tczow captis, non solum honestas
omnis servata, sed et libertas donata, et omnis humani
tas impensa est. Capitanei quoque et Praefectorum cura,
adhibiti sunt milites Poloni ad faeminarum tutelam et
custodiam, ne quisquam captivo corpori aut illuderet, aut
quicquam ex his, quas ferebat secum, fortunis eriperet.
Fuit haec humanitas Polonis magno splendori, faeminae
enim praefatae variarum conditionum, dum viderent se
beneficio Polonorum non solum in pudicitia sed etiam in omni
bus rebus quantumcunque nobilibus tutas servatasque esse,
summis laudibus tantam Polonorum modestiam effere
bant. Justissimos illos arbitramur victores qui ab omni fae
minarum iniuria tam manus quam animum continuissent,
cum Cruciferorum exercitus, qui Regnum Poloniae va
cuum videns, biennio ante exacto, ingressus, libidines suas,
captivas mulieres prostituendo, expleverat, ut nulla acti
one meruisset. Unde et Cruciferis dominis suis infelices,
Polonis vero secundos precabantur successus. Verum quia
faeminae

faemina praefata in ciuitate Tczow igne deleta re
manere non poterant, in villis vero consistere securum
non erat, omnes faeminae tam virgines quam matronae
ad Vislam per milites Poloniae deductae, navibus in alte
ram partem, et in Prussiae terram traductae sunt, et per no
tos, et vicinos, cum omni earum, quam tunc ferebant, sup
pellectili, in vicinas urbes exceptae. In exercitu quoque
Regis cum longa et diligenti indagine omnium castra per
quisita scrutataque sunt, et omnes faeminae aliquorum impro
bitate absconditae, ereptae, et libertati plenae donatae sunt,
nec permissum est, ut exercitus Poloniae mulierum conta
gione se faedaret, Summopere enim expedit, ut in bello ad
ministrando observetur continentiae decor, is enim exerci
tus, eo genere, facile in hostium potestatem et iugum concidit,
qui se a libidinibus non temperat, et iusto Dei iudicio ab
hoste prosternitur, qui se a vitijs primum sterni permiserit.

Oppido Tczow conquisito,

et exusto, castris a villa Episcopali Wladislauiensi mo
tis, versus Gdansk procedunt, urendo vicos, aedificia,
oppida, et villas, ubi et tunc Monasterium Oliwa quod
etiam Duces prisci Pomeraniae, Sambor, Swantopelk, et
Msczugius fundaverant, vastant et incendunt. Postquam
vero ad Gdansk perventum est, quatuor diebus ibi
statiua habita sunt, et ciuitas tormentorum et bombar
darum percussione, facilis enim ex monte in illam erat
prouectio, plurimum quassata, Portus etiam maris qui
trabibus, sudibus, et asseribus serratis, caeterisque lignis,
quo facilius navigia illic possent se recipere, et securius
consistere, communitus, per Polonos fuit violatus, et in totum
disiectus. Universi insuper equestres et pedestres de exer
citu, mare quo ad profundius poterant ingressi, in maris flu
ctibus excursiones, insiliendo unus in alterum faciebant,
et longo tempore ludos illic, ardendo se invicem exercebant,
pulchrumque spectaculum dies illa exercitui contulit, quod
hostium terris dura vastatione peragratis ad mare Ocea
num

rum incolumes pariter et victores venissent, Unde et
plures tunc Poloni in milites creati, et Sacramento militiae
addicti sunt, et plerique ex Bohemis aquam maris in lagae
nas fundentes ad penates proprios in signum tam remotae
militiae detulerunt, Pressi cives de Gdansk pluribus
incommodis, provectu enim bombardarum plurimum eos
atterebat, et facilis visa est civitatis conquisitio si exer
citus in eius obsidione et expugnatione ea opera, qua
circa Choinczam usus fuisset, de pace agendum veriti
extrema duxerunt. Pro qua et in Peplin et alijs locis per
tractatus varios interpositos cassa tamen facta erat,
et licet aliquanto tempore pro pace fuisset laboratum,
infecto tamen negocio discessum.

Feria secunda post Sancti Lau
rentij a Gdansk non sine planctu et lachrima civium,
consumptis omnibus, quae in vicinia erant, exercitus Po
loniae recessit, et ad oppidum Turbolya sextis stativis
perveniens, dum stativa prope oppidum ponere voluis
set, bombarda magna crebro ex castro missa vetitus
est. Propter quod in locum medij milliaris ab oppido
secessit, et illic castra locavit. Abinde consurgens in Ias
sieniecz venit, ubi diebus quatuor stativa habuit, ve
nerant enim Commendatores, milites, et cives Prussiae
ad tractandum de pace, infra dies autem illos cum pri
mores pacis tractatus versarent, exercitus Bohemorum
versus Bydgostiam descessit, ut facilius fame afflictus
in Polonia alimenta conquirens reficere posset, iuniores mi
lites se invicem cohortati cum essent numero pauci ad ex
pugnandum castrum Iassieniecz iniussu Capitaneorum
procedunt. Quae novitas dum in exercitu percrebuis
set, universus exercitus armis sumptis quasi signo
dato eos est sequutus. Circumdato itaque ad omni parte
castro, ingenti alacritate irruebant ad eius expugna
tionem tanta vi tanta velocitate et diligentia incum
bunt, ut unum animum omnes haberent, atque hac corona

cernere Regem suum existimares, Dobeslao Puchala
Capitaneo Bydgostiensi sub bombardis castrum forti
ter quatiente. Certantium per castri habitatores
notabiles fuisset resistentia aliquot horis opposita,
metu tamen perculsi, dum nimia pertinatia viderent
se expugnari, cedunt, et Poloni castro Dassunwecz po
tiuntur, uno tantummodo de suis nobili Joanne Lewin
de domo Rosa de Vielczino, dum ante murale conscen
deret ictu lapidis fuisset desiderato, Praeda omnis
quae in castro reperta fuerat, dum per Polonos apprehensa
et sublata fuisset, castrum ipsum in quo praesidium no
tabile relinqui poterat, improbitate unius Poloni incen
sum, conflagratum est. Capitanei omnes propter interfe
ctionem Lewin, secti et truncati sunt, nec alicui par
sum est, et adeo sibi sanguine dudum eorum parentatum,
ut et si qui aliquo Polonorum habitu, quo subduci pos
sent, velabantur, mirabili indagine et perscrutatione
cogniti, mox interficerentur, inter manus illos educen
tium. Ab eo quoque tempore locus castri praefati Dassu
nwecz in solitudinem redactus est et desertatione

Singulari molestia Commenda
tores, Marcyque Cruciferorum, qui coram aderant, expu
gnationem castri Dassunwecz et deinde exustionem,
suorumque necem ferebant, Carpebantque plurimis quae
relis Capitaneos et proceres Poloniae, quod sub tractatu
pacis expugnatio illa subsequuta fuisset. Qui etsi se
purgabant, quod id sine imperio et scitu eorum acci
derit, iure tamen belli id accidere potuisse docebant,
cum in illam diem nulla esset pax composita aut fir
mata, qua subsequuta nihil sibi hostile vereri. Li
crandum itaque Cruciferi et pacem componendam Ara
babant, quae post varios tractatus in hunc modum pro
fuit composita, Primo ut Treuga catholice inter Re
gnum Poloniae et Cruciferos usque ad festum Epiphaniae
durarent

durarent, Secundo, ut pro die Sancti Andreae in Oppido Brze
sc conventio fieret, in qua Consiliarij partis utriusque con
venientes de pace tractarent, Tertio ut captivi Crucife
rorum, qui mirabili fame et nuditate attriti erant, ut loca
quaeque caulium, aut rapparum, per quae eos ire contingebat,
velut locustae demollirent, relaxarentur, repraesentaturi
se pro festo Epiphaniae, si absque pacis perpetuae vel ad
tempus, conclusione, ex conventione Brzestensi pro die
Sancti Andreae habenda discederetur. Erat autem
in cordibus multorum admiratio singularis, quod Cru
ciferi intra obsidionem ad Choinicziam continuatam,
sed neque expost, pluribus diebus nihil de pace agita
bant, donec universa terra Pomeraniae igne et spolijs
vastaretur. Tunc enim demum omnis opera per eos pro
pace adhibita, cum ea sollicitudine et diligentia, ut exer
citum Poloniae a Gdansk provenientem, continui eorum
nuncij, novis et recedentibus succedentibus usque ad Dal
sewicz et usque ad pacis conclusionem sequerentur, dum
iam pauca restarent, quibus ignosci et parci posset, et
exercitus Poloniae reverti in sua disposuisset. Adeo enim
confessione eorum, in tecta, in viros, in oppida, in curias,
quae quisque conspexerat, aut adierat, igne bello eo saevitum
est, ut solummodo quatuordecim villae in tota terra
Pomeraniae remanerent intactae, quas exercitus Poloniae,
quia inter lacus et in locis paludinosis sitae erant, adire
neglexerat. Composita autem conditionibus, quas su
pra diximus, pace, et postquam omnia ferro, igne, spolijsque
satis in Pomerania vastata erant, exercitus de terra
hostili incolumis et victor reductus et reportatus est,
tandem per Capitaneum Nicolaum de Michalow Castel
lanum et Capitaneum Cracoviensem licentiatus est, et
vexilla per signiferos ipsi Nicolao Capitaneo, et caeteris
Baronibus restituta, varijsque itineribus unusquisque ad
lares proprios visurus propinquos, et necessarios, celeri
tate qua poterat, regrediebatur. Bohemorum autem
exercitus a Bydgostia per viam qua venerat in Bohe
miam

miam regrediebatur, Notabiliores tamen ex Bohemis
cum Czaslaone Capitaneo, versus Pysdri procedebant,
Ut enim illuc accederent ita eis erat a Vladislao Rege
imperatum, praemia sui laboris ibi relaturi. Nec mo
veat quempiam lectorum, cum praesertim qui singula al
tius rimari consuerunt, quod Polonorum gens in eo bello
plures Ecclesias et Monasteria incendijs violavit, quasi
consortio Bohemorum, mores crudeles induisset, Vicissitu
dinem enim Cruciferis reddidit, qui et Vladislaviensem,
et plures Ecclesias in Polonia igne non sunt veriti con
flagrare. Nihil enim bello hoc Poloni de moribus Bo
hemorum hauserant, quinimo Deo corda eorum dirigente
detestari eorum haeresim, sectam, et mores vehementius
ab eo tempore coeperunt, etiam si qui illis clandestine
favere consueverant, postquam spurcitias eorum coram
viderent multum distantes et abhorrentes a cultu Catho
licae puritatis. Quinimo dicere audeo, quod illa Polono
rum cum Bohemis tunc habita communio, in maximam
salutem Poloniae et profectum conversa est, dum eos extunc
iuxta ac quandam, ut erat, sentinam ac pestem perni
ciosam coeperunt abominari

Infra autem omne illud tempus,
quo expeditio contra Prussiam duravit, Vladislaus Rex
in Conin, ut superius commemoravimus, continuavit man
sionem suam. Supervenerat autem in locum illum quaedam
singularis mortalitas hominum, ut plerique mortales per eam
absumerentur. Inter quos et Joannes Schaffraniecz Epi
scopus Vladislaviensis Regni Poloniae Cancellarius,
de domo antiquorum equorum, qui circa Regem ad susti
nendum consiliorum pondus longo tempore morabatur, Vi
cesima octava die mensis Julij in villa Brodnya exactis
in Pontificatu annis sex, absumptus est. Cadaver vero
suum, quoniam ita testamentaliter ordinaverat in Cra
coviam transportatum in capella Sancti Stephani, cuius
ipse cum germano suo Petro Saffraniecz de Pieskowa Skala

Palatino

Palatino Cracouiensi dotatus erat, sepultus est. Vuladislao autem Rege petente et instante Vuladislaus de Opporow Decanus Cracouiensis et Regni Poloniae Vicecancellarius, de domo Szulima in Episcopum Vuladislauiensem per Capitulum eiusdem Ecclesiae electus est, et per Eugenium Papam quartum confirmatus, et per Albertum Jastrzambiecz Archiepiscopum Gnesnensem, Sbigneum Cracouiensem, Joannem Chelmensem, in Lancicia in Monasterio fratrum Praedicatorum anno subsequenti consecratus.

Consumpta fere omni aestate Vuladislaus Rex in Conin, cum iam exercitus suos de terra Hostili egressos sensisset, et ipse de Conin egressus, versus Pysdri et deinde pro festo S. Bartholomei in Siradiam processit. Quo cum peruenisset, Gaslo Capitaneus, et alii notabiliores exercitus orphanorum Bohemorum iuxta ordinationem suam illuc aduenerunt, quos diebus aliquot fauorose tractatus, ipsos, prout meritum cuiuslibet exigebat, pecunias, vasa aurea, et argentea, vestes nobiles, equos largitus est, qui cum maxima beneuolentia et gratitudine, licentia accepta exercitum suum sunt sequuti. Ex Pysdri Vuladislaus Rex per Siradiam, Przeborsz et alia solita loca in Sandomiriensem terram processit, et cum pro festo Sanctae Heduigis in Przyszow venisset, venit ad eum Magistri Cristanni de Praga ea tempestate maximi et famosi Astronomi, Nuncius quidam Presbiter secta Haeresis Bohemicae infectus. Is sibi pro singulari nouitate afferebat, quod anno ipso, planetarum in orbibus suis pleraeque coniunctiones forent, et Lunae nocturna et subterranea eclipsis, propter quas multae varietates, bella inter mortales, et validissimorum ventorum, circa festum Sanctae Luciae flatum, mortesque Regum, et Principum, accidere necesse est. Monebat quoque ut et ipse domui suae disponeret, cum multi coelestes effectus, ipsa quoque astris grauida, mortem sibi vicinam nunciarent. Et quia Vuladislaus Rex Nuntium ipsum, ita enim expeturat, exclusis arbitris audiebat, Sbigneus Episcopus

sub Cracoviensis veritus ne Presbiter ipse aliquas ve
nenosas persuasiones in fidei contumeliam et haereses
hortationum attulisset, cum et ipse Presbiter, et in tabula,
et in alijs locis Sectam Bohemorum pluribus rationibus
multipliciter apud Laicos promovisset et extollerit, gra
vissime, ut par erat, motus, Regem Vladislaum aggres
sus, corripuit, cur eo et alijs Consiliarijs non adhibitis,
Presbitero Haeretico audientiam praestitisset. Rex pro
sui purgatione nihil illum de rebus fidei, sibi aut suo
aut alterius nomine loquutum astruxit, sed de quibusdam
novis effectibus coelestibus quos Solis Eclypsis erat pro
ductura. Non quievit tamen Sbigneus Episcopus sed
denunciavit Regi ut Presbiterum illum aut celerius
remitteret, aut ipse iure suo, comprehenso eo, in illum
uteretur, cum non liceret sibi aliquem male in fide senti
entem in sua Dioecesi tolerare, praesertim ne aliorum
infirmorum et simplicium infectio sequeretur. Hac denun
ciatione Rex compulsus Presbiterum praedictum, adiun
cto sibi conductore, remittet. Apparuit et tunc Stella
Cometes notabilis quidem et lucida, caudam seu facem
porrigens in Occidentem, quae a vespera usq. ad au
roram rutilabat, cursumq. prope mensibus tribus pere
git. Cuius autem apparitio, singulorum praesumptione,
Vladislaum Regem non post plures dies fatorum lege
dissolui portendebat.

Aestate praesenti, qua talia ge
rebantur, dum Alexander Voievoda Moldaviae, qui
beneficijs Vladislai Regis multiplicibus pessime respon
dens, hostem suum et Regni sui, Rege et Regno fracta
fide deserto, adiuvabat, morte absumptus, et inter duos
filios suos Heliam et Stephanum alias Steczkoncz diver
sis matribus genitos, quos superstites reliquerat, gravis
contentio, quis eorum in Voievodatu succederet fuisset
exorta, Quia tamen Helias natu erat maior, et per patrem
dum adhuc viveret ad gubernandum dominium designatus,
factus

facile sibi dominium totius Valachiae vendicans, et fratrem Stezlionem eiecit, et matrem eius undis suffocavit. Stezlio autem a fratris conspectu fugiens in Montanos perveniens, sibi illos in brevi, erat enim ingenio ad omnia promptus conciliavit, sed et a Turcorum Caesare petito et obtento ingentibus subsidio, in Valachiam rediit. Quod cum Helias Vuoievoda ab exploratoribus cognovisset, coacto omni suo exercitu sibi in obviam processit, facile sperans illum externa duntaxat auxilia habentem conflicturum. Verum quoniam Valachorum gens, quae de stirpe Italorum creditur descendisse, et terras Slavorum uberrimas occupasse, naturaliter ingenijs calidis et sensu vafro abundat, perspiciens Heliam Vuoievodam ingenio levi et delicio esse; animum suum ab eo alienatum et aversum in Stezlionem convertit, existimans per Stezlionem, prout est hominum natura sperare novos praestare veteribus, melius Reipublicae administrari regimen. Dum itaq. uterq. cum suo exercitu convenisset, et pugna ab utraq. parte inita et in longum diei continuata et exacta esset, Helias a suis desertus vix fugae beneficio se salvavit, et exercitus omnis Heliae, paucis qui faciem Stezlionis verebantur Heliam sequutis, Stezlioni adhaesit, et ipsum velut virum maturum et providum, pro Domino et principe accepit. Helias autem veritus ne Stezlio in ultionem matris, aliquid in se, aut in coniugem suam vel liberos gravius consuleret, nullibi subsistere ausus, metuens choleram victoris, cum uxore et omni prole et supellectili sua in Poloniam devenit, et ad Vladislaum Regem qui tunc ex Przeszow deste dicus pro festo Sancti Martini Conventionem in Sandomirze cum Praelatis et Baronibus Regni sui agebat, advenit. Quem Vladislaus Rex gaudenter suscepit, inopemq. pluribus donarijs et rebus confirmavit. Subsequuta est illico a Stezlione ad Vladislaum Regem notabilis cum donis legatio, ne pro hoste ipsum duceret, neu fratri suo Heliae auxilia praestaret, paratum se more maiorum et omagium, et debitam subiectionem

atque

atque assistentiam exhibiturum. His rebus in consilio digestis,
placuit Heliam, in Regno, datis sibi oppidis et possessionibus
Statui suo congruis, quo facilior subversio eius esset Stezcho
retinere, et a Stezlione Omagium fidelitatis suscipere.
In hunc quoque modum cum Rex ordinata Consilij exequu
tus fuisset, et praefato Heliae notabiles curias, oppida,
et villas, pro sustinendo Statu suo consignasset, Helias
ipse clandestine omnibus suis desertis fugiebat. Qui
cum in fuga per nobilem Joannem Hola fuisset compre
hensus, et ad Regem reductus, decernentibus Consilia
rijs Petro Schafraniecz Palatino Sandomiriensi, et Ca
pitaneo Siradiensi traditus est, ut illum Siradiae clau
sum teneret. Fuitque ipse Helias Siradiae longo tempore
custoditus et servatus, omniaque habebat in libertate
praeter egressum, uxor quoque sua et liberi illic secum mo
rabantur, quae res Stezlionem mirabili affectione er
ga Regem et Regnum devinxerat, ut omnia imperata
prompto animo exhiberet se facturum. Unde non longe
post, Tartarorum exercitum transire in terras Russiae
et Podoliae conantem, non solum prohibuit, sed etiam
congressu cum illis habito, fudit. Castrum insuper Re
gni et terrae Podoliae Brasslaw, quod tunc per Ruthe
nos occupatum tenebatur, conquirens, Vladislao Regi
et coronae restituit, quod fuit extunc Derslao Vulostowski
per Regem commendatum in tenutam. Quamvis enim
praefatus Helias Voivoda Mariam sororem germa
nam Sophiae Reginae Poloniae haberet in consortium, affini
tati tamen, Respublica Regni praelata est

Tractatibus et negotijs pluribus
pro festo Sancti Martini et diebus sequentibus in Ni
polomicze recensitis et digestis, deputatisque Pra
latis et Baronibus qui Conventum cum Cruciferis
pro festo Sancti Andreae in Brzeszcie tenendo interes
sent, Vladislaus Rex versus Lanciciam per solita
loca processit, et ibi durante Conventu Brestensi, quo

facilior

facilior ad eum superemergentibus consulendum, esset accessus,
stetit. Festo autem Sancti Andreae adveniente, utraque pars,
prout conventum erat, in notabili Praelatorum et Consiliariorum
numero in Brzescie convenit. Dum autem novem diebus varij
habiti fuissent de pace perpetua vel temporali tractatus, nul
la tamen finalis conclusio, intervenientibus aliquibus difficul
tatibus poterat eliri vel componi, propter quod utraque pars
infecta re discedens ad bellum administrandum se parabat.
Celeriori itaque passu, quam consueverant, Praelatis et Consilia
rijs ex Brzescie in Lanciciam reversis, et quid agi placeret
diebus aliquot calculantibus, haec sententia et conclusio ha
bita est, ut suo duntaxat milite aestate non expectata, bellum
per hyemis et veris tempora Prussiae inferatur, cum et pabu
lum exercitui non posset deesse; et maior terror damnaque hostibus
irrogari, et omnem exercitum in Prussiam, eo quod fluvius Visla
frigore nimio constrictus glacieque induratus facilem exercitui
transitum dabat, traduci, et terram Prussiae spolijs et igne premi.
Dies Epiphaniarum constituta erat, in qua universi exercitus
ad metas in Dominow convenire, et deinde hostiles terras
ingredi deberent, Cum magna alacritate militum id bel
lum indictum acceptumque est, iamque mandata Regis in omnes
subditos terrasque publicabantur et milites, quae opus erant
pro repellendo frigore sibi et suis praeparabant. Una difficul
tas Regem et Consiliarios angebat, quod pecuniae exercitui
largiendae deerant, quas congerere brevitas temporis pro
hibebat, Sine pecunijs vero ire in bellum primores metuebant,
propterea quod ad Choinczam obsidionem durante milites
in seditionem versi, Barones et Consiliarios pluribus asper
gebant contumelijs, quod donativo bellico eis non impenso
ad bellum gerendum eos traxissent, nec impendens aliter
sedari seditio poterat, donec ab omnibus iuratum est, non se
amplius in aliquod bellum donativo non praecedente con
servituros. Ad solvendum hanc difficultatem repertum
erat, ut quilibet Palatinus terrae, cui praeerat, de solutione
donativi cautionem faceret. Cum iam his et pluribus
alijs ad bellum ea hyeme gerendum compositis, Vladisla
us Rex ex Lancicia constituisset recedere, veniunt subito
Magistri et Ordinis Prussiae Nuncij notabiles, Volf de Szanszhein
Osterodensis

Osterrodiensis, Joannes Marsalcus, Joannes miles de Baysze alias de Longendorff, et Janussius Judex Culmensis, et pacem quam in Brzescie nolebant accipere petebant, Certificati enim erant pluribus auisamentis molem belli in illos magno omnium consensu parari. Et quoniam de pace perpetua, temporis breuitas et paucitas Nunciorum non patiebatur transigere, Treugae ad duodecim annos, quae omne bellum intercipiant, sub certis conditionibus statim Regni solidantibus firmantur, ea etiam conditione apposita, ut pro die Natiuitatis Sanctae Mariae teneatur in Slunsko ad tractandum de pace perpetua conuentio inter partes.

Sequuta fuit anno eodem Sigismundi Romanorum, Vngariae, et Bohemiae Regis ad Imperiale fastigium Coronatio, Dum enim pene vno anno expensis Maria Angeli Philippi Ducis Mediolani in Mediolano, et deinde in Senis stetisset, Venetis quoque propterea quod cum hoste eorum, Duce Mediolanensi communicaret, suspectus esset, sed nec Eugenius Papa quartus, qui et ipse Venetus erat, sinceriter sibi de insignijs Imperialibus faueret, veritus ne vniuersam Italiam suis callidis ingenijs bellis inuolueret, cessit tamen necessitati, et quibusdam conditionibus et pactis interpositis et firmatis coronare illum repromisit, quo facilius se authoritati, decretisque, et priuationi depositionique Concilij Basiliensis subduceret. Agebatur enim ut supra demonstrauimus Concilium generale in Basilea et concurrentibus ad illud Regum et Principum Ambasciatoribus, Praelatisque, et Doctoribus vtriusque Ecclesiasticis viris omnium Regionum et Regnorum, Cardinales etiam fere omnes, deserto Eugenio ad illud confluxerant, Omnium quoque ad id aspirabat et intentio et consensus ut ipse Eugenius deponeretur propter certa crimina et excessus, quibus illum irretitum dicebant, et signanter quia Concilium Basiliense ingenijs omnibus dissoluere, ne cogeretur abusuum suorum reformationem accipere laborabat, Jam plura ad rem sacre confirmandam edebantur monitoria, et censuras varias continentis processus, iam depositio sua ab omnibus

comprobata

comprobata propediem debebat pronuntiari, non dubitabatur
enim executionem realem florente statu Concilij habitura. In
terim tamen Coronatio Sigismundi Imperatoris Romae expedita
consumataque cum fuisset, Caesar ipse celeriter Roma excedens,
magnis itineribus Basileam contendit, ut depositionem Eu
genij praeveniret. Quo cum venisset, id sibi inprimis agen
dum existimavit, ut depositionem Eugenij impediret, et aver
teret, pluribus enim et precibus largitionibusque et promis
sis Eugenij inexoratus, onus illud susceperat, Primum
itaque omnium fere Cardinalium animos ipsi Eugenio recon
ciliat, deinde Ambasiatores Regum et Principum, Praelatosque
primores, ne depositione Eugenij Schisma execrandum in Ec
clesia Dei opera sua in Concilio Constantiensi, extinctum resu
scitent, monet, et hortatur. Facileque omnium animis in mise
ricordiam versis, cum et ipse Eugenius, dissolutione Concilij
revocata, illud approbasset, et ad praesidendum in eo duos Car
dinales Nicolaum Sanctae Crucis in Hierusalem, et Joan
nem Sancti Petri ad vincula, Joannem Archiepiscopum Ta
rentinum, et Joannem Episcopum Paduanum misisset, depo
sitionem suam non solum immutat, sed in totum pro illa vice
rescindit. Crescunt adventu Caesaris Cruciferis de Prus
sia animi, et saepe in congregatione generali Vuladyslaum
Regem, quod Haereticos Bohemos sustentaret, suggillant, Saepe
in gravibus contentionibus cum Praelatis Poloniae, quorum aliqui
illuc iam suo nomine pervenerant, descendunt. Caesar ipse
querelam quam Romae coram Eugenio in publica audien
tia fecerat, contra Vuladislaum Poloniae Regem in Concilio
resumit, quod sibi pacta foedera et iuramenta Regum per
cussa praevaricatus esset. Cui per advocatos Regios suffici
enter ad omnia accusationum capita, sicut in urbe, ita et in
Basilea est responsum, adeo ut Caesar plus ex illis querelis
ignominiae, quam honoris intelligeret se quaesivisse, Sed
nec comminationes suae, quibus in Regem et Regnum Polo
niae tunc tonabat, apprehendebantur, conditione suae naturae
attenta, qua supra mensam mero gravis singulos in circuitu
debellabat hostes, quo digesto et ira discussa alterius vir
offerebatur voluntatis, et clementiae.

Feria quarta post Pentecostes, odijs,

rixisque

rixisq; ferocibus inter Boleslaum Opoliensem ab una
et Nicolaum Ratiboriensem Duces partibus ab altera
exortis, dum Boleslaus Opoliensis dominium hostis sui
Nicolai Ratiboriensis inuadens illud vastaret, a Nico
lao Ratiboriensi ante oppidum Rybnik congressu fa
cto victus atq; prostratus, fuga sibi salutem quaesijt, et
Nicolaus Ratiboriensis Dux oppidum Bithom cepit.
Septima Aprilis die Casimirus Oswieci
mensis Dux filius Przemislai iunioris a Boshemo Strzan
occisi, in castro suo Oswiancim diem obijt in Monasterio
fratrum Praedicatorum in Oswiancim sepultus, tres fili
os relinquens, videlicet Venceslaum, Przemislaum, et Ja
nussium, ex Anna filia Ruberti dicti Sperling Zega
nensis Ducis susceptos. Inter quos diuisione celebrata
cessit Venceslao Zator, Przemislao Thoschek, et Ja
nussio Oswiancim, Strzelin enim, Casimirus praefatus
Dux viuens Boleslao Opoliensi Duci vendiderat, Pri
mogenitus autem eius Venceslaus amore Margarethae
filiae Urbani Kopczowski dicti Suuirczina, terrigena Sie
de Szewierensi Ducatu erat nobilis de domo Nouina,
captus, quatuor filios ex ea genuit videlicet Casimirum,
Venceslaum, Janussium, et Wladislaum, et tres filias
Sophiam, Catherinam, et Agnetem, Duabus autem peste Epi
demiae absumptis, sola Agnes relicta est superstes
Dux Suuitrigal terras Litthuaniae
cum exercitu forti, ex Liuonitis, Ruthenis, et Tartaris
collecto, ingressus, oportunum tempus nactus, quo Sigi
smundum Ducem Magnum Litthuaniae non posse Polono
rum, qui tunc Prutenico bello occupati erant, iuuari au
xilijs intelligebat, credebat enim in oppugnatione Choinicze
magnam virtutem Polonorum cecidisse, atq; hac ad eum
Magister Prussiae latius atq; inflatius perscribebat, itaq;
ad motum fortunae fallo sibi suggestum mouere se caepit.
Dux autem Magnus Sigismundus etsi ex Litthuanis et
Samogitis exercitum collegisset, nunquam tamen pugnandi
copiam fecit, sed per loca inuia traducens exercitum, gentis
Ducis

Ducis Suitrigelli pabulatum euntes plurimum vexabat, pluribusq; afficiebat incommodis, decernere enim campo iudicabat periculosum, tum quod non aequo Marte videbat se pugnam initurum, tum quod suis plurimum diffidebat, noverat enim Litthuanorum ingenia fluxa nimis esse, et ex levi momento variabilia, recenter enim ex insidijs sibi per suos structis quaserat, et capita conspirationis videlicet Janninum Palatinu Trocensem, Rumbohdum Litthuaniae Marsalcum cum pluribus alijs securi percusserat, futurum itaq; ratus ne a suis cepto certamine desereretur, cum aliquorum animos cognosceret a se propter eorum quos capiti damnaverat, et qui illis consanguinitate uniti erant, mortem, alienatos et infensos, exercitum intra castra continuit, et venienti ad se Suitrigello in loca occultiora se recipiens cessit. Suitrigal vero etsi loca principaliora Litthuaniae, Vilnam, Trocki, Lidam, et caetera incendijs vastasset, et spolijs, redire tamen in terras Russiae et exercitum dissolvere, nullo egregio opere edito coactus est, eo quod exercitus suus pabulatione per gentes Sigismundi Magni Ducis prohibitus, gravem inediam contraxerat, multiq; de suis quolibet die in pabulatione captivabantur. Et licet praefatus Dux Suitrigel misso Iwaskone Moniwidowicz ad Tartaros cum muneribus, eos transire in auxilium Duci Suitrigello, velut Ducatum Magnum Litthuaniae obtinenti, pellexerat, Tartarorum tamen exercitus ad fluvium Nieper perveniens, et Ducem Sigismundum, Litthuaniae magnum Ducatum obtinere, et cum Vladislao Poloniae Rege unum esse cognoscens, Iwaskone verbis correpto, in terras, Kijowiensem, et Czyrnyeowiensem, quae tunc pro Suitrigello tenebantur, divertit, et ipsas more suo crudeliter vastavit

Vexabat et Dux Fedko Podoliae terras, et cum Tartarorum assistentia, et auxilio, saepe praedas magnas inde agebat, saepe quoq; conflictus, et omni equitatu suo truncato, vix salvamq; se per fugam copiam habebat. Quodam vero tempore dum suis et Tartarorum exercitus clandestine ad civitatem Kamieniecz accessisset, et praedas in parvo exercitus numero ageret, maioribus copijs ad montis radices, qui eas optime tegebat, pro insidijs relictis, Theodoricus Buczaczki Capitaneus in Kamieniecz,

casum

casum non prouidens, paucitate hostium contempta, cum pau
cis ex castro, iuxta morem priorum ducum processit, credens
se paruam manum hostium facile conflicturum. Sed dum
exercitus hostilis simulato pauore fugae spatium praebuis
set, et Theodricus cum suis, spe victoriae, auidius illum in
sequutus, longius congressus esset, ex insidijs hostis se illico
ostendunt, et si qui fugere coeperant regressi in illum tela
conijciunt. Propter quod multis interfectis, caeteris diffu
gientibus, ipse aliquot vulneribus aduersis saucius, ca
ptiuatur, et Duci Suitrigal praesentatur. Cuius ca
ptiuitate Magister Liuoniae intellecta, illum sibi per Nun
tios varios per Ducem Suitrigal dari obtinuit, ut Mar
salcum Liuoniae in praelio circa Dambky iuxta flumen
Vuirsza habito, captum, et longo iam tempore vinctum
liberaret. Conuentione autem in Brzesciu et deinde in Lan
ciciae tenta, et induciis Treugarum ad duodecim annos
confectis, relaxatur Marsalcus Liuoniae a captiuitate, Theo
drico Buczaczski etiam vice sui relaxato. Praefatus etiam
Fiedko adiuncto sibi Duce Nossecz Oppidum Brzescie
Ruthenicale exurens castrum circumuallat, facileque illud
ad deditionem rarum victualibus coegisset, nisi proui
sione Uladislai Regis et mandato, Dux Masouiae et exer
citus terrarum Russiae festinum castro Brzescie laturi
succursum, ad arma consurrexissent, quorum aduentum
Fiedko et Nossecz veriti, dissoluunt obsidionem

Apparuit in huius fine anni circa
mensium Nouembris et Decembris dies, sydus Crinitum
insolite rutilantius, facem dirigens siue caudam in Occiden
tem, mense amplius uno, supra ciuitatem Cracouiensem,
cursum suum exequens. Id quoniam summis potestatibus
exitium aut fatum portendere vulgo putatur, omnium com
muni assertione et iudicio Uladislao Poloniae mors immi
nere asserebatur, vicinum eius transitum nuncians. Exor
tum autem eius sibi uni ex cubicularijs notificanti, non
secus quam in fatum suum comparatum, verbis et
gestu exhorruit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRINGENTESIMUS TRICESIMUS QUARTUS.

Huius anni Natalis Domini dies in Radom Vladislaus Rex celebravit. Ex Lancicia siquidem proveniens in Vushithi, terris Ducum Masoviae, venationibus per dies aliquot operam dabat, ubi ferarum multarum capta praeda et iuxta morem suae consuetudinem in Praelatos, Universitatem, et Consulatum Cracoviensem partita, de Vushithi in Radom venit, arctum enim tempus attingere cum pro festo Nativitatis Christi locum insigniorem non sinebat. Diebus autem Nativitatis Christi in Radom peractis, in Jedlnam pro festo Epiphaniae venit, ubi ad illum aliquorum Praelatorum et Baronum numerus confluxit. Ex Jedlna vero pluribus Nuncijs Ducis Magni Sigismundi sollicitatus, et multifarijs precibus invitatus in Litthuaniam ivit, reputabat enim Dux Magnus Sigismundus maximum rebus suis adhuc dubijs afferre et adiutorium et stabilimentum, si Vladislaus Rex eo visitato, Ducatum Magnum Litthuaniae per literas et Nuntios solennes sibi dudum collatum, praesentia personali, quo res solidior esset, inspectantibus popularibus, confirmaret. Diebus autem aliquot in venationibus absumptis, dum in Krynki advenisset, Dux Magnus Sigismundus cum omnibus Praelatis, Principibus et Baronibus suis sibi occurrit, et ipsum velut dominum, benefactoremque suum cum omni humilitate et devotione excepit. Ut autem gratitudinem liberalitatis et beneficentiae Regiae, qua in eum, germano fratre Duce Swidrigal damnato et excluso usus est, recognosceret, plurimis donis in auro, argento, vestibus, equis, suam Serenitatem honorat, sed et militibus Regijs plura donaria largitur. Vladislaus autem Rex eum assecurat et certificat, quod favorem et assistentiam suam Ducis Swidrigelli respectu sibi nunquam subtrahet, sed ipsum omni favore et auxilio, dum vita comes fuerit, prosequetur. De Ducatu vero Magno Litthuaniae ipsum nova assecuratione investit, praecipiens omnibus Praelatis, et Principibus et Baronibus Litthuaniae, ut sibi et nulli alteri, velut legittimo

Magno

+

Magno Duci Litthuaniae in omnibus pareant, fideliter, et intendant. Noluit autem Vladislaus Rex, licet instantia magna a Sigismundo Magno Duce Litthuaniae rogatus, in ulteriores oras Litthuaniae procedere, sed ex Krynki per solitas stationes reversus Carnisprivij dies in Lublino tenuit. Quibus peractis ex Lublin in Quadragesima recedens per Sandomiriam et alia loca in nouam ciuitatem Korczyn peruenit.

Conuenerant in nouam ciuitatem

iussu Regis primores Regni ad tractandum negotia Regni publica, ubi de Nuncijs ad concilium Basiliense mittendis primum cura omnis intensa est. Urgebat enim et Regem et Consiliarios praesentia Sigismundi Imperatoris et Cruciferorum de Prussia, verebanturque ne per illos et eorum calliditates honor Regis et Regni, praesertim ex commercio cum Bohemis habito, fuisset, absentia Regnorum Nunciorum subministrante hostibus vires, laceratus. Iudicio itaque omnium Sbigneus Episcopus Cracouiensis, Stanislaus Posnaniensis Episcopus, et Ioannes de Conyeczpole Regni Poloniae Cancellarius, et Nicolaus Lyassoczki Decanus Cracouiensis eliguntur, Datisque ex thesauro Regio pecunijs, necessarijs, communi deliberatione constituuntur, ut nomine Regis et Regni in Concilium Basiliense vadant, et illic stando personam Regis et Regni repraesentent, ne qua ex parte Regnum Poloniae ceteris Regnis Catholicis, in administrandis et promouendis negotijs fidei inferius videatur, simul ut hostium et inuidorum latratus confutent, ratione de operibus Regis et Regni publicae si opus fuerit, universali Ecclesiae reddita. Sbigneus autem Episcopus Cracouiensis oportunitatem optimam, qua in Regem, reprehensionem non minus iustam, quam necessariam effundere posset, nactus, timebat enim se in Basileam descendentem Regem, quod et euenerat, moriturum, perfungi ergo et debito Pontificali desiderans, tali in Vladislaum Regem in praesentia omnium Consiliariorum usus est sermone, Designatus inquit Serenissime Rex per te et Consiliarios tuos suscepi onus cum collegis, tuae et Regni Ambasiatae in Basiliense Concilium perferendae, quoniam aetas, et robur, rerumque omnium necessitas

necessitas mihi non desunt. Verum, quoniam futurum est, ut
de vita moribusque tuis indagine facta veritatem proferri absque
fuco alicuius mendacii necesse me erit, satis mihi videor et per
plexus et anxius, qualem de te universali Ecclesiae, dum a
me rationem vitae conversationisque tuae exegerit relationem
faciam. Scio quidem te mansuetum, devotum, liberalem, pati
entem, humilem, et clementem esse, sed has ipsas virtutes
tuas vitia contra et obscurant, et aequant. Noctem enim
totam in crapula expendis, qua gravatus, interdiu somno
et quieti vacas. Missarum officia saepenumero inclinata
die audis, Ecclesiae et Monasteria ex devotione Regibus
stationes dare solita, tuum adventum ferre non possunt, adeo
stationibus tibi datis onerata et pressa, ut virorum
religiosorum, qui in illis habitare consueverant, numerus,
villis et praediis desertatis dimidio diminutus sit, quam
ubi ad satietatem non administrant, necessaria pecora vil
larum velut deliquissent tuo mandato confiscantur. Curiam
tuam, quis sustinere, quis ferre poterit? universum Regnum
se illa gravari clamat, cum sine ordine, sine lege in ea vivitur,
et pro libidine avaritiae victualia, non quae sitim aut fa
mem extinguant, sed quae currus et domos impleant exiguntur.
Agrorum etiam et hortorum fructus vi et iniuriâ demolli
untur, et devorant. Levissimi ponderis et ligae tenuis cudendo
monetam multiplicas, contra authoritatem et reverentiam
legum per te et alios Reges editarum, Praelatis et Baroni
bus tuis improbantibus et inconsultis, potestate ad fabri
candum eam feminis concessa; cuius tandem vilitas Re
gnum universum magno sit incommodo oppressura. Causas
viduarum, orphanorum, et oppressorum ingredi ad te non
permittis, et ingressas non decidis. Sequuntur plurimi mor
tales curiam tuam non sine dispendio rerum et corporum
clamitantes iustitiam, et dum dilationibus terrentur, co
guntur homines a prosequutione causae desistere, aut iniquas
suscipere, quas adversarius constituit, conditiones. Alienis
bonis iniicis avaras manus, et plures subditos tuos, quos
hic ante conspectum tuum productos status, (atque hos produ
xit et manu designavit) non convictos, haereditatibus
eorum

eorum mulctasti, Podwodorum abusus adeo invaluit, ut ad quandam barbariem et servitutem videris Regnum tuum quondam nobile et bene institutum, deduxisse. Dudum hac tuae Serenitati, quamprimum ex servitore in Patrem tibi me divina praefecit bonitas, primum in abstracto, deinde arbitris adhibitis denunciavi, sollicitans ut vitam tuam et actiones ad morem finis, qui certe non longe abest, componeres, ut superstitiones aliquas tuas, de quibus me pudor tacere cogit, relinqueres. Nunc discessurus a te, et ut reor nunquam te amplius in hoc statu mortali visurus, publica reprehensione in te uti volui, ut tam tuae animae et honori consulam, quam meo debito satisfaciam. Vellem quidem et ego tibi placere o Rex, sed malo te et Rempublicam Regni nostri salvos fore, quantumcunque infesto odio in me sis futurus. Si vero in his contumax pertinaxque persistere volueris, scias me eo animo, ea libertate, et constantia fretum, ut in te censuras Ecclesiasticas extendam, ut quod paterna correctione non possum, virga Apostolica rescindam. Aequis auribus Sbigneus Episcopus velut publicae necessitatis vindex audiebatur, pluresque illi ex Consiliariis nutibus et murmure assensi sunt. Accensus Rex sermonibus praedictis, fletus uberes, quos illi, sive conscientia defectuum coram expressorum, sive rubor et indignatio exprimebat, Non erat, inquit, officii tui tot me carpere probris, adest hic praesens Gnesnensis Metropolitanus Albertus, cui reprehensionem, si qua dignus eram, praeripuisti. Fecisset, inquit, Episcopus, dignitati suae de hac parte, sed discessus meus in Basileam, eiusque vel taciturnitas, vel dissimulatio cogit me primas correctionis partes, praesertim cum is locus in Dioecesi mea consistat, occupare. Tum Rex gravitatem Pontificis Sbignei et ingenuam libertatem non ferens, sed in bilem prorumpens, beneficiorum frequentiam in ipsum et parentes eius depromebat, hoc quoque adiiciens, Silent, inquit, et Archiepiscopus et omnes alii Praelati et Barones, tu tibi privato odio incitatus, has reprehensiones, caeteris non consultis, neque consentientibus vendicasti. Dedisset hic obiectioni

obiectioni

Etiam Episcopus annuentibus responsum, nisi vniversi Praelati
et Barones, moti sedibus suis, omnium esse illam reprehensio
nem vniversali vociferatione astruxissent, Quo audito flens
eiulansque e Consilio delapsit, meditari quoque coepit, invidis
Sbignei Episcopi Cracoviensis suggerentibus, vt in eum gravius
aliquid posset vel consulere, vel statuere. Tandem tamen
ad rationis arcem confugiens, et iustam esse reprehensionem,
ex optimo quoque animo profectam intelligens, maiori honore
Sbigneum Episcopum coluit, Numisma cudere interdixit, Mo
nasterijs ceterisque oppressis et calamitosis, et restitutionem
bonorum, et administrationem iustitiae, propitiationemque regiam
per opera effectum monstravit. Quo effectum est, vt Sbi
gneus Episcopus ex eo tempore vir maximus et clarus com
mendatione omnium haberetur, Alberti Iastrzambiecz
Gnesnensis Archiepiscopi post discessum Regium, cuius
indignationem metuebat, in audientia Consiliariorum, tali
commendatus sermone, Graviter, inquit, et libere, etsi Re
gijs auribus severe, vt vereor ipse, et importune, meis certe et
aliorum fidentissime, et vt Cracoviensem Pontificem, Sta
nislaique sanctissimi dignum successorem decuit, verissime lo
cutus es. Ac omnium, quae enarrabas, conscium, tecumque
sentire publice tamen per metum non ausum, Tanta tamen
pro tui muneris officio fiducia charitatis impletum, vt
tibi pro hodierna in Regem reprehensione, et tolerata tole
randaque contumelia, remissionem omnium tuorum facinorum,
Pontifex ipse Pontifici, et mortalis mortali, a Pontifice
aeterno audeam polliceri.

Compositis taliter in noua civitate
publicis rebus, Vladislaus Rex in Cracoviam processit,
ibique residendo, reliquum Quadragesimae tempus exegit,
Pascha quoque Domini illic celebravit. Cui cum nunciatum
fuisset, quod Dux Fredericus Russiae, qui ob delicta qua
dam, patria deserta in Bohemiam se contulerat, et annis
aliquot illic commorando, conditiones, linguam, et mores
Bohemorum induerat, collecta Bohemorum manu clan
destine e Moravia prodierat, ea intentione et animo,
vt quendam montem de prope castrum Czorstyn positum

occuparet

occuparet, et fortalicium illic erigens, tam Poloniae, quam Ungariae Regna spolijs lacesseret, illuc in die Parasceves, inundationibus aquarum ex resolutione nivium nequicquam obstantibus, milites Curiae suae transmittit, Qui etsi plerasque res, superando flumina aquis inflata amiserint, ipsi tamen omnes incolumes ad locum pervenientes, praefatum Fridericum Ducem cum suis omnibus compulerunt fugere, et destinata exequi arcuerunt

Feria secunda post Conductum Paschae proxima, Vladislaus Rex ex Cracovia egressus, in terras Russiae per solitas stationes procedebat, Decreverat autem usque in Halicz pervenire, constitutum enim erat ut in Halicz Stephanus Voievoda Moldaviae ad suam Serenitatem accederet, et ibi Maiestati suae Omagium solenne et debitae subiectionis et obedientiae iuramentum exhiberet. Verum cum in Curiam suam et villam Medika veniret, ex placido, mansuetoque verno tempore, contra naturam frigus validum, velut altera hyems terram premere coepit, omnes quoque vernales et segetes, et flores, sed et arborum pubescentia folia extinxit. Vladislaus autem Rex frigoris austeritatem nequicquam abhorrens, aut praecavens, feria sexta post Sancti Adalberti ex quadam consuetudine sua semper in vita sua servata, quam ex prisco gentilitatis more traxerat, ad mulcendum et satiandum dulci sono auditum, ad audiendum Philomenae cantum in sylvas prodiens, maiori parte noctis in audientia huiusmodi absumpta, frigore, in corpus, iam calore naturali inane, ex transsero vero parum forti irrumpente, quippe qui in omni vita sua nobilibus pellibus Zebellinis, Mardurinis, Gryseis aut vulpinis contemptis, agnellinis duntaxat utebatur, offensusque est, ab eo quoque tempore capitis viribus destitui. Casus autem in Grodek ex Medika pervenisset, Sabato in vigilia Pentecostes ad tabulam residens, praesentibus Stephani Voievodae Moldaviae Nuncijs, qui pro sciendo die quo in Halicz pro faciendo Omagio Voievodam venire Rex mandaret, advenerant,

inter

inter prandendum subito febribus correptus est, Quas dum decem et septem diebus sustinuisset, nec arte nec studio medicorum vis aegritudinis restringi posset, Confessione sacra aliquoties repetita, Eucharistiae et extremae Unctionis Sacramentis devotissime susceptis, testamentum condidit, quo mandauit ut omnia per eum iniuste cuiquam ablata restituerentur, et quaedam debita soluerentur. Deinde annulo, quo illum gloriosissima Heduigis Regina desponsauerat, ex articulo deposito, Joanni Slabosz de domo Vyenyawa cubiculario suo inter paucos charo, illum tradidit, cum his mandatis, Perfer, inquit, hunc annulum, quem in sacro die, velut rem inter corruptibiles chariorem in manu mea continue gestaui, Sbigneo Cracouiensi Episcopo, ut illum in signum memorialis mei deferat, indulgeatque mihi excessus meos, quibus aliquando in illum, pro iustis suis repraesentationibus ira excandescens suam Paternitatem offendebam, habeatque animam meam, Regnum, et natos meos, specialiter Vladislaum primogenitum commendatos, et pro eorum amplitudine intendat, attentis beneficiis et fauoribus meis, quae et quos in illum singularius et cumulatius effudi. Omnibus deinde praesentibus et absentibus, familiaribus et subditis suis, et quibuscunque hostibus et inimicis suis, noxas, crimina, et quoscunque excessus, clara voce dimisit, et relaxauit, et fidei Catholicae puritatem veritatemque professus, Symbolum aliquoties repetijt. Deinde sana mente, integra ratione, spiritum suum nobilem et generosum domino Deo commendans feria secunda quae fuit ultima Maij hora noctis tertia, velut agnus mansuetissimus inter manus Ecclesiasticorum, et saecularium personarum, certatim excessum animae eius complorantium et lugentium obdormiuit, et Regni caelestis pro meritis suis, signanter pro fidei Orthodoxae dilatatione, palatia ingressus, beatae Trinitatis visione et Sanctorum, quorum in vita positus honori erat deditus, laetus fruitur consortijs. Postridie autem quam expirasset, adiuratis militibus, natos illis suos, secundius tamen maiorem natu Vladislaum, quod forma illum, et indole liquidius expressi

set

sit commendant, sententiamque suam ut sibi in Regno succederet, ostendit, illum filium suum et ex lumbis suis satum, formam suam, et nomen habentem sibi persimilem, mores quoque et probitatem suos habiturum differens, rogans et obtestans ut quae illicite et praeter aequitatem subditis abstulerat, ad integrum redderentur, huic tamen rogationi non fuit paritum

Germanum suum Vuladislaum Poloniae Regem Alexandra Ducissa Mazoviae, Relicta olim Semouiti senioris Ducis Mazoviae, praecedens, die Lunae vicesima Aprilis apud Ploczkam diem obijt

Sequuta Vuladislai Regis morte, illico Consiliarij Regis, qui tunc aderant, ipsum expressum e vita, primum Sophiae Reginae, deinde universis Praelatis et Baronibus Regni denunciarunt. Veriti autem ne mors Regia animos Ducibus Switrigello et Fedkoni invadendi Regni terras subministraret, omnes Curienses Regios versus Podoliam in armis expeditos transmiserunt, ad repellendum subitos Fedkonis, quas cum Tartaris faciebat, invasiones. Morati sunt Curienses Regij pro custodia et defensione terrarum Russiae ab hostibus, donec primogenitus Regis in locum fuit patris substitutus et coronatus. Corpus tandem Regium in cistam ligneam, per resinas oblitam impositum, indutum regalibus, et corona Cracoviam ad tumulandum ducebatur, magna multitudine et frequentia hominum illud prosequente. In omnibus autem locis, per quae illud duci contingebat, magni honores corpori deferebantur, dum quaelibet civitas et villa pro se certatim tribatur et contendebat pro certamine, tum processione obviam illi exeundo, tum comploratione et lamentis, tum Missis exequialibus, Psalmis, vigilijs et orationibus transitum animae et corporis Regij efferre et cohonestare, et suam devotionem, suam affectionem et charitatem in mortuum exprimere. Nec erat vicus adeo vilis qui suum studium et benevolentiam in illum nollet notari, unde et stratae per quas corpus suum ducebatur, plenae erant

gregibus

gregibus hominum utriusque sexus, qui etiam ex longinquis
oppidis et villis confluebant, qui mortem suam luctibus et fle
tibus complorabant, Talibus honoribus et studiis hominum,
ductura corporis sui ubique excepta et celebrata, tandem feria
sexta in die Sancti Barnabae ad urbem Regiam Cracovien
sem dum fuisset perventum, primum Sophia Regina cum
duobus filiis Vladislao et Casimiro, corpori obviam veni
ens, multos et largos fletus effundens parvulos adhuc fi
lios ad currum, in quo Regium corpus ducebatur, admove
bat, quorum etiam fletus et lacrimae, patrem requirentes
caeteros omnes astantes ad compassionem et lacrimas
provocabant. Deinde omnium Ecclesiarum processionis
et omnium ordinum, artificumque cunei, postremo universus
populus civitatis Cracoviensis et eius suburbiorum, cor
pori Regio occurrit, ubi maior comploratio mortis suae est
sequuta. Cum ingenti tandem pressura, in civitatem Craco
viensem ingressus factus est, et solennes exequiae die eode
ubique in templis habitae. Corpus in Ecclesiam Sancti Mi
chaelis in castro Cracoviensi depositum, illic aliquanto
tempore servatum, et tam diurnae quam nocturnae excu
biae circa illud summo studio militum factae, expectaba
tur enim Praelatorum et Baronum totius Regni adventus,
nec sine illis licebat agere regiam sepulturam. Iam
Sbigneus Episcopus Cracoviensis et Ioannes de Conecz
polye Regni Poloniae Cancellarius, quos supra monstravimus
in Concilium Basiliense nomine Regis et Regni missos
fuisse, itinere arrepto in Posnaniam pervenerant, et illic
octo diebus stando securitatem locorum per quae ituri erant,
sibi cum rebus ad longum iter necessariis comparabant.
Die quoque sequenti continuare illud parabant, sed eadem
nocte celeri nuntio Consiliariorum Regni mortem Vladislai
Regis significante, et ut reverterentur, et de summa rerum
consulerent exhortante, revocati sunt. Verebatur enim ne
morte Regis sequuta, et filiis adhuc impuberibus, aliquae
commotiones sequerentur, propter quod praefati ambasiatores
revocabantur, cum eorum opera magis Regno Poloniae quam
Concilio Basiliensi esset oportuna

Sequuta

Cognita morte Regia Sbigneus Episcopus Cracoviensis, qui tunc Posnaniæ, transiturus in Basiliense Concilium, agebat, nihil sibi cunctandum duxit, sed Barones primores et maiores Poloniæ literis et nuncijs ad veniendum Posnaniam invitat. Quo cum frequens numerus eorum, novitate de morte Regis audita convenisset, mors primum Regia ab ipsis deplorata est. Deinde Sbigneus Episcopus Cracoviensis verba apud illos facit, ut morte Regis terrorem aliquem animo non concipiant, sed unionem, charitatemque servare et custodire studeant. Superesse duos filios stirpis Regiæ solij paterni successores, quorum substitutione, mors ipsa Regis corrigi vindicarique potest, neque aliqua calamitas, turbatioque in Regno pertimescenda, cum Rex vivat in filijs. Accelerandum tamen consulunt cum Coronatione filij senioris Vladislai, ne aliqua intestina discordiæ nascerentur. In hanc sententiam ab omnibus reliquis Baronibus itum est, nec fuit aliquis qui illam duxit statui Reipublicæ optimam non probasset, propter quod non solum coronationem primogeniti decernunt, sed etiam ad perficiendum illam, diem Sancti Petri et Pauli Apostolorum constituunt. Nuntios quoque speciales tum designatos, ad Sigismundum Ducem magnum Lithuaniæ transmittunt, rogantes et exhortantes, ut velit vel personaliter venire, vel suos Barones cum plena instructione et facultate mittere, qui iuxta inscriptionum continentiam in Regis futuri consentiant coronationem, et præsentia sua illam cohonestent. Ægre hæc Conclusio Posnaniæ habita, a Baronibus terræ Cracoviensis lata est, quod illis irrequisitis inconsultisque promulgata fuisset. Sed relevabat indignationem, quod et Conclusio ipsa utilissima Regno visa est, et illam præfatus Sbigneus Episcopus Cracoviensis scitus erat conflavisse, et de Principe commendabili, et virtutis spectatæ. Eminebat enim iam tunc in Vladislao natura benignior, et ad Reipublicæ amplitudinem constituendam

ferendum

fecundum, et cultum ingenium, et in aetate licet iuuencula
et florida, mores tamen verendi et regij in eo iam tum elu
cere visi sunt.

Feria sexta in die Sanctorum Marci
et Marcelliani, quae fuit decima octaua Junij conuenientibus
uniuersis Praelatis et Baronibus Proceribusque Regni, funeri
Vladislai Regis iusta peracta sunt. In Ecclesia siquidem
maiori Cracouiensi, Alberto Jastrzambiecz Gnesnensi Ar
chiepiscopo, exequiarum Missam in cantu celebrante, caeteris
omnibus Praesulibus sibi assistentibus, corpore Regio prae
sente, non minus lugubris quam sumptuosa pompa exequia
rum edebatur. Aderant duo Regis filij Vladislaus et Ca
simirus, maxima patriae spes, Palatinorum et Baronum multi
tudine circumsepti, patris deplorantes mortem, a quibus et mili
tum frequenti caterua feretrum Regium circumfundebatur.
Aderat et Sophia Regina non minori multitudine nobilium
matronarum et faeminarum comitata quae eiulatus vocesque
lugubres per uniuersam Ecclesiam diffundebat. Inducebantur
in oblationum morem, plures equi magnitudinis rarae,
purpureis velati, quos armati milites, quorum unus vexil
lum aquilam albam continens, in eminenti hasta praeceden
do deferebat, ducebant. Inferebantur altari scutella pa
teraeque argenteae quae Regi viuenti cordi esse seruabantur,
atque ibidem in offertorio cum pecunijs plurimis relinquebantur.
Candelis accensis Ecclesia in locis omnibus flagrabat, Ce
rei erant singularis magnitudinis. Funus pluribus pannis
de examito et purpura tegebatur. Magister Paulus
de Zathor in vulgari sermonem habuit, in quo actiones
pias et optimas Vladislai Regis enumerans, omnibus
audientibus suo dulci eloquio lacrimas excussit. Corpus
post haec Missa finita, sepulchro marmoreo dudum
pro illo praeparato illatum est atque sepultum. Extat Epi
taphium eius editum per Magistrum Gregorium
de Sanok qui expost promotus fuit in Leopoliensem
Archiepiscopum. In haec verba

Hanc tibi

Hanc tibi nimbiferam quondam per scripturus Odam
Gratior illubuit, pingitur ista tibi
Nondum tantus eram, nil laudes verba merebant
Numina cum Totiros commeavere tuos
Dicere quid valeo de te Serenissime Princeps
Cum mihi tua laudes fama sepulta foret
Quanta tamen patulas traiecta meas venit auris
Vera tui generis tempus in omne meum
Hactenus sunt tenui brevius perstringere dolo
Clara licet, tui Regia gesta melo
Perlaeserunt spectans desuetos artubus angor
Debilis ingenij pectore clausa mei
Lithuanorum tanta nunquam dignissima proles
Claruit, ast solum fata dedere tibi
Te quem in fasce bonus meliorum stirpe creavit
Olgert magnanimus sat meminere viri
Pistica gens varios dum Christo censuit annos
Milleque trecentos sex sed et octoginos
Alterita Jano menses lustraret in orbe
Jam quoque bis senas volverat ille dies
Connoluere simul proceres natu meliores
Regni totius culmina iustitiae
Nostratum cunctas te Regem esse per urbes
Plenius et dominum constituere suum
Hoc tu non sabusse tuo tunc corde putasti
Surgens maturo tempore quodque thoro
Virga vel calami carunculas frusta sputasti
Dicere sinetus erat o astripotentes apex
Rex pius, Rex fortis praeter te Christi redemptor
Hac quasi cuncta mea curo subacta manu
Quatuor inde suas dum februus orbe dietas
Atque decem rubuit, non tamen tristis fuit

Jagelno

Iagello abnuere Vladislaus nomen habere
Baptismi titulo sed tibi velle fuit
Postq(ue) diis solus sacri Baptismatis usum
Illustri generis fit tibi iuncta comes
Heduigis tenera praeclara stirpe creata
Dignaq(ue) coniugio paruit illa tuo
Gloria tum fueras patrijs radiatus honore
Qui perti fidei collubuere Dei
Utq(ue) Neophita gens patrijs his nata sub oris
Atq(ue) Samagitica gausa fide decora
At magis nostrates quorum tibi fata fauere
Regnorum forti sceptra tulisse manu
His tua muneribus voluit succurrere dextra
Pro rapis tunicas saepe dedisse nouas
Afflictis, miseris, aegrotis, pariterq(ue) et egenis
Horum erat auxilijs vita tuenda tuis
Taliter allectis satagis fidei fore custos
Ut stabilis valeant gratius hanc colere
Flore nouo pingis patriae telluris acumen
Horrida quae longo tempore culta fuit
Satius ut fieret ibi Christi fama coruscans
Niteris Ecclesias condere Basilicas
Das oppidis illas alijs, Vilnae prius istam
Condis ibi sedem praesulis altiferam
Lustrat adhuc tribus alma locis te structa Cathedris
Leopoli, Cechosia, Chelm quoq(ue) Przemyslia
Nec tamen his tribus refouisti pectora sacri
Primus ibi cleri prouenta quoq(ue) vigent
Gentilicos abigens, mittens sed olim praelatorum
Ritus quos nobis cum tibi cura fuit
Reddendo plantas superis depromere laudes
Sanctos et festos concelebrare dies.

Quoq(ue)

Quoq; magis furras Rex inclyte comptus honore
Cum sacrosancti Cracoviae studij
Struxer et auxeras Durum praestantior, unde
Praemia magna quidem clerus abunde tulit
Hedwigim immiserae postquam tibi fata tulere
Pro sese coniugij tres libuere tibi
Nubere consortes Regni thalamiq; sodales
Anna sed Elizabeth ima Sophia forent
Ingemuit gemitus quae post te lecta superstes
Semper et in viduo degunt ipsa thoro
Non inuita tamen cum te vincente resultat
Mater natorum digna fuisse trium
Post annos domini patria de morte ferendo
Militis astringens luce sacra Jacobi
Colitur et patrias semper defenderet oras
Sic datur alta sibi gloria tota patris
Octavus alter adest coronatus Rex Vladislaus
Inclyta progenies Regia sceptra tenet
O quoties laeti comites risere Poloni
Regia dum medio brachia nexa vident
Laetiferum forti iaculum vibrare lacerto
Inq; Getas urbem iusti misisse suum
Tunc maduit rubro Rutheno sanguine campus
Luxit dum Apostolica divisionis apex
Gettera genus tepuit, pars saucia membra reduxat
Cogitur altera sed succubuisse neci
Tantae post pestem fit cladis Sinovilla
Nostrates rigido Marte ferire sed
Quid referam magis, quippe tenor fidei sed asyllum
Justitiae legis verus amator erat

Non ossis

Non opus ergo fuit amplas mutare camaenas,
Cuius cum laudes non attulisse queant latuisse
Cum patulo vastum fat iam viguere per orbem
Quo duce tranquilla regia nostra forent
Mille pater summus dum nato censuit annos
Quadring terdenos addito bisque duos
Clausit tunc Zoticos Regum serenissima prolis
Maius postremum luxerat ille diem
Tersona at Junij funestus moesta videtur
Occuluisse suo marmoreis hac tumulo
Ergo decus cleri quantum tibi constat honoris
Ferre simul spiorum iam meminisse decet
Heu cum tantum renuit natura noverca
Ut foveat mortis vivet aeve magis
Votis supplicibus pro tantis poplite flexo
Convenit ore pias ingeminare preces
Cunctipotentis apex animam dignetur Olympo
Sanctorum ut numero connumerare suo
Hos tenui coluit Petrides vomere sulcos
Cui Sanoh patriam fata dedere suam

Libet Regis huius Vladislai vitam, moresque et actiones perstringere, ne ortus, conditio vitae et actionum suarum ignota sequenti aetati relinquatur. Erat hic Ducis Litthuaniae Olgerdi filius, Jagello nominatus, ex Maria filia Ducis Tuerensis ritum Graecorum servantis susceptus. Cuius avus Gedimin cum plures filios haberet, Olgerdum tamen speciali praerogativa amoris prosequebatur, unde et illum moriturus, dominum et Ducem Magnum Litthuaniae fratribus constituit. Morte autem Olgerdi patris Jagellonis sequuta, consensu Ducis Keystuti patrui Jagellonis, et patris Vuitoldi, Dux Jagello obtinuit magnum Ducatum Litthuaniae. Inter quem dum successu temporis de principatu quaestiones aliquae subortae essent

sent

sent, Dux ipse Keystutus verbis perfidis captus suffo
catur, eandem sortem filius suus Vuitoldus subiturus,
si ingenio consortis sub veste dissimulata, velut si femina
esset, eductus, fuga salutem non quaesivisset, pluribus incur
sionibus subitis quidem et lupinis, cum fratribus suis,
quos octo habuisse memoratur, finitimos et signanter Re
gnum Poloniae affligebat. Miseratione tamen divina il
lum respiciente, quae ipsum numero Catholicorum ascri
bendum praeviderat, per Praelatos et Barones Poloniae ad
fidem de tenebris gentium eductus est, et in Baptismate
nomen Vladislaus sortitus. Consortem nobilissimam
post baptismum Hedwigim Ungariae et Poloniae Regi
nam, filiam Ludovici Regis Ungariae accepit, qua mor
tua, tres alias, videlicet Annam, Elisabeth et Sophi
am superduxit, nullam tamen vera et sincera pertra
ctabat affectione coniugali. Venator ab infantia sua
usq; ad diem mortis, adeo venationi deditus, ut
omnis cogitatio sua ad illud unum intenta esset, Vir
statura mediocris, facie oblonga, et macra, et circa
mentum coarctata, capite parvo longo et acuto, a filij
prorsus decalvato, quod et marmoreo simulacro busto
suo superimposito licet cerni. Oculis nigris et parvis nun
quam stabilibus sed continue in suo orbe cursum quen
dam et volubilitatem habentibus, auribus grossis, vor
tubali et rita, corporis nitidi et quadratis,
ga, laboris, frigoris, aestus, ventorum, famis patient
simus, tam in ingressu, quam in incessu vestibus humilis,
et de unoquoq; ferculo libidinem crapulae explebat,
sopori et quieti usq; ad meridiem vacans, raro mis
sarum solemnia statuto tempore audiebat, In administran
dis bellis desidiosus et piger, omnem sollicitudinem
in alios procurabat, balnearum fomentis alternatis
diebus crebrius interdum utebatur, ad effundendum
sanguinem humanum continentissime se gessit, ut etiam
saepe

saepe mitissimis parceret, Clementia in subditos et victos
singularis, licet in his, quae venationum, aliasque voluptatis
suas contingebant, nulli deferret conditioni. Virtutis eu
iusque spectator egregius, non invidia, sed favore, suorum
multum opera qualibet perspitans, et unumquemque facinus
egregium, sive bello gestum, sive domi, largitione prosequens
et remunerans singulari. Ex ignavis audaces efficit, ex
audacibus vero audacissimos, et in occupandis belli mu
neribus promptissimos et operosos. Morositatem quan
dam et segnitiem, sive natura et consuetudine compara
tam, habebat insitam, quam non multi clementiam et mo
destiam appellabant. Difficilis autem ad illum, quan
doque facilis aditus, pro temporum qualitate. In suscipien
dis oblatis illi muneribus humanus atque clarus, in re
pendendis propensior, nec ullum munus adeo exiguum
ad illum afferebatur quin id prompto atque iucundo animo
non susciperet, duplaque talione non repensaret. Prodiga
litate et parum consyderata largitione rebus publicis Regni sui
non minus comperitis nocuisse, quam alius avaritia. Venandi
cupiditate eousque ad reprehensionem et rerum publicarum ne
glectum studio subsequenti etiam in suo conspectu adeo de
lectabatur petauro. Per singulas hebdomadas dum vi
veret mira abstinentia in pane et aqua ieiunabat, homo
semper sobrius, nec vinum nec siceram aliquando gustans,
poma et odorem eorum magna nausea execrabatur,
bonis tamen et suavibus piris clandestino usu uteba
tur. Ad mores et observantias Catholicas per Hedvi
gim Reginam crebris instructionibus inductus, In festis
Paschae, Pentecostes, Assumptionis Sanctae Mariae, et
Nativitatis domini, Sacro Eucharistiae Sacramento pro
curabatur, sed illa mortua morem illum ad natalis
duntaxat domini, et Paschae dies restrinxit. Pro festo
autem Paschae, quod illum fere pro omni vita sua in
Calisz agere contingebat, propriis manibus cuilibet pau
peri, quorum multitudo illuc confluebat, unum grossum la
tum Pragensem de marsupio quod gestabat erogabat,

feria

Feria quinta magna singulis annis duodecim pauperu[m]
pedes in cubiculo suo parvis Secretarijs suis consiliis ablue
bat, et cuilibet duodecim grossos, pannum, et telam dona
bat. In moribus gravis et singularis, nec vestes, nec cul
tellos, nec alia vasa a quoquam, nisi ab illo, cui commen
data erant, attrectari permittebat, in orationibus et ge
nuflexionibus prolixus, in promisso et concluso constans
et fidelis. Tam sua quam Baronum decreta abrogari
aut variari nisi necessitate aut utilitate magna premente
passus non est, quae etiam in executionem deduxisse stu
debat. Pauperum, orphanorum, et viduarum causas etsi
per se audire et expedire non poterat, aliis tamen bonis
viris committebat expediendas. Certarum superstitio
num, quas eum quidam asserunt ex bona causa continu
asse, et quas illum mater sua ritus Graecorum foemina
asserebatur instruxisse, sectator. In credendo multis
gratus et verax, prodigus magis, quam largus, sin
gula quae habere poterat, sed et Regni sui amplissima do
minia militibus suis erogabat, multo plura largiens,
quam sibi reservans, parvam habens in largiendo ad
merita et conditionem hominum considerationem. Univer
sitatis Cracoviensis et Psalteristarum in Collegiata Cra
coviensi cum Hedwigi Regina, Item Monasteriorum
Sanctae Brigittae in Lublin, et Sancti Spiritus Premon
stratensis Ordinis in Sandecz, item Sanctae Mariae
in arena ante Cracoviam Ordinis Carmelitarum,
item Collegiatae Parochialis Corporis Christi in Casi
miria, in regularium Canonicorum Beati Augusti
ni translatae fundator, Castrorum et civitatum sua
rum, aliorumque aedificiorum parum iustus provisor, ut
plerique in urbibus suis prolabi et ruinari permitteret.
In Lithuaniam patriam suam, consanguineosque et
fratres adeo charitate et affectione proclivis, ut Re
gnum suum Poloniae guerris periculisque plurimis mi
scere non horruerit. Omnes thesauros et proventus

regios

regios, aut pro defendenda Litthuania, aut pro locupletanda et fundendis, Monasterium Sanctae Crucis Calui montis non ali ter, quam pedester adibat, Gnesnensem, Sandomiriensem, et Vysliciensem Ecclesias, sculptura graeca, illam enim ma gis quam Latinam probabat, adornauit. In ceteras Eccle sias et Monasteria clemens et largus, in singulis Ec clesijs ad quas ipsum causa deuotionis declinare con tingebat, vnam marcam offerebat, Nobiles Regni aut consortes eorum, ceterasq matronas ad se cum muneri bus etiam leuibus venientes, nunquam passus est inconso latos, sine largitione panni, salis, aut purpurarum abire; si quando vero apud aliquem nobilem inuitatus aut ne cessitate coactus cepit hospitium, impensam pro eo factam, digna retributione praemiauit, Laudis commendatio nisq appetitor, facile aurem adulantibus et accusanti bus praebebat, his praesertim qui sibi familiaritate et conuersatione iungebantur. Gentem Litthuanicam et Samogiticam opera sua ad fidem Catholicam conuertit, vt merito gentium illarum conuersor et Apostolus ap pellari posset, cordis simplicis erat, sed magnifici, in tellectus tenuis, sed vasti, Ecclesiarum Vilnensis, et Samogitiensis in Litthuania, Chelmensis, kijoui ensis in Russia, et capella Sanctae Trinitatis in castro Lublinensi fundator et dotator, In Venerem proclivus, vero alio venustior habitu quam pallio examenti Grisei plano et simplici, nulla varietate aut auro in texto vtebatur, et id tantummodo in solennitatibus praecipuis, in alys vero diebus fuscum et humilem gerebat, perosus pelles Sebellinas, Mardurinas, vul pinas, ceterasq delicatiores, agnellinis per omne aeta tis tempus, quantumcunq aspero hyemali tempori vestiebatur. Simplex et inertis vir ingenij, et tandem er ratae sententiae, tardus ad paenas, propensior ad praemia, facilitate Regia laudabilis, nihil ornamen torum extrinsecus cuipiam appetens, ab initio Regni vsq

ad f

ad exitum clemens et munificus, plura largiens quam
aerarium et fiscus Regni ferre poterat, nec modum ad fa
cultatem, sed ad libitum referens. Medietatem eorum
pro quibus rogabatur concedere solitus, efficerat ut impe
trantes duplum flagitarent, facilius ad dimidietatem
illum detracturi. Praestigiorum nonnullorum sectator,
pilos e barba sua rasos interserens digitis manus sub
inde aqua infusa abluebat. Singulis diebus antequam
in publicum exiret ter se in gyrum volvebat, terq[ue] sti
pulam a se confractam in terram projiciebat, a matre
Ruthenorum ritus, dum adolescentiam ageret ea agere
edoctus, quo vero respectu, vel ad quem consequendum ista
egerit, neq[ue] ipse vivens prodidit, neq[ue] cuiquam facile disse
rere successit. Fertur autem celebrata vox eius assidue
ab eo dum viveret usurpata, verbum ex ore proferen
tis et volare in morem passeris redditurum, si incon
cinnum fuerit in similitudinem bovis. Monere etiam
per eorum milites solebat, ne in acie primi, aut in cauda
ultimi consisterent, sed nec medium occupando latitarent.
Cibus ingurgitatus quieti se dabat, et sopori longo, quo
perfunctus, in secreta naturae a lecto transibat, diutiusq[ue]
illic plura transigens et pertractans negotia assidebat,
nec ullo tempore facilior aut indulgentior tractaretur, eaq[ue]
tempora milites magnopere captabant ad emungendum
ab eo quae expetiissent facilius. Ad desidiam et volu
ptates, venationes, et comessationes animum habens na
turaliter deditum, raro negotijs Rempublicam promoven
tibus intendebat. Studiosus modo ne quis otium suum,
aut venationes, quibus assidue vacabat interpellaret,
donationes enormes et profusas non pro merito, sed inter
pellatoris duntaxat cujuscunq[ue], faciebat, quo quidem
ingenio, et filios suos Vladislaum et Casimirum, dum
apud Polonos summa rerum potirentur, constat usos
fuisse. In religionem Catholicam pijssimus, in pauperes,
egenos, viduas, advenas, et quoscunq[ue] miserabiles

personas

NB

personas munificus, vigiliis, ieiuniis et orationibus adeo intentus ut plus supplicationibus profusis ad Deum, quam armis bellicis victorias quaesiverit, vir morum simplicium, adumbrare nihil sciens, in donationibus ferventer parum oculatus, in venandi studio nec modum observans, nec tempori deferens, unde et militibus eum per nemora et saltus, dum venationis traduceret, nocte et interdiu sub gelido et aestivo tempore observantibus, plura prodige largitus est, ut ferre possent asperitates difficultatesque itinerum. Itaque sordida nimis conditione introitus publici ab his corrodebantur, qui in Rempublicam, nullam operam, sed in ferarum tantummodo capturam edidissent. Bellorum fere omnium quae agebat, non secus quam pro voto sibi cedebant successus. In audiencias forensesque adeo humanitate favorabili usus, ut nequaquam homini in media barbarie nato videretur convenire, Offensarum, inimicitiarumque minime memor, mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam praetulit. Ornamentorum, et exteriorum vestium osor, agnellinis pelliceis panno tectis utebatur. Quamobrem mirentur in eo homines et humilitatem et superbae arrogantiae odium, in amicitiis enim summissus, in ceteris actionibus humanis nihil sibi cum ceteris volebat esse commune, molestius ferens si quis vestem suam, lectum, sellam, equum, mappulam, calicem, et cetera huiusce generis, praeter eum solum qui ea administrabat contingeret, homo non profusa modo sed intempestiva gula, ut post qui feriatos et sollennes dies, aut praesentia hospitum nobilitatos, centum, communiter vero triginta, quadraginta, et quinquaginta ciborum numerum prandendo absolveret, in omne genus hominum liberalissimus

Sepultura Vuladislai Regis cum omni sollennitate honestateque expedita, deliberatio super coronatione futuri Regis haberi cepta est. Post varios autem tractatus in re hac per Praelatos et Barones habitos, consensu et decreto uniformi omnium, die Sanctorum Petri et Pauli quae propinqua nimis videbatur abrogata, dies Sancti Jacobi Apostoli qui in diem Solis cadebat pro coronatione constituitur, Novisque nunciis Sigismundus Dux magnus

Lithuaniae

Litthuaniae requiritur et rogatur, ut pro die instituto iuxta
inscriptionis inter Regnum Poloniae, et Ducatum magnum
Litthuaniae confectas, vel personaliter venire, vel mittere
Nuncios, ad providendum de futuro Rege non negligat.
Et licet universae partes Regni, morte Vladislai Regis se-
cuta, fuissent pacificae et quietae; Nicolaus tamen Siestrzeniecz
Cornicz quondam de Bandzin Burgrabius, primus grassa-
ri coepit in spolia et praedas. Nam certorum amicorum suo-
rum de Slesia, de Ducatibus Theschinensi, Oswiecimensi,
nactus assistentiam et auxilia, Slawkoviensi territorium
Episcopatus Cracoviensis invadit, et illud in pluribus villis
et locis igne et spolio vastat et praedatur. Et quo minor
esset eorum, qui sibi ferebant auxilia, culpa, in Moraviam
se cum praedis reducit. Barones tamen Moraviae literis
Baronum Poloniae auisati, ipsum cohabitatione sua excludunt
Sed nec Duces Slesiae audent illi praebere in dominiis suis
incolatum, propter quod coactus est vagus fieri. Super
terram sane autem vastationem creditus est suggestione
aliquorum Baronum Poloniae, clandestinum odium, contra
Sbigneum Episcopum Cracoviensem gestantium, et alijs mo-
dis illi nocere non valentium attentasse.

Sub idem tempus Derslaus de Rytwiany
filius Martini de Lubnicze Palatini Lanciciensis, nepotis
germani Alberti Jastrzambiecz Archiepiscopi Gnesnensis
thesaurum notabilem in florenis Ungaricalibus, in vasis
et clenodijs aureis et argenteis ad numerum quadraginta
millium marcarum se extendentem, quem idem Albertus
Archiepiscopus longo ante tempore, ipso duntaxat Derslao
pronepoti suo, et Joanne de Koziebrody Secretario suo et Can-
cellario Gnesnensi conscijs, in quodam oratorio ad tegendum
propositum duntaxat constructo, in loco qui Orzelwcz vocatur
prope Banschowa et Lubnicza pro futura usus Derslai
et fratrum suorum necessitate sabulo coopertum abdiderat,
violat, et certis satellitibus ad eam sibi rem iunctis, animaq[ue]
suum

Suum iuvenilem infirmum, et fastidiosum ad id formantibus et mulcentibus de nido suo et latebris extraxit, omnibus fere comitibus suis certatim partes thesauri pro se ut sic usurpantibus. Creditus est non suo solum praecipiti et iuvenili sensu, sed etiam matris suae Dorotheae de Tarnow persuasu facinus id dudum cogitatum et constitutum, nisi metus Regis cogitata deffecisset, perpetrasse. Cuius avus Albertus Archiepiscopus, novitate huiusmodi audita, repentino dolore et tristitia obrutus est, circumventum se non in thesauro suo, cum illum pro Derslao et germanis fratribus suis Joanne, Alberto, et Nicolao destinaverat, et condiderat, sed pro estimatione et spe sua intelligens, dolens Derslaum tam inconsultum ingenium et tam immodestos mores nactum esse. Ubi vero in castrum Rytthwany accedere et rem male gestam corrigere disposuisset, bombardarum e castro, cuius ipse fabricator erat, pulsu, et terrore prohibitus, pudore plenus retrocessit. Derslaus ipse omnem thesaurum illum vivendo prodige, ornatus familiaribus calamistratis, stando Uarsoviae, et mittendo singularia et alta dona Ducissae virgini Offczae filiae Ducis Boleslai Masoviae, cuius amore captatus deperibat, brevi tempore absumpsit. Nec ex post Alberto Archiepiscopo, studio et intercessione amicorum reconciliatus, praeter sellas, strepas, et frena argento circumdata quicquam aliud restituit, sed thesaurum illum omnem ex bonis Ecclesiarum et patrimonio Christi quaesitum, qui potius in visceribus pauperum condendus, et in usus pios dispartiendus erat prodige et vane distraxit, et tres fratres germanos praefatos, pro quibus aeque ac pro illo collectus atque conditus erat, villis quoque pluribus per praefatum Albertum Jastrzambiecz Archiepiscopum ex patrimonio Christi coemptis, illos exuit

Molesta et infesta plurimum quibusdam Baronibus et Nobilibus Cracoviensibus, et praesertim his qui res novas meditabantur, fuit de coronatione Regis futuri pro die Sancti Jacobi instituta conclusio, veriti ne res, quas turbandas novandasque molliebantur, Regis novi authoritate opprimerentur, Conventionem itaque, primoribus Baronibus et Consiliariis ignorantibus, nec petitis aut consultis pro die Sanctae Margarethae in Opatow constituunt, ad quam cum

nullus

nullus ex Baronibus principalioribus ire vellet, veritus sedi
tionem, aut tumultum, et infidelitatis notam per hoc incurrens,
Sophia Poloniae Regina maesta, proinde ac trepida, et tum sibi,
tum filijs, si res in seditionem, quo spectare caeperat, verteretur,
metuens, Sbigneum Cracoviensem Episcopum, qui populari pol
lebat ingenio, orare, ut suam in Rempublicam navaret operam,
atque illam de impendentibus terroribus expediret. Qui seditio
nis periculum dimoturus, in equis alienis a Sophia Regina,
et alijs amicis precario comprestatis, cum sui ex via, qua in
Basileam processerat, aut ex calore aestivo mortui aut lassi erant,
in Opatow ad huiusmodi Conventionem citato cursu in tem
pore oportuno advenit. Ingratus fuit Spythoni de Melstyn,
Derslao de Rytthwany, qui illius Conventionis erant Duces
et Capitanei Sbignei Episcopi adventus, unde nec illum li
cet praesentem ad suas deliberationes et consilia velut suspe
ctum advocabant. Tulit tamen singula hac Episcopus mira
patientia, nec exacerbandos esse animos suasit ad contentio
nes et Schismata inclinatos, sed leniendos, cum alterius ex
potentia, alterius ex thesauris noviter raptis ferox esset
animus. Nec latebat Sbigneum Episcopum eorum voluntas
aut consilium, singula ad eum quae agebantur his, qui intrin
seci et fidi credebantur, deferentibus, quapropter convenire
eos ad se in Curiam Episcopalem obtinet et inducit. Quo cum
frequens eorum numerus convenisset, et omnes uno consiliorum
et voluntatum tenore, male Regnum et Rempublicam per pue
rum in Regem coronandum regi, conclusionemque de coro
nando eo rescindendam decreverent, propositum eorum
Gonnorhone de Chrobrzany de familia Rawa Domino ve
terano confortante, gesta post mortem Casimiri Regis, quae
ambiguam fidem faciebant, referente; Sbigneus Episcopus
copia loquendi facta, omnem discordiam et divisionem Regni
velut perniciosam capite non extante, ad concordiam quoque
et pacem animos inflectendos, abstinendumque ab omnibus con
ventionibus et conspirationibus, quae monstruosam et defor
mem Rempublicam efficere possent, pluribus verbis, exem
plis recentibus et veteribus edocuit, nec esse aliud tempus
nisi illud differunt, quod ad salutem vel perniciem Regni,
semel

Semel inclinatis animis, posset converti. Non contendendum de coronatione Regis esse, cum contentio ipsa, et edictum promulgato in Conventione Brestensi in vita Regis, et innovato pridem consensu omnium decreto sublata sit, sed ut idem omnes sentiant summa vi agendum esse, sed neque extare modum, quo iusto et legittimo haerede deserto, vel neglecto, alius queri optarique debeat, contendum duntaxat, et invigilandum, ut is qui melior prudentiorque e duobus probabili estimatione censeri possit, coronetur. Movit haec oratio multos ex plebe, qui ad novandas res avide illuc confluxerant, multorumque animi vel sanati vel restricti sunt, et opera ipsius Episcopi, prudentique exhortatione malum, quod illic conflari formarique ceptum erat, in ipso sui exortu extinctum sedatumque est. Et Sbignei Cracoviensis Episcopi persuasio, quod prudens, quod saluberrima Reipublicae et Regno Poloniae foret iudicio omnium, et acclamatione decreta. Quapropter singuli qui coronationem futuram Regis impedire moliebantur, magna molestia et dolore affecti ex Opatow discedunt, fremitu ingenti in Sbigneum Cracoviensem saevientes Episcopum, quod eius adventu et praesentia, eius quoque consilio et persuasione singuli eorum conatus fuerant languidati et confracti. Propter quod et a Sophia Regina et filijs Regijs Vladislao et Casimiro omnibusque Ecclesiasticis et Saecularibus Consiliarijs gratiae ingentes in Consilio Sbigneo Cracoviensi Episcopo habitae sunt, quod malum gliscens sua authoritate, consilio, et industria, alijs dissimulantibus oppresserit et extinxerit.

Sancti Iacobi festo quo Coronatio futuri Regis Poloniae aut conferri aut inferri debuerat appropinquante, ex omnibus terris et oris et angulis Regno Poloniae subiectis, maxima Praelatorum, Principum, Baronum, Dignitariorum, militum, nobilium, et civium convenit in Cracoviam multitudo, unoquoque salutem suam in communi et publica pendere existimante. Dux autem magnus Lithuaniae Sigismundus cum pro eo tempore valetudinarius esset, et periculosum sentiret, propter Ducis Swidrigellonis et suae partis insidias, extra terram Lithuaniae sibi egredi, nuncios cum plena potestate et mandato personam suam repre

sentaturos

sentaturos, et in coronationem futur. Regis nomine suo et Du
calis Magni Lithuaniæ consensuros, transmittit, Martinum
de Schadek Archidiaconum Vilnensem, et Dolgertonem
Palatinum et Capitaneum Vilnensem. Idem facit Vuoiewoda
Moldaviæ Stephanus, Duces Masoviæ, Semouitus, Casimirus,
et Boleslaus affuere præsentes. Cum itaq. frequens numerus ex
omni statu Consiliariorum convenisset. feria sexta et Sabbato ante
Sancti Jacobi, Nuntij primum Ducis magni Lithuaniæ Sigi
smundi, et Vuoiewodæ Moldaviæ, expost aliorum Principum, ter
rarum, et absentium Baronum legationes auditæ sunt. Omniu
una erat et concors sententia, petitio, et votum, ut celerius
quo fieri posset unus ex filijs Regis mortui coronaretur,
omnes quoq. de maiori natu, cum et is omnibus corporis li
neamentis ad patris naturam accederet, et sperabatur il
lum operibus etiam bonis expressurus, conveniebant. Suborta
deinde quæstio est, et ab his qui coronationem Regis impedire,
resq. novas moliri nitebantur, proposita, an liceret puerum
et iuvenem in dignitatis tantæ Regem assumere, cuius ætas
dum gubernationi rerum magnarum per se non sufficeret, Consi
liarios et tutores, ex quorum sententia res non sine invidia
et contemptu aliorum decernerentur, esset habiturus. Multas
ad id rationes dudum conquisitas inducebant, inter quas
eam, quæ populares magis irritabat, ponendam duxi. Vbiq.
iactabant iura Regni tam publica quam privata multo cruore
et meritis suorum prædecessorum quesita in cassum et per
ditum iri, cum Regis minorennis confirmatio et approbatio
iurium si fieret, posset faciliter in posterum per eum refelli,
si in expectationem legitimæ ætatis suspensa recideret
non tuto aut æquo, sed pavido et molesto animo, nulla
certificatione aut sponsione interposita eam laturos, et Re
gem pervenientem ad ætatem, coronatione translata, et
nulla necessitate constrictum, facile confirmationem iurium,
dum sibi resisti non posset, et omnibus muneribus Regijs
perfunctus esset, recusaturum. Biduo quæstio hæc et
ambiguitas trita est, et coronatio Casimiri Regis vix dum
sub[illegible] patre mortuo celerrime subsequuta, in memoriam
revocata

renovata. Alatus deinde mandato Sbignei Episcopi Cracovi
ensis ex Ecclesia Cracoviensis Bibliotheca Decretalium liber per
Casimirum Regem donatus, in cuius prima columna Casimiri
Regis imago, ensem vagina vacuum in manu dextra tenebat,
et allegationes plures ex illo pronunciatae fuissent, concluden
tes, minorennem Regio Diademati posse insigniri, Cum perre
buisset librum hunc Casimiri Regis esse, omnes facile, tanta
adhuc reverentia, et charitas Regis dudum mortui erat,
in coronationem maioris natu Vladislai Regis consentirent.
Verum cum de confirmatione iurium Regni adhuc ambigui
tas haud mediocris relicta esset, hac quoque spiritu divino
operante, ea conditione et cautela sublata est, ut Sophia
Regina mater cum Praelatis Principibusque stricto sanguine
sibi iunctis, primoribusque Baronum, pro futuro Rege Vladi
slao cautionem sponsionemque facerent, confirmaturum illum
pure et simpliciter Regni iura, quamprimum ad legittimam
aetatem pervenisset. Ea conditio tunc recepta singulas
difficultates, quae interponi seriis, ad impediendam Corona
tionem futuram, summotura videbatur, existimabaturque
Consiliarios eos, qui novare aliquas res molliebantur, velut
quibus satisfactum fuerat, in crastinum diem Sancti Jacobi
prorsus quieturos, Unde nec privatim, nec publice aliqua
Antivota, pro rescindendo futuro, quod struebatur, impedi
mento, interposita sunt, nec ad emolliendum male induratos
animos quicquam processum

Festo die Sancti Jacobi illucescente
omnes Praelati, Principes, Barones, et Nobiles Poloniae in Salam
albam castri Cracoviensis conveniunt, rati sine oppositione et
difficultate aliqua coronationem futuri Regis se perfecturos.
Sed ab his qui regiam Coronationem impedire molliban
tur, motus maiores prioribus concitati sunt. Renovantur
itaque Consiliariorum vota, et maiori concordia primorum
decernitur, quatenus primogenitus Regis Vladislaus in
Regem coronaretur, Inducuntur insuper vota Nunciorum,
qui a singulis terris Regno Poloniae subiectis advenerant,
Adest Sophia Regina supplicans ut unum ex filiis pro
Rege assumere dignarentur, et ne charitate paterna
filios

filios excluderent, parata pro filio in Regem assumendo spon
siones quaslibet cum Principibus Masouiae et Baronibus se
nioribus facere. Non desunt ab alia parte Barones et no
biles aliqui, videlicet Spitsko de Melstyn, Abraham de
Sbanszin Iudex Posnaniensis, et Ioannes Strasz de Kosczelnki,
rerum priuatarum, quae semper offerre, offerentque publicis,
et quod ex patricijs orti, patricios non forent Magistratus
adepti, respectu commoti, et quod non quantum aequum cen
sebant excellere existimationem suam aduerterent, hae par
tes, quas nonnulli alij inferiores sequebantur, difficultates
varias interponentes, opponunt, quod ad Regni et terrarum
eidem subiectarum regimen insufficiens sit ingenium puerile,
annorum immaturitate, in quibus filij Regij consistunt, pen
sata, Authoritate et caeteri in Republica erant subnixi, nec
eosdem, quos patres eorum gesserant, consequebantur fa
cile Magistratus. Allegant amplissimas terras Regni
continere Poloniae, Tartaris et alijs infestis hostibus vi
cinas, quibus neque iura reddi, neque defensio opponi per Regem
in puerili aetate constitutum poterit. Allegant insuper
quantis sudoribus, laboribus, et impensis, quanta effu
sione cruoris, quantis aetatibus libertas Regno et patriae
a pluribus et exquisitis seruitutibus parta sit, ponunt
ante oculos captiuitates nobilium et terrigenarum Russiae
quas perpessi sunt dum ire in subsidium contra Turcos
Vngariae Regi et Regno detrectarunt, Cauerent itaque
bene, et animaduerterent, quid agerent, prouiderentque
de illa sua et posteritatis suae libertate, et ne tot annorum,
laborum, et sudorum spatia in vnius hora committerent
discrimen, Regalem potentiam validam esse, et eius Re
gis quem nunc assumerent, mores ignotos, posse fieri ut
in debitam aetatem perueniens, et omnium sponsionum,
quae nunc pro eo fierent oblitus, potentiam verteret in
tyrannidem, et ius libertatemque in seruitutem. Vsa
est haec eorum oratio aliquid ponderis afferre pro tuenda
libertate afferatur, et rationes, propter quod aliqui ex nobi
libus illis assentiebantur publice, aliqui neque hanc neque illam
partem

partem tenebant, Consiliarij et primores pluribus rationibus evi
dentibus et fortibus omnes instantias solvebant, et eludebant, qua
rum haec vincebat potissima, Regimen et libertatem Regni non
in Regis, sed in sua potestate consistere, neque se illi etiam postquam
adolesceret potestatem regiminis Regni facturos, nisi iura et liber
tates Regni confirmaret. Sed dum neque hac neque alijs persuasio
nibus moverentur, sed continue alias et alias instantias innova
rent, multis, ut erat, Spythconis, Abrahae, Strassconis sententia atrox
et incommoda videbatur, multis simultatibus, odijs, et partiali
tatibus Rempublicam turbatura, Quaerebatur proinde mode
ratum medium ad rem componendam, quod cum dari requireret,
diesque usque prope meridiem iam esset protracta, intellectum est
aut saltem à prudentibus et oculatis viris praesumptum,
vafre et callide eos difficultates et impedimenta huiusmodi in
terponere, non ut rationem exigerent pro conservatione liber
tatis patriae, sed ut tempus verbis inanibus et ventosisque te
rendo dies constituta pro coronatione praeteriret, qua praeterita
necesse esset coronationem in alium diem Dominicum, cum
feriali die ungi et expleri non posset, differri. Interim autem
existimabant se plures ad sua vota inducturos, multosque tunc
facilius posse efficere, quod volebant. Non solum autem
a Pontificibus et Consiliarijs primoribus, verumetiam militibus
vulgaribusque qui ad diem comitiorum in frequenti numero
convenerant, a populo denique sententiae sanioris, dementia
Spythconis, Abrahae, Strassconis, et suorum sequacium arguebatur,
quae res ipsos amplius ad opponendum resistentiam incendebat.
Consiliarij itaque et primores Regni, ne hac calliditate circumve
nirentur, sagax consilium, quo dolus huiusmodi opprimi pos
set opponunt. Mandant Regni Poloniae Marsalco Ioanni
Glouuarz de Olesznicza, quatenus denunciet omni multitu
dini, quae convenerat alta voce, omnes maiores atque omnes
bonos eam cepisse deliberationem, quatenus Vladislaus pri
mogenitus in Regem Poloniae et assumatur, et coronetur. Si
cui itaque ea deliberatio apparet Reipublicae inutilis, abeat
retrorsum, et partem teneat sinistram, cum hi, qui coronandum
Vladislaum decreverunt, tenere velint partem dextram, et ex
periri, qui et quanti sunt, aut quibus ducantur rationibus
qui

qui coronationem Regiam impediunt, eo enim modo circum
ventam Rempublicam, Spythconis, Abrahae, et Strassonis impres
sione, et amplius, nisi illorum rescinderetur conatus, circumveni
endam, expeditum iri autumabant, nec fefellit, hoc enim dicto,
per organum Marsalci pronunciato, omnis multitudo voce
magna Vladislaum primogenitum coronandum acclamant,
consentiunt, et decernunt. Tres illi duntaxat Barones, dum
quendam locum altiorem ascendunt, et contradicere decreto
maiorum et consensui populi, nescio qua temeritate, nituntur,
premente multitudine deijciuntur de loco, et reclamatione
eorum atque contradictione contempta, Praelati, Principes, et Ba
rones nobilesque universi assurgunt, et de loco residentes con
silij thalamum ingrediuntur, Vladislai electionem de eo
ad Regnum Poloniae factam, sibi et Sophiae Reginae genitrici
suae publicant, et processionaliter illum usque ad Ecclesiam
Cracoviensem per viam constratam pannis varijs deducunt.
Tres autem illi Barones dum se in loco consilij Sale alba de
relictos et confusos viderent, caeteros in Ecclesiam euntes se
quuti sunt, et ex adversarijs veneratores effecti. Conaba
tur tamen unus ex illis Spythko Melsztinski conclusionem una
nimi consensu de coronando Rege firmatam, quacunque posset
arte, confringere, unde primum in castro Joannem de Oleszni
cza Marsalcum verbis inhonestis, et honorem suum sugillan
tibus ad contentionem provocavit, sed is Baronum roga
tus precibus, ab omni contradictione, ne coronationis negotium
interrumperetur, abstinuit, de quo illi et a Rege et Consilia
rijs gratiae habitae sunt. Deinde cum ad aedes sacras ventum
esset, non solum in Marsalcum, sed et in alias personas ma
ledictis uti coepit, sed ab omnibus mira patientia verba
sua excepta sunt, et conatus sui silentio fracti. Albertus
itaque Jastrzambiecz Archiepiscopus Gnesnensis et Pri
mas, Pontificalibus indutus, assistentibus sibi, Sbigneo Cra
coviensi, Vladislao electo Vladislaviensi, Stanislao Plo
censi, Joanne Chelmensi Episcopis, Missam, tertia licet hora,
inchoans, praefatum Vladislaum primogenitum cum magna
hilaritate et alacritate Consiliariorum, et populi, sacris vesti
bus,

bus, Sandalijs, humerali, alba, manipulo, stola, et dalmaticis, et
ad extremum cappa pluuiali indutum, in Regem Poloniae ad altare
maius Ecclesiae Cracouiensis feliciter vnxit et coronauit, exacto
etiam tunc ab eo, quamuis tenerae esset aetatis, de obseruandis iu
ribus, statutis, libertatibus, literis, et munimentis Regni Polo
niae, corporali iuramento, Aurum oblatum per Regem ad
altare, cessit Cracouiensis Ecclesiae Vicarijs. Stanislaus Czio
lek Posnaniensis Episcopus absens erat, nam in Concilio Basi
liensi, vna cum Nicolao Lasocki Decano Cracouiensi no
mine Regis et Regni Poloniae Ambasiatam repraesentabant.
Opus autem Coronationis suae, quoniam impedimento trium
Baronum, vt praemisi, retardatum fuit, prope horam dura
uit vesperorum, cum esset citra vel vltra meridiem inceptum.
Quo feliciter consumato, et omnibus ceremonijs iuxta ritum
et vetustam obseruantiam Regni Poloniae expletis, Vladislaus
Rex omnes Praelatos, Principes, et Barones suos, magnifica et
regali mensa excipiens, liberalissime atque iocunde tractauit,
singulisque pro charitate tum in eum, tum in Rempublicam, atque
patriam, gratias egit, ita dies ille contra opinionem mul
torum, fauore diuino operante, felicem et alacrem habuit in
coronatione praefati Vladislai exitum. Nec minoris iocun
ditatis dies fuit subsequens, in qua ipse Vladislaus Rex
omnibus apparamentis Regijs vestitus, diademate capiti
suprapositu, latera sua Cracouiensi et Plocensi Episcopis, Pon
tificalibus infulis cingentibus, ad vrbem suam e castro,
Principibus, et Baronibus, in plurimo numero illum et prae
dentibus et subsequentibus descendit, Et locis ciuitatis insi
gnioribus lustratis, magnum de se spectaculum populo prae
bens, ad Regiam suam reuersus est. In praeparatum autem
sibi circa aedem Praetorij non descendit thalamum, vbi Consu
lum et Ciuium Cracouiensium suscepturus erat subiectionis,
obedientiae, et fidelitatis iuramentum, propter litem, quae
inter Pontifices et Masouiae Duces latus regium ambientes
de superioritate et prioritate loci, fuerat subsequuta, vtrisque
adnitentibus se ad dexteram Regis, dum ad thalamum ex
equo descenderet, consistere, et pluribus rationibus his Pon
tificalem, illis vero Ducalem praestare dicentibus digni
tatem.

Subsequentibus

Subsequentibus diebus plures et publice et
privatim habiti sunt, inter maiores, iam enim vulgus communis
nobilitatis discesserat, tractatus, qualiter, quomodo, et per quos Re
gnum Poloniae, Vladislao Rege existente impubere, posset, et de
beret in bono ordine et pace gubernari, multaque ad rem hanc
aperta fuerunt via, multisque videbatur bonum, ut Dux Ma
soviae Semovitus, qui tunc Cracoviae praesens erat, onus gu
bernatoris et tutoris assumeret, tum quia Vladislao Re
gi sanguine propinquo iunctus, tum quia illum et bonitas et
prudentia illustrabat. Dura tamen haec conditio parti ma
iori visa est, ne aut ambitio Regni illi incideret, aut quod
turpe putabatur, uni Principi, Regno feudali, subesse rege
rentur. Repudiata itaque huiusmodi conditione, Provisores
Regni in qualibet terra electi sunt, non ex his quidem, qui
dignitatibus et magistratibus ornati erant, sed qui illis
vacui essent, et caeteros prudentia et nobilitate anteirent.
Lecti sunt itaque plures, opinione caeteris praestantiores,
et iuxta distinctionem terrarum, quae Regno Poloniae subie
ctae sunt, cuilibet terrae unus Provisor datus est, terra Craco
viensi excepta, quae duos sortita est, tum quia prima omnium
sedem, caput, et domicilium Regni repraesentet, tum quia sola
Regis numisma operans, aliis transmittet, tum quia fundo
suo, et his rebus quae importantur, et exportantur ex illa, fa
cile caeteris omnibus antecellat. Huiusmodique Provisoribus
certa assignatione pecuniaria facta, omnis cura introituum
regalium commissa est, ea conditione apposita, ut nihil sta
tuere aut decernere in Republica, et rebus quibuscunque
minime possent, nisi id authoritas et deliberatio maiorum
probarent. In hunc quoque modum praefati Provisores usque ad
annos praefinitos, regalis introitus et alia agenda admini
strabant. Cuilibet autem huiusmodi Provisori, non nisi quin
quaginta marcae annui salarii ex introitibus regalibus con
signati. In terris itaque Cracoviensibus Joannes de Than
czin Castellanus Bychoviensis, et Clemens Vuątropka de
Strzelcze, In Sandomiriensi Joannes de Ossolin Castella
nus Radomiensis

Eodem

Eodem tempore Barones, Nobiles, et universi terrarum Russiae et Podoliae terrigenae, magnis precibus et devotis sollicitationibus Vuladyslao Regi et omnibus Praelatis, Principibus et Baronibus Regni Poloniae supplicant, quatenus illos iisdem iuribus, praerogativis, et praeeminentiis quibus alii Regnicolae Poloniae fruuntur et gaudent, donet, liberet, et privilegiet; Et quo magis animum Regis et suorum Consiliariorum precibus suis inclinent, gratiam similem et liberationem Vuladislaum genitorem suum clarae memoriae eis promisisse, et dandam decrevisse, effectum tamen sortiri non potuisse propter mortem subsequutam, evidenti et claro testimonio commemorant. Quorum precibus Vuladislaus Rex permotus, patris sui comperta voluntate et decreto, illos libertat, et omnibus privilegiis gratiis praerogativis honoribus quibus Regni Poloniae nobiles et incolae gaudent, et fruuntur, insignit, et nobilitat, et omnem servitutem, cui erant obnoxii, omnia insuper tributa, et vectigalia, nulla conditione apposita relaxat, dimittit, et abrogat, atque eos caeteris nobilibus Regni Poloniae in usu libertatum et gratiarum quarumlibet parificat. Quod pluribus Praelatis, et Baronibus Regni et incongruum et Reipublicae offensivum visum est, praesertim cum Vuladislaus Rex mortuus, non tam amplam, nec tam largam et pinguem libertatem praefatis terris dandam decrevisse certum est, sed dum relaxaret eorum multa et graviora tum tributa tum onera, ad quaelibet bella quae ipse et sui successores Reges Poloniae cum quibuscunque hostibus et quotiescunque gererent, sine aliquo donativo ire, ad castrorum aedificationes suos homines mittere, de quolibet laneo possesso duas avenae, duas siliginis mensuras, et quatuor grossos monetae usualis sibi et mensae suae regali singulis annis solui, voluit esse temporibus perpetuis astrictos et obligatos. Ferebant itaque multi moleste quod his ampla datae sint libertates, quam alii Regnicolae Poloniae per multa annorum centena, variis et studiosis obsequiis et praeclaris

praeclaris gestis in bellis editis, vix poterant consequi
et mereri.

Caeperant eo hoc anno nonnulli insole-
scere contra Ecclesiam Barones et Nobiles, illi praesertim
qui Regis Vladislai coronationem moleste ferebant,
concitaveruntque vulgus et communitatem Nobilium contra Ec-
clesiasticas personas, plurima allegantes, praesertim circa
exactionem decimarum, et fulminationes censurarum gra-
vamina. Unde eodem anno primum in oppido Wartha,
pro die Sancti Nicolai Confessoris, deinde annis subse-
quentibus plures habitae sunt generales in Piotrkow et
alijs locis inter Clerum et Barones conventiones, in quibus
primum Albertus Jastrzambiecz Archiepiscopus Gne-
snensis, deinde omnes alij conveniebant Pontifices, nec
Barones saeculares venire negligebant. Dum autem
saeculares Barones gravamina quaedam, molestias, et
abusus, quibus ipsi et eorum homines gravarentur,
proponerent, Pontifices et Clerus per privilegia et iura
Regum et Principum Poloniae Ecclesijs pro eorum libertate
et excellentia concessa, demonstraverunt omnia licenter,
omnia lege divina et humana agere, et nihil sibi de iure
eorum vendicasse. Abusus autem particulares, si
qui per singulares personas fuerant introducti, offere-
bant corrigere. Concilium insuper generale, quod tunc in
civitate Basiliensi vigebat, partes suas pro extinguendo
huiusmodi dissidio, sollicitando literis universos, ad pa-
cem, interponebat. Placari tamen animi multorum et
sanari quorundam ratione non poterant, qui optimum tem-
pus rati Ecclesiam Poloniam in suis libertatibus, quo
Vladislaus Rex pueriles annos non transcenderit, of-
fendere, et multa illi abstrahere, atque suis commodis
et usibus applicare maturabant. Permittente tamen
iusto Dei iudicio, primores omnes, et qui persequutiones

Ecclesiasticae

Ecclesiastica videbantur Magistri et rectores, morte subtracti sunt. Accidebat autem plerisque non naturalis quidem nec matura mors, sed acerba et funesta, quae caeteros a persecutione et infestatione Ecclesiae exterruit, et dari pacem Ecclesiae annis aliquot vexatae coegit.

Coronatione Vuladislai primogeniti expedita, non alia Consiliarios Regni tenuit, animisque eorum inhaesit cura, nisi ut cum Sigismundo Romanorum Imperatore et Ungariae Rege pax variis simultatibus infecta reformaretur, ne Regi puerilem habenti aetatem, sua calliditate et ingenio, finitimos, et praesertim Cruciferos vexare bello Regnum Poloniae induxisset, aut ipse suis potentiis illi hostis infestusque esset. Consultatione itaque primum de hac re habita omnium deliberatione et assensu placuit ad illum duos Barones mitti, ad iungendum secum affinitatem, et ad petendum filiam Ducis Alberti Austriae proneptem suam Vuladislao Regi in consortium, futurum existimantes Consiliarii affinitate huiusmodi et transactas simultates et odia inter Reges et Regna concitata et orta tegi quomodolibet posse, et splendidum coniugio amplitudinem Regno Poloniae, obeuntibus Imperatore Sigismundo, et Duce Austriae Alberto, nullam tunc prolem masculinam habentibus provenire. Delecti itaque duo Barones ad hanc legationem bene gerendam communi iudicio existimati, Joannes de Conyeczpole Regni Poloniae Cancellarius, et Joannes de Oleschnicza Regni Poloniae Marsalcus, ad praefatum Sigismundum Imperatorem transmittuntur. Praecedit illos iussu Regis et Consiliariorum Joannes Gamrath miles, ut et adventum eorum Imperatori denunciet, et securitatem adveniendi ordinet. Is confessione Petri Schafranyecz Palatini Cracoviensis temere et extraordinarie suscepta, indicat Imperatori legatos Poloniae oratum ad eum venire ut gubernationem tutelamque Regni Poloniae susciperet. Non minus temere legatio haec exposita, quam ab Imperatore credita est, ingessitque animo suo magnam extollentiam et hilaritatem, quam continere non valens, omnibus Consiliariis suis, inter quos tunc

aliqui

aliqui Electores Imperij secum aderant, gloriabundus effudit. Le-
gati Poloniae Imperatorem in Preszburg de partibus Rheni per
Histrum descendentem adeuntes comiter et benigne ab eo excepti,
et per omnes dies, quibus et in curia et dominijs suis moraban-
tur, honorati, et tractati. Concessa audientia mandata exponunt,
nihil aliud quam quod iniunctum erat illis, affinitatem per
filiam Ducis Alberti Austriae pronepotem suam iungendam
petunt. Miratur Imperator nihil de gubernatione Regni
Poloniae in eum transfundenda Legatos loquutos, et dum rem
confictam et temere a se creditam et vulgatam intellexisset,
sollicitat per Cancellarium suum Gaspar Slik, non verbis
solum, sed promissis Poloniae Legatos, offerens cuilibet mille
florenorum annuum solarium, quatenus ad abolendam sui
pudoris notam gubernationem illi Regni Poloniae, quam se
repromisit honeste suscepturum, offerrent. Legati nequicquam
verbis aut promissis moti, asserunt ut sibi nullatenus licere,
ne de minus sincere mandatis Regis et Regni expositis,
incusarentur. Quapropter et Imperator animo offensus
Legatis Poloniae respondet, non esse honestum aut aequum
affinitatis iungere, nisi prius omnibus discordijs, iniurijs,
offensis, et simultatibus, aequo iure inter Reges et Regna
sanatis et compositis, quod ut facilius proveniat consensu
Legatorum, festum Pentecostes anni futuri pro Conventione Con-
siliariorum utriusque Regni indicitur, ad quod se Imperator
repromittit Consiliarios missurum. Accepto responso Legati
navigio ex Preszburg in Budam, et exinde terrestri itinere
in Poloniam revertuntur. Mittitur et ad Concilium Basili-
ense Joannes Lutkonis de Brzezie, Canonicus Gnesnensis
ut cum Stanislao Episcopo Posnaniensi et Nicolao Lasocki
Decano Cracoviensi iunctus, Ambasiatores Regis et Regni
repraesentet, Pontifices et Barones maiores mitti non placuit,
ut publicis rebus melius consuli providerique possit. Adventu
Lutkonis in Basileam mors Regis renovata est, dolentibus
omnibus excellenter tantum Regem et fidei Christianae ma-
ximum propugnatorem absumptum esse. Celebratae sunt illi
in Ecclesia Cathedrali impensis Stanislai Ciolek Episcopi Po-
snaniensis

Snamensibus, regales et magnificas exequias, et omnes honores cum
multa devotione Patrum habitus, Branda Episcopo Portuensi Car
dinali Placentino missam celebrante, et Magistro Nicolao Ko
szlowski, qui Sbigneum Episcopum Cracoviensem ab eo missus
repraesentabat, in Latino, Sermonem nobilem faciente, in quo
de excellentibus, magnificis, et insignibus victorijs suis, item
de religiosis et devotissimis actibus suis in fidem et religio
nem Orthodoxam plurima disseruit, multisque patribus Conci
lij verbis suis lacrimas expressit.

Iuxta Continentiam et ordinationem

Treugarum cum Cruciferis de Prussia habitarum, Conventio
in Leczanscz pro die Mercurij Nativitatis Sanctae Mariae ha
bita est, ad tractandum de pacis perpetuae conclusione. Ad
quam cum Albertus Gnesnensis primas, Sbigneus Cracovi
ensis, Vladislaus electus Vladislaviensis, Nicolaus de
Michalow Castellanus et Capitaneus Cracoviensis, Ducis Ma
gni Lithuaniae Sigismundi, Ducum Masoviae, Ducis Stolpensis
Nuncij, Comes de Choszczno, frequensque Consiliariorum numerus
convenisset, Cruciferi in teremptis legationibus diebus ali
quot tempus absumebant, nec tempus putabant sollicitare Con
siliarios Regni ut ad ripam fluminis Vistula e regione castri
Zlotoriae positam, pro tractatibus incunctis descenderent,
Poloni etsi ea, ut pleraque superiora vana non dubitarent,
ne pacis conclusio per eos infecta remaneret, descendere
consenserunt. Ibi quoque Cruciferi diu expectati, vix sub Solis
occasum unum Commendatorem miserunt, aliquorum suae
partis Episcoporum et Commendatorum tardum adventum,
et pleraque alias causas fingentes, Polonorum expectationem
eludebant. Itum est tamen et altera die in ripam Zlotoriae,
nec minore lusio a Cruciferis, sub idem tempus, cadente Sole
se excusantium, ingesta, quapropter de caetero medium ad
ripam fluminis pro colloquijs reditum, sed etiam, dum spes
illudendi et fallendi Cruciferorum magis patefacta, ani
mos Polonorum irritaret, desitum. Nondum autem Polo
nis portas oppidi Brzescze intrantibus, se duo Nuncij adve
niunt, unus Cruciferorum Nuncios adventare, et salvum Sig
conductum dari postulans, alter e Lithuania cladem
quam ~~Lith~~ Livonitarum exercitus, a Samagitis pertulit,
nuncians

nunciaris, licet secundum in conditionibus Treugarum Dux
Magnus Litthuaniae cum terris suis inclusus fuisset, Cruci
feri tamen de Livonia iusto exercitu congregato, terras Samo
gitiae populandas ingressi, variis et exquisitis modis va
stabant. Haec quoque causa et respectus Cruciferos de
Prussia convenire cum Consiliariis Poloniae prohibebat, tum
quod belli gesti in Samagitia praestolabantur eventum, tum
quod reprehendi se et carpi de fracta verebantur fide, si
quando vero Nuntiis eorum hoc obiiciebatur dolosa va
fricie respondebant se iniussu suo bellum Livonitas assum
psisse. Verum quia clemens et propitius dominus rupto
rum foederum consuevit esse ultor, gloriari Livonitas in
potentia sua non permisit, Dum siquidem multis locis
Samogitiae pervastatis, quandam sylvam securitate
freti ingressi fuissent, Samogittae | qui metu eorum lati | [illegible]
bulis relictis in saltibus lustrisque se abdiderant, optimum
tempus rati, quo hostibus superiores essent, cincto exer
citu hostili corona, robora arborum quanta velocitate
possunt incidunt, et Livonitas inclusos, desperatione ex
trema, et missilibus frequentibus, tuti ipsi a quolibet ictu
sequentes lacerant, occidunt, et ad deditionem compellendo
sub iugum mittunt. Multa millia hominum illic vel occisa
vel capta sunt, praeda omnis Samagittis cessit. Signa, bande
riaque hostium septem capta, et in Ecclesiam Sancti Stanislai
Vilnensem relata. Clades haec Cruciferos de Prussia
mansuetiores fecit, quapropter misso usque in Brzescze Vol
phone de Szanszheim Commendatore Osterrodensi, tracta
tum pro conclusione pacis perpetuae, quam [cuius] paruam ante
fastidire se demonstrabant mentionem, in diem Sancti Flo
riani anni futuri, in oppido Brzesczie prorogari apud Polo
niae Consiliarios, qui iam etiam dudum ad pacem animos
inclinaverant, obtinent. Reverendus Dominus Episcopus
Albertus Jastrzambiecz ex Brzesczie sub idem tempus
in Lanciciam descendens, Vladislaum de Ossorow in Mo
nasterio Fratrum Praedicatorum, assistentibus illi Sbigneo Cra
coviensi, Joanne Chelmensi Episcopis, in Vladislaviensem Episcopum
consecrat die Solis decima nona mensis Septembris

Aestate

Aestate anni eiusdem varii commotiones inter Poloniae Regnum et Slesiae terras consurrexerant, novitas enim raro visa est perturbationibus caruisse, utrosque enim, Regis morte sequuta, metus aliquis non continebat. Principium tamen omne a Slesitis ceptum est, qui ex terris suis Nicolaum Cornicz Syestrzenyecz, et alios rapto vivere assuetos, praedas in Regnum agere, vel dissimulatione vel assensu permittebant. Nec viro nobili Cristino de Coziglowy Castellano Sandecensi tunc parsum est sed bona sua in terra Syeradiensi circa Koziglowy consistentia vastant, et praedantur. Is ubi ad Regem et Consiliarios querelam nec quicquam levaminis reportasset, delata, exercitum colligit et in oppido Glywicze semidiruto, valido praesidio posito, multas oras Slesiae, igne et spoliis depopulatus est, Propter quod Slesiae Duces a Rege conventionem indici obtinent, ut in ea omnes deformitates et abusus, guerraque motae et introductae possint componi et abrogari. Et cum festum Sanctae Hedwigis, locusque Bandzin pro illa tenenda posita essent, ex parte Regni Sbigneus Episcopus Cracoviensis, Nicolaus de Michalow Castellanus et Capitaneus Cracoviensis, caterique Barones, Ex parte Slesiae Dux Opoliensis Bernardus, Nicolaus Ratiboriensis, Venceslaus Teschnensis, Venceslaus Oswyeczimensis Duces, multique Barones Slesiae ad illam convenerunt. Ubi tractatu per dies aliquot facto pax reformata est, et damnis sive inde compensatis cautum, ut neutra pars Nicolaum Syestrzenyecz, tanquam pacis communis turbatorem teneat aut foveat, et per terras et dominia sua damna, praedas, furta, et spolia, inferri una alteri non admittat, et suffragium ad comprehendendum quoscunque praedones et subditos hostes det requisita, Haec literis et sigillis firmata parvo tempore observata sunt, nam de castro Suyrchlyenyecz per Joannem Gyelcz et per alios Moraviae et Slesiae fures, plures praedae et furta in Polonia agebantur

Bohemorum sub idem tempus nobilitas, attendens Taboritas et Orphanos pro sua libidine universa agere, magnopere illis infesta esse coepit,

et

Et errore suo licet sero recognito, miseros se putare, qui Regis imperio abdicato, Procopii ferant, exigentem vectigalia, delectum habentem, vitae et necis potestatem habentem, nobiles atque ignobiles pro tristibus mancipiis habentem, nec ullum extare genus Bohemiae infelicius, quod tam foedum tyrannum sortitum foret. Conveniunt itaque pro abrogando tam turpi iugo indicto, Halsz de Rosemberg antiquae nobilitatis Baro, sed censu tenuis, in gubernatorem totius Regni assumptus et declaratus est. Consiliarii illi adiuncti, quorum consilio domi et extra Rempublicam administret. Quo Procopius cognito, copias ex Thaboritis et Orphanis ducens, Pylsnam obsidere coepit, quam cum continuis undecim mensibus macerasset, et fames plures absumeret, Patres Concilii, etsi nullum haberent aerarium, octo millibus auri ex privato congestis dedere suffragium, mittentes illud Meinhardo de nova domo, qui collecto exercitu subveniret obsessis. Sed cum interim nova civitas Pragensis, quae a Thaboritarum praesidio tenebatur, contra veterem ex dissensione duorum Sacerdotum, Lupi, et Rokyzanae, se invicem factis probris carpentium consurrexisset, et turres ligneas plurimorum tabulatorum erexissent, Halsz hoc intellecto, cum manu militum, quam Meinhardus comparaverat, veterem civitatem ingressus, eam in suam potestatem redigit, turres disiicit. Solvit illico Procopius obsidionem, et versus veterem Pragam neglectis conditionibus pacis, quae illi per communes amicos offerebantur, ire pergit. Halsz cum caetera nobilitate civitate veteri relicta, cuius nutare animos manifeste viderant, obviam hosti pergunt, et in loco inter Brod Bohemicum, et Burim situm, curribus contra currus incurrunt, et pugnam acerrimam committunt, et maxima strage utrinque edita, Thaboritae et Orphani a nobilitate sternuntur. Procopius ubi suos ex ordinibus dilapsos, et in fugam spectare vidisset, cum cohorte virorum fortium, hostilem impetum aliquanto sustinens, pene hosti victoriam eripuit, sed multitudine equitatus circumventus,

tus, telo iaculatus transfoditur, Procopius minor in eodem loco pugnans occiditur. Joannes Czapko Taboritarum ductor cum magna parte equitatus fuga prelio dilapsus, in coloniam confugit. Halsz et Menehardus, ne ex colluuie captiuorum quorum plura millia vis prouenerant, pestis recrudesceret, nec sub legibus viuere viderentur coacti, innocentes tamen qui ex agris coacti ad pugnam venerant a sontibus discreturi, publico edicto iubent, vt omnes qui stipendia mereri vellent, in horrea proxima, agrestibus exclusis, se reciperent. Introiuerunt itaque Thaboritarum et Orphanorum pleraque millia, et illico clausa sunt horreorum ostia, et adhibitis ignibus, quo vniuersum illud nefariorum hominum et caedibus madentium agmen conflagratione interijt.

Explicit liber vndecimus.

[illegible]

publice [illegible]

Explicit liber VIII